Leipziger Studien zur classischen Philologie

Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Class

Digitized by Google

Digitized by Google

LEITFADEN STUDIEN
ZUR
CLASSISCHEN PHILOLOGIE

ZUSAMMENGESTELLT
VON
DR. FRIEDR. LUDWIG v. HEYDENREICH.

ZWEITES HEFT.

LEIPZIG
VERLAG VON J. J. WEBER.
1870.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ZEHNTER BAND.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1887.

Digitized by Google

PA3
L4
v. 10-11

INHALT.

Seite

IOANNES UNGER, De censibus provinciarum Romanarum . . . 1

ERNESTUS WEBER, De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore 77

CURT WACHSMUTH, Ueber eine Hauptquelle für die Geschichte des achäischen Bundes 269

ERNST BISCHOFF, Beiträge zur Kenntniss nichtattischer Tagesnamen 299

OTTO IMMISCH, De pronominis interrogativi τίς liberiore quodam usu 309

CONRAD CICHORIUS, Gargilius Martialis und die Maurenkriege unter Gallienus 319

Digitized by Google

DE

CENSIBUS PROVINCIARUM ROMANARUM

SCRIPSIT

IOANNES UNGER.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF
CALIFORNIA

Propositum mihi est titulorum maxime opera indagare, a quibus et quando census provinciarum Romanarum acti sint. Primum igitur titulos, quorum potissimum in hac re rationem haberi oportet, deinceps proferam atque prout res postulabit, explanabo; deinde vero, quae ex his efficiuntur, scriptorum quoque libris recognitis componam conferamque cum iis, quae huius aetatis viri docti de eodem argumento disseruerunt.

A

Quoniam tituli omnes ad eos pertinent, quibus census agendi demandati erant, placet commentationem epigraphicam in tres partes dividere, quarum una temporis ordine servato magistratus senatorii comprehendentur, altera item ei, qui vel equestri loco orti sunt vel locum obtinent huic parem; tertia eos continebit, qui titulis perperam suppletis ad census provinciarum relati sunt.

I

1. *Henzen 6453* [1]) (Tibure)

Memoriae | Torquati · Novelli · P · f | Attici · X · vir · stlit · iud | trib · mil · leg · I · trib · vexillar | quattuor · $\overline{I}$ · $\overline{V}$ · $\overline{XX}$ · $\overline{XXI}$ · q · aed | (pr) · ad · hast · cur · locor · public | (leg · ad) · cens · accip · et · dilect · et | (proco)s · provinc · Narbon | (in · cui)us · honoris · fine | (annos) · agens · XXXXIIII | (in · for)o · Iulii · decessit.

Torquatus Novellius Atticus procul dubio idem est ac Novellius Torquatus ille Mediolanensis, quem insigni bibendi

1) Cf. Renier in Borghesii op. V p. 8 adn. 1.

Digitized by Google

arte raram gloriam adeptum esse Plinius narrat.[1]) Vixit autem Tiberio admodum sene[2]) atque diem obiit, cum Narbonensem pro consule regeret. Illo munere dum fungitur, iussus est censum provinciae agere et dilectum habere. Notandum videtur munus extraordinarium ('legatus ad census accipiendos et dilectum') ordinario ('proconsul') antecedere.

2. *Orelli 3659 = Wilm. 1164* (Romae)

C. Iulio · P · f · Hor | Cornuto · Tertu(llo) | cos · proconsuli · provinci(ae · Asiae) | proconsuli · provinciae · Narbo(nensis) | legato · pro · praetore · divi · Traiani · (Parthici) | provinciae · Ponti · et · Bith(yniae) | eiusdem · legato · pro · pr(aetore) | provinciae · Aquitani(ae) · censu(um) | accipiendorum · cu(ra)to(ri viae) | Aemiliae · praefecto · aerari · Sa(tu)r(ni) | legato · pro · praetore · provinc(iae) | Cretae · et · Cyrenarum · a(dl)e(cto) | inter · praetorios · a · divis · Ves(pasiano) | et · Tito · censoribus · aedili · ce(riali) | quaestori · urbano | ex · testamento | C. Iulius · P · f · Anicius · Varus · Cornutus · (fratri).

Honores praeter consuetudinem in hoc titulo ita enumeratos esse apparet, ut post consulatum continuo provinciae, quas sortitus Cornutus pro consule administravit, collocentur, his demum officia ei ab imperatore delata ita adiungantur, ut a maiore ad minus ordo descendat.[3])

Singuli honores quid lucis ex Plinii Caecilii epistulis et panegyrico accipiant, cum Mommsenus data occasione composuerit totumque titulum optime illustrarit[4]), ex eius commentatione ea tantummodo, quae maxime opus erit scire, hoc loco proferemus.

Consulatu a. 100 cum Plinio gesto[5]) Cornutus curator viae Aemiliae creatus est eodem fere tempore, quo Plinius curam

---

1) Plin. N. H. XIV, 28, 144—146.

2) Plin. l. c. 'spectante miraculi gratia Tiberio principe in senectu iam severo atque etiam saevo'.

3) Cf. Waddington, *fastes des provinces Asiat.* I n. 123.

4) Mommsen, *zur Lebensgeschichte des jüngern Plinius.* Herm. III p. 31—139. 5) l. c. p. 91.

Digitized by Google

alvei Tiberis et cloacarum urbis susceperat i. e. inter a. 105 et 107. In ea curatione mansit ad a. certe 107.[1]) Post legatus Augusti pr. pr. provinciae Aquitaniae censuum accipiendorum fuit; deinde Bithyniam et Pontum rexit, in qua provincia successisse eum Plinio, qui ad a. 113 illam obtinuit[2]), Mommsenus probabiliter statuit. Postremo proconsul Asiae factus est a. 117.[3]) Ergo efficitur Cornutum Aquitaniae census accepisse inter a. 108 et 113 atque, id quod maxime tenendum est, consulatu functum, cum alias a legatis praetoriis Aquitania regi soleret.[4])

3. *C. I. L. X, 6658* (Antii)

C. Iulio · M · f · Volt | Proculo · cos · $\overline{XV}$ · vir | sacris · faciundis · fetiali · cur | operum · publicorum · leg · Aug | p · p · ad · census · provinciae · Lug|dunensis · leg · Aug · p · p · region | Transpadanae · legato · leg · VI | Ferrat · praet · trib · pl · ab · actis | imp · Traiani · Aug · tr · leg · $\overline{IIII}$ · Scy|thic · $\bar{q}$ · Augustor · $\bar{III}$ · viro · a · a · a · f · f | Antiates · publice · patrono.

Asbachius[5]) C. Iulium Proculum non esse diversum suspicatus est a Proculo, cuius consulis mentio fit in fragmento fastorum feriarum Latinarum (C. I. L. VI, 2018), quod a. 104 attribuendum esse censet. Quae coniectura num accipi possit, iam videamus.

C. Iulius Proculus[6]) quaestor duorum Augustorum fuit, qui quoniam postea ab actis imperatoris Traiani Augusti fuisse

---

1) l. c. p. 47 et adn. 3; p. 50 et adn. 3.

2) Nam Calpurnium Macrum, quem Plinius (ad Traian. 42, 61, 62, 77) praesidem provinciae finitimae commemorat, usque ad a. 112/113 legatum Moesiae inferioris fuisse declaratur titulo C. I. L. III n. 777: cf. Asbach, *Bonn. Jhrbb.* LXXII p. 37.

3) Waddington l. c.

4) Cf. Marquardt, *Röm. Staatsverwaltung* I² p. 273 sq.

5) Asbach, anal. hist. et epigr. lat. p. 32.

6) De patre et fratre vide, quae Huebnerus adnotavit ad C. I. L. II, 2349; cf. Friedlaender, *Röm. Sittengesch.* III⁵ p. 448.

Digitized by Google

dicitur, Nerva et Traianus intellegendi sunt, et cum Traianus m. Oct. a. 97 ad communionem imperii adscitus, Nerva autem m. Ian. a. 98 mortuus sit [1]), evincitur Proculum nonis Dec. a. 97 quaesturam iniisse. Quodsi a. 104 consulatu exornatus est, ad summum honorum fastigium intra plus minus septem annos pervenit. Quod spatium ut nemo praeter morem breve esse negaverit, ita Asbachius, ut ostendat non esse, cur hoc fieri non potuerit, recte imperatoris Hadriani exemplo utitur, quem a. 101 quaestura suscepta a. 108 fasces gessisse accepimus. Perlustremus iam honores, quibus Proculus deinceps perfunctus est: in maxima gratia eum ab imperatore habitum esse demonstratur cum 'quaestura Augustorum' tum officio illo 'ab actis imperatoris', quo qui fungebatur meditationes imperatoris introspicere credebatur. [2]) Accesserunt fortasse aliae quoque causae ut ius trium liberorum [3]), neque desunt omnino exempla, quibus comprobetur haud ita raro eiusmodi promotiones ex arbitrio Traiani principis factas esse. [4])

Quodsi Asbachio consulatum Proculi a. 104 attribuenti assentimur [5]), legationes ad dilectum in regione Transpadana habendum [6]) et ad censum provinciae Lugdunensis agendum post consulatum demum administratas esse necesse est [7]), quia

---

1) Cf. Dierauer, *Beiträge zu einer kritischen Geschichte Traians* apud Buedingerum, *Untersuch. zur röm. Kaisergesch.* I p. 19; 27.

2) Tac. ann. V, 4: cf. Mommsen, *Röm. Staatsrecht* II² p. 864.

3) Mommsen l. c. I² p. 517; 564.

4) id. l. c. I³ p. 558 adn. 1.

5) Etiam Klein, fasti cons. p. 55 quamquam haesitans Asbachium secutus est.

6) Cf. Mommsen l. c. II² p. 819 adn. 6; Marquardt I² p. 229 adn. 1. — Mommsenum propterea secutus sum, quod si tempus tituli recte definivi, absimile veri non est antecessisse hanc legationem bello Dacico secundo, ad quod suscipiendum constat maximis apparatibus opus fuisse.

7) Contrarium inde conicias, quod Proculus postea curam operum publicorum gessit, quippe quae statim aut ante aut post consulatum administrari soleat. Sed cf. ex exemplis, quae Klein (Mus. Rhen. XXXVI p. 634 sq.) copiose collegit, n. 3: 'A. Vitellius cur. op. publ. post proconsulatum Africae' et n. 17: 'L. Dasumius cur. op. publ. post legationes et Germaniae et Pannoniae'.

Digitized by Google

septem inter quaesturam et consulatum annorum spatium ad omnes honores recte interserendos nequaquam sufficit. Census igitur Lugdunensis circiter a. 110, certe non multo post, actus videtur esse, cum etiamtum vivo Traiano curam operum publicorum Proculo traditam esse ipse titulus testetur. [1])

4. *Orelli 364 = Mommsen, inscr. Helv. 175*

. . . . . legato | imp · Caes · Nervae · Aug · Germ · leg · XVI | Flaviae · Firmae · et · legato · imp · Nervae | Traiani · Caesaris · Aug · Germanici · Dacici | leg · VI · Firmae · sodali · Flaviali · praetori | aerari · militaris · legato · imp · Nervae | Traiani · Caesaris · Aug · Germanici · Dacici | provinciae · Lugdunensis · consuli · legato | imp · Nervae · Traiani · Caesaris · Aug · Germanici | Dacici · ad · census · accipiendos | colonia · Pia · Flavia · Constans · Emerita | Aventicum · Helvetiorum · foederata | patrono.

Patronus ille a colonia Aventico [2]) hac inscriptione honoratus quis fuerit, adhuc erui non potuit. Etenim quod fragmentum iuxta hoc repertum et 'C. Laelio' inscriptum ad eum referendum esse quidam opinati sunt [3]), probabilitate id carere censeo, quod neque inter consules neque inter reliquos illius aetatis homines ampliores Laelius unquam commemoratur.

Ex ipso titulo de tempore et cursu honorum haec fere cognoscuntur. Postquam primum Nerva imperante legioni XVI Flaviae Firmae, deinde primis imperii Traiani annis legioni VI Ferratae [4]) praefuit, ignotus ille vir praefecturam suscepit aera-

1) Traianus nondum 'divus' appellatur.

2) Nomen 'Aventicum' non nisi interpolatione in titulo additum esse Mommsenus observat. Proprie civitas illa dicitur 'colonia Pia Flavia Constans Emerita Helvetiorum foederata'. Cf. Herm. XVI p. 479 adn. 1.

3) Cf. Boissieu, *inscr. ant. de Lyon* p. 226.

4) Ita sine dubio pro 'leg. VI Firmae' corrigendum est. Duae legiones sextae adhuc notae sunt: legio VI Ferrata et legio VI Victrix.

Etsi inde, quod Traianus 'Dacicus' appellatur, non necessario evincitur illum etiam a. 102/3, quo tempore Traianus illud nomen sumpsit (cf. Mommsen Herm. III p. 131; Dierauer l. c. p. 92 adn. 3), legatum

Digitized by Google

rii militaris, quae in tres annos deferri solebat. [1]) Tum cum legatus Augusti in Galliam Lugdunensem missus esset, in hac legatione et absens fasces gessisse et censum egisse eiusdem provinciae vulgo creditur. Sed quoniam eodem tempore iam Iulio Proculo Galliae Lugdunensis censum demandatum esse vidimus, fieri non potest, quin haec opinio in dubium vocetur. Nam hunc quoque ignotum circiter a. 110 ad census accipiendos delegatum esse, probabiliter eo efficitur, quod Traianus ut iam 'Dacicus' ita nondum 'Optimus' appellatur, titulus igitur necesse est inter a. 103 et 114 [2]) exaratus sit idque omnium rerum ratione habita anno a. 114 propriore. Sed cum haudquaquam veri sit simile cum census eiusdem provinciae intra paucissimos annos — vix ultra quinque annorum spatium ratio evagari potest — iterum acceptos esse tum maxime ambobus viris una eodem tempore census actionem mandatam esse, nobis aut statuendum est altero — ignotum illum dico — in censibus accipiendis mortuo Proculum ab imperatore ad conficiendum opus missum esse, aut alia gravissima causa substituenda est, cur altero ab opere remoto alter mandatum exsecutus sit. Alioquin nimirum imperatoris plurimum interesse debuit census actionem, summum opus atque maxime arduum, ab uno homine perfici.

Sed omnes hae difficultates facillime solventur, si ad tertiam interpretationem confugerimus. Provinciae, in quam ille ad census accipiendos missus est, nomen non additur: ergo ea, quae proximo loco commemorata est, et potest putari et esset necessario putanda, si in titulo alia provincia, cui postea ille praefuisset, significata esset. Sed cum titulus legationem ad census accipiendos ultimum officium testetur, optimo iure

---

legionis fuisse, tamen factum esse potest, velut T. Aurelius Fulvius per quinque dumtaxat annos legioni III Gallicae imperavit: cf. Mommsen Herm. XV p. 295.

1) Cf. Mommsen, *Röm. Staatsr.* II² p. 970. Plerumque non 'praetor' sed 'praefectus' aerarii militaris dicitur.

2) Ab a. 114 Traianus 'Optimus Augustus' nominatur: cf. Eckhel doctr. numm. VI p. 448.

Digitized by Google

illa ad eam provinciam refertur, cuius pars fuit civitas, quae basim posuit. Aventicum autem, caput Helvetiorum [1]), intra fines situm erat Germaniae superioris, quae priore imperatorum aetate una cum inferiore Germania a legato Augusti Galliae Belgicae administrabatur. [2]) Sed perquam probabile est iam ab imperatore Domitiano duas Germanias a Belgica seiunctas atque utriusque administrationem separatim esse constitutam. [3]) Quibus de causis non sine quadam veri similitudine statuatur Germaniae superioris census accepisse ignotum hunc coloniae Aventici patronum.

5. *Eph. epigr. V n. 1345* (Antiochae Caes.; Pisid.)

Leg · Aug · pro · pr · provinc · Galat · Phryg | Pisid · Lycaon · Paphlag · item · ad · census · Pa|phlag · leg · leg · $\bar{I}$ · M · P · F · in · Germ · infer · praeto|ri · candidato · imp · Traian · Aug · Germ · Da|cici · Parth · trib · pleb · candid · eiusde(m · $\overline{XV}$·) | vir · sac · fac · ad · acta · senatus · q · (sevir) | eq · R · trib · leg · XXII P · P · F · X · vir · stli(tib · iud).

Titulus incisus est extremis annis Traiani, qui Parthici cognomen recepit non ante a. exeuntem 115 vel ineuntem 116. [4]) Illis annis is, cuius memoria solo hoc titulo servatur, legatus praetorius provinciae Galatiae fuit [5]), quacum id temporis

1) Tac. hist. I, 68.

2) Cf. Mommsen, *Die Schweiz in röm. Zeit* ('Berichte d. ant. Ges. in Zürich' 1853); et: *Schweizer Nachstudien* (Herm. XVI p. 487 sq.); Hirschfeld, *Die Verwaltung der Rheingrenze* (comm. in hon. Th. Momms. p. 433 sq.).

3) Nam Iavolenus Priscus, qui in titulo C. I. L. III, 2864 (cf. addit. III, 2 p. 1062) 'legatus consularis provinciae Germaniae superioris' appellatur, iam a. 90 Germaniae praefuit: cf. dipl. hon. miss. n. LXXIX in Eph. epigr. V p. 652.

4) Cf. Dierauer l. c. p. 166 adn. 6.

5) Nam titulus, cum repertus sit Antiochiae, illi esse dedicatus videtur, dum provinciae praeest. Quare id, quod Mommsenus adnotavit, eum, cuius titulus est, sub Domitiano cura actorum functum esse, mihi probari nequit. Etenim quis credat hominem, qui semper candidatus principis fuit, plus viginti annis in republica versatum demum provinciam praetoriam regendam accepisse? Huc accedit, quod cum Traianum primum

Digitized by Google

etiam Phrygia, Pisidia, Lycaonia, Paphlagonia communi administratione regebantur [1]), atque in hac legatione ei mandatum est, ut census Paphlagoniae acciperet; nam inter utrumque officium copula 'item' ponitur, id quod non fit nisi in muneribus aliquo vinculo coniunctis.

6. *C. I. L. III, 1463* (Dacia)

. . (Te)rentio | Gentiano | trib · militum | quaestori · trib · pl · pr | leg · Aug · consuli · pontif | cens · provinc · Maced | colonia · Ulpia · Tra(ian) | Aug · Dac · Sarmizege(tusa) | patrono.

Terentium Gentianum eundem esse persuasum habeo ac Terentium illum Gentianum, quem successorem sibi eligere Hadrianus, antequam Verum adoptaret, in animo habuit [2]), et eum, ad quem Mommsenus hoc Hadriani rescriptum [3]) spectare censet: 'eos qui terminos moverunt, non impune id facere debere divus Hadrianus Terentio Gentiano XVIII K. Sept. se III cos (= a. 119) rescripsit'. Quod rescriptum haud scio an optime ad Gentianum censitorem referri possit, quia in censu facillime patefieri potuit, si quis terminos movisset.

Inscriptio quamquam cursum honorum non tam plane enarrat quam adumbrat, tamen hoc ostendit, Gentianum, cum post praeturam Daciam provinciam accepisset, in hoc officio et fasces gessisse et censitorem Macedoniae creatum esse. Nam titulum Gentiano eo etiam tempore, quo in Dacia esset, dedicatum esse inde conicitur, quod v. 5 post 'leg. Aug' pro-

---

quaestoriis illam curam detulisse tituli doceant, Mommsenus (*Röm. Staatsr.* II² p. 864) ipse disseruit hac mente imperatorem id fecisse, ut senatui indulgeret. Quae indulgentia ut plane a Domitiani moribus abhorret, ita bene convenit in Traianum, quem saepius senatus rationem habuisse ac nonnunquam comem, ne dicam officiosum, se erga eum praebuisse accepimus: cf. Schiller, *Röm. Kaisergesch.* I p. 522 sq.; 535; 563 sq.

1) De provincia Galatia aliis temporibus aliis finibus circumscripta. Cf. Marquardt I² p. 351 et p. 358 sq.

2) Spart. Hadr. c. 23.

3) Cf. collatio leg. Mos. et Rom. 13, 3, 1 in Huschkii Iurisprud. anteiustin. quae supersunt p. 670.

Digitized by Google

vincia non additur, cum deinde 'cens. provinc. Maced.' addatur, atque titulus et a colonia Sarmizegetusa, capite Daciae, positus et intra fines huius provinciae repertus est. Dixerit sane quispiam Gentianum eo tempore, quo imperium obtineret inque provincia esset, patronum Sarmizegetusae creari non potuisse, quia legis coloniae Iuliae Genetivae c. 130 cavetur, ne quis patronus adoptetur, nisi qui 'cum ea res agetur in Italia sine imperio privatus erit'. Atqui constat saepius contra hanc legem praesides patronos creatos esse. Praeterea illud, quod Huebnerus monuit [1]), rem sic explicari posse, decreta patronatus eo ipso tempore facta esse, quo praesides officium deponebant, credibile est in Gentianum quoque cadere, cum iam sequens eius officium, scilicet censitoris Macedoniae, titulo praedicetur.

7. a) *C. I. L. VI, 1333* (Romae)

L · Aemilio · L · f · Cam · Karo · cos | leg · Aug · pr · pr · provinciae · Cappadociae | leg · Aug · pr · pr · censitori · provinciae · Lugdunensis | leg · Aug · pr · pr · provinciae · Arabiae | curatori · viae · Flaminiae · leg · leg · XXX · V · V | praet · trib · pleb · quaest · Aug | trib · militum · leg · VIII · Aug | trib · militum · leg · VIIII · Hispanae | X · viro · stlitib · iudic · sodali · Flaviali · XV · viro · s · f | C. Iulius · Ercianus · Crispus · praef | alae · primae · Ulpiae · Dacorum | amico · optimo.

b) *Brambach C. I. Rhen. 334* (col. Agripp.; Germ. inf.)

I. · O · M | L · Aemilius | Carus · leg | Aug.

c) *C. I. L. III, 1415* (Apuli; Dacia)

A(p)ollin | Aug L Ae m(i)l Car(us) | (leg) · Aug · pr · p(r) (II)I Da(c).

d) *C. I. L. III, 1153* (Apuli; Dacia)

Silvano · Sancto | L · Aemil · Car(u)s | l(eg) · Au(g) · pr · pr | III · Daciarum.

---

1) Cf. Eph. epigr. II p. 148 et adn. 3.

Digitized by Google

e) *'Archäol.-epigr. Mitth.' IX (1885) p. 246 n. 5* (Apuli; Dacia)

Sarapidi | Iovi · Soli | Isidi · Lunae | Dianae | dis deabusq | conservatorib | L Aemil Car(u)s | leg Aug pr pr | III Daciarum.

(*a*) Tempus, quo L. Aemilius Karus [1]) consul suffectus anni incerti honoribus functus sit, primum eo determinatur, quod legioni XXX Ulpiae Victrici atque postea provinciae Arabiae imperavit, quarum utraque — et legio [2]) et provincia [3]) — ab imperatore Traiano demum instituta est. Altera autem ex parte cum tribunus legionis VIIII Hispanae fuerit, quae sub Hadriano inter a. 120 et 130 periit [4]), hoc certum est, Karum aut Traiano etiam vivo aut certe primis imperii Hadriani annis ad rem publicam accessisse. Postquam minoribus magistratibus ex ordine functus ad praeturam evectus est, et consulatum suscepit et complures alios honores gessit, quorum ultimum titulus legationem Cappadociae enumerat. Quae provincia cum a consularibus semper legatis regeretur [5]), antea Karus fasces gesserit necesse est. Itaque quaeritur, quo loco inter priores honores consulatus interserendus sit. Curam viae Flaminiae [6]) et legationem Arabiae [7]) ad praetores semper delatas esse notum est. At profecto non casu accidisse puto, ut plurimos, quos quidem noverimus, Arabiae legatos in hoc officio consules designatos esse sciamus [8]), ut contra statuendum videatur Arabiae legatos statim ex hoc officio ad consulatum esse provectos. Quare consularis Karus etiam Galliae

---

1) Titulum *a* secutus nomen censitoris Karum scribam, ut distinguatur a Caro, praeside Daciarum.

2) Cf. Pfitzner, *Gesch. d. röm. Kaiserlegionen* p. 272.

3) Marquardt I² p. 431.

4) Borghesi op. IV p. 115; Pfitzner l. c. p. 92; Huebner, exercitus Brittan. in Herm. XVI p. 536. Anno tamen 121, ut Pfitznerus statuit, iam legionem interiisse mihi propterea persuadere non possum, quia L. Novius Martialis Crispinus, qui etiam tribunus militum illius legionis fuit, a. 151 demum consul factus est (cf. C. I. L. VIII, 2747; 2542; 2652).

5) Marquardt I² p. 369 sq.

6) Mommsen, *Röm. Staatsr.* II² p. 1003.

7) Marquardt I² p. 432. 8) Cf. Marquardt l. c. adn. 8.

Digitized by Google

Lugdunensis censum egisse putandus erit atque id vel extremis Hadriani annis vel potius initio imperii Antonini Pii circiter a. 140. Nam in Cappadocia continuo, ut Borghesius probabiliter coniecit [1]), L. Burbuleio (C. I. L. X, 6006) successit, qui ipse successor fuit Flavii Arrhiani, quem constat illam provinciam inde ab a. 131 usque ad a. 137 obtinuisse. [2]) Ante annum autem 131 Karum Cappadociam administrasse nequaquam veri est simile, licet Traiano etiam imperante honoribus fungi coeperit.

Praeter hunc titulum (*a*) Romae repertum quattuor alii extant a L. Aemilio Caro aliis locis aliis diis dedicati, quos ut recte dignoscantur, litteris *b*, *c*, *d*, *e* notavi. Ex his titulis Borghesius [3]) *b*, *c*, *d* non L. Aemilio Karo tituli *a*, sed filio eius attribuit; Mommsenus [4]) e contrario *a*, *b*, *c*, *d* universos ad unum eundemque Karum spectare censuit. Equidem neutrius doctissimorum illorum virorum opinioni ex omni parte accedere possum. Ut titulum *b*, qui in colonia Agrippinensi prodiit, primum tractemus, ego quoque illum ad eundem Karum pertinere puto, in cuius honorem *a* incisus est. Recte enim Mommsenum contendisse persuasum habeo, non esse cur legatum Augusti legatum provinciae interpretemur, quandoquidem is, qui legioni praeest, id quod permultis comprobatur titulis simpliciter legatus Augusti appellatur, ut differat a legato Augusti pro praetore i. e. praeside provinciae. Legio vero $\overline{\text{XXX}}$ Ulpia Victrix eo ipso tempore, quo teste titulo urbano Karus ei imperavit h. e. sub Hadriano, castra habuit in Germania inferiore. [5])

Titulos autem *c* et *d* a praeside trium Daciarum positos, quibus nuperrime *e* accessit, facere non possum, quin ad Borghesii sententiam me applicans [6]) filio tribuam Kari in

---

1) Borghesi opp. IV p. 158 sq.

2) Marquardt I² p. 368 adn. 4; p. 371 adn. 7.

3) *Bull. dell' Inst.* 1846 p. 163; 1855 p. 32.

4) ad C. I. L. III, 1153 (= *d*). 5) Pfitzner l. c. p. 272.

6) Quamquam id argumentum, quo Borghesius nisus est — exeunte v. 3 tituli *c* CAR · F legere sibi visus est — titulo denuo examinato concidit.

Digitized by Google

prioribus titulis *a* et *b* commemorati. At Mommsenus legationem Dacicam ne in urbano quidem titulo deesse opinatus est. Diremit enim, ut hoc probaret, tertium eius versum in duas partes, quarum prima esset 'leg. Aug. pr. pr.', ubi provincia, scilicet Dacia, non expressa esset; altera 'censitor provinciae Lugdunensis'. Argumenta vero haec addidit: 'Quamquam legatus cens. acc. sive ad cens. acc. recte diceretur, tamen legatum censitorem minus commode procedere'. Sed conferas velim C. I. L. VI, 1441 (nostrae syllogae n. 8), ubi v. 2 haud facile aliud supplementum suggerere possis atque Henzenus praeivit '(leg. Aug. pr. p)r. censori'. Deinde Mommsenus: 'Omissionem provinciae Daciae inde explicari, quod titulum dedicasset praefectus Dacorum sine dubio propter ipsam illam legationem Dacicam honeste peractam'. Sed ut praetermittam vix credi posse unam provinciam non exprimi, cum plures aliae nominatim enuntiatae et antecedant et subsequantur, illi argumento omnino fidem habendam esse nego, nisi extra dubium positum erit, num ala illa Dacorum etiamtum e provincia Dacia conscripta fuerit [1]), deinde num in ipsa Dacia tetenderit, ut L. Aemilio Karo praesidi paruerit. Quae cum demonstrari nequeant [2]), Mommseni argumentationem apparet parum valere. Accedit, quod acutissimus vir temporis non satis rationem habuisse videtur. Si Karum circiter a. 120 aut non multo post rei publicae gerendae se tradidisse recte disserui, vix factum esse potest, ut legationem Dacicam octavo demum saeculi secundi decennio occiperet, cum is Carus, cuius tituli *c*, *d*, *e* mentionem faciunt, legatus Augusti pro praetore trium Daciarum dicatur, tripertita vero provincia non compareat ante a. 168.[3]) Rursus optimo iure

1) Cf. Mommsen, *zur Conscriptionsordnung der röm. Kaiserzeit* (Herm. XIX p. 211 sq.).

2) Cf. Mommsen l. c. p. 217; cohortes et alae Dacorum numquam in Dacia stativa habuerunt, sed in Britannia et in provinciis orientalibus.

3) Mommsen C. I. L. III p. 160; Marquardt I² p. 309.

Digitized by Google

colligi potest Karo filium fuisse, cui fortasse circiter a. 160 consulatu exornato [1]) postea provincia Dacia regenda tradita sit.

8. *C. I. L. VI, 1441* (Romae)

... *l*ICINIANO CONSV*li* ...
. *leg. aug. pr. p*R CENSORI PROVINC*iae* ...
... *imp. a*NTONINI AVG·PII·P·P·LE*g* ....
..... *leg.* PROVINCIAE·AQV*itanicae* ...
.... T·VIGI

Supplementa Henzeni sunt.

Licinianum aliunde ignotum magnam partem Antonino Pio imperatore honoribus functum esse et ad consulatum usque evectum titulus quamvis mutilus dilucide (v. 3) testatur. Extremum — descendente ordine honores referuntur — eius officium fuit legati Augusti pro praetore censoris provinciae cuiusdam. Id post consulatum demum eum administrasse propterea certum duco, quod spatium inter hoc officium et illud, quod ultimum inscriptio profert, legati provinciae Aquitaniae, abunde sufficiat ad duo munera inserenda. Si id, quod Capitolinus (Ant. Pius c. 5, 3) narrat, Antoninum Pium ea constantia fuisse, ut septenis et novenis annis in provincia bonos praesides detineret, in Liciniano quoque locum habet, consentaneum est inter praeturam et consulatum haud multa munera suscepta esse. Insuper constat fasces saepius statim suscipi post legationem Aquitanicam.

v. 3 fortasse supplendum est: ‘comiti imperatoris’.[2]) Quo supplemento si cui scrupulus iniciatur, quandoquidem ii tantum comites appellari solebant, qui principem quotiens provincias adibat vel ad bella proficiscebatur, comitabantur,

1) Praesides Daciae, qui quidem post trium provinciarum distributionem reperiantur, consulares sunt: cf. Marquardt I² p. 310 adn. 4.

2) Quominus legationem provincialem hoc loco scriptam fuisse putemus, obstant ultimae versus literae LE, quippe quae initium faciant vocabuli velut ‘legio’ vel ‘legatus’. Sed legionis quoque vocabulum repellendum est. Nam de legatione legionaria idcirco cogitari non potest, quia ea, ut plurimi tituli docent, plerumque aut statim e praetura aut certe ante legationem provincialem administrabatur.

Digitized by Google

Antoninus Pius autem semper fere in urbe mansisse et plurima bella per legatos gessisse fertur, is scrupulus nullo negotio evelli potest. Etenim compluribus locis eorum historicorum, qui de vita rebusque gestis Antonini Pii scripserunt [1]), plane evincitur imperatorem ipsum identidem expeditiones obisse atque exercitus contra hostes eduxisse.

9. *C. I. L. VIII, 2754* (Lambaesi; prov. Num.)



Mommsenus inscriptionem sic fere restituendam censet:

. . . . ri . . . . o c(larissimo) v(iro), [quaesto]ri pr(o) pr(aetore) [provinciae] Siciliae, [trib(uno) pleb(is), p]raetori [urb(ano), cur(atori)] r(ei) p(ublicae), Hadr(ianorum (vel Hadrumetinorum), [leg(ato) pro p]r(aetore) provinc(iae) . . . ., [iurid(ico)] per Flamin(iam) [et . . . . . ., l]eg(ato) Augusti [leg(ionis)? . . . . ., cur(atori) re]i- p(ublicae) Traian(ae) . . . . ., pro[co(n)s(uli) pro]vinc(iae) Gall(iae) [Narbon], leg(ato) Augus [ti(pr. pr.?) ad cens]us accipi[endos per(?) provinc. . . . . ., leg(ato) leg. III Aug. [in Africa] et Ro[mae e]id(em) co(n)s(uli) de[s(ignato)] . . .

Cum litteris adhuc conspicuis v. 10 'Traian' et v. 6 'Hadr' tum v. 8 sine dubio haud perperam suppleto 'iurid. per Flamin.' epocha eius, ad quem titulus pertinet, sic definitur, ut non ante M. Aurelium [2]) illum fuisse manifestum sit. In aetatem

1) Cf. Bossart et Mueller, *zur Geschichte des Kaisers Antoninus Pius* apud Buedingerum, *Unters. z. röm. Kaisergesch.* II p. 316 sq.

2) Praetorios iuridicos, cum consulares sub Hadriano extitissent, M. Aurelius instituit inter a. 161 et 169: cf. Marquardt I² p. 224. Omnino

Digitized by Google

autem ipsius M. Aurelii aut Commodi aptissime quadrant plurima munera inter praeturam et consulatum gesta.[1]) Atque provinciam, in quam ille legatus Augusti (pro praetore?) missus est ad census accipiendos, suspicari possumus, praetoriam fuisse, quia titulus illi, cum consul designatus erat, honorarius positus videtur esse.

10. *C. I. L. VI, 332* (Romae)

(Her)cul(i) | Victori | P · Plotius · Romanus · cos · sod · Aug · Cl | leg · Aug · pr · pr · prov · Arab · item · Gal | praef · aer · Sat · leg · Aug · cens · acc · Hisp · cit | iur · per · Aem · Lig · cur · viae · Labic · cur · Verc | pr · urb · trib · pl · q̄ · kand · V̄I · vir · eq · R · turm · I̅I̅ | trib · mil · legg · I · Min · et · II · Adiut · IIII · v · v · cur | aedem · cum · omni · cultu · consecravit.

Quo anno Romanus fasces gesserit ignoratur. At cum tribunatum etiam plebis obierit, evincitur ante Alexandri Severi aetatem honoribus eum functum esse.[2]) Nam constat inde ab Alexandro quaestores candidatos neque aedilitatis neque tribunatus munere suscepto e quaestura continuo ad praeturam promotos esse et deinde provinciam accepisse.[3]) Quodsi ita tempus, citra quod ille fuit, determinatum est, ulterius eo efficitur, quod per Aemiliam et Liguriam iuridici officium a M. Aurelio demum institutum administravit. Non multo post M. Aurelium eum vixisse Wilmanns[4]) eam ob causam opinatus est, quia nomini non adiciatur 'v(ir) c(larissimus)', quod inde a saeculo altero exeunte usu venit. Sed ut unum hoc supplendum videtur 'iuridico per Flaminiam et Umbriam': cf. Marquardt I² p. 227, qui iuridicos, qui adhuc innotuerunt, omnes curiose collegit. — Itaque quae Klein, *Die Verwaltungsbeamten von Sicilien und Sardinien* p. 166 de tempore tituli statuit, iam corruerunt.

1) Cf. Spart. Pesc. Niger c. 7, 2: 'Hic (Niger) tantae fuit auctoritatis, ut ad Marcum primum, deinde ad Commodum scriberet, cum videret provincias facili administrationum mutatione subverti, primum ut nulli ante quinquennium succederetur provinciae praesidi vel legato vel proconsuli' etc. 2) Cf. Borghesi, op. V p. 395.

3) Lamprid. Al. Sev. c. 43; cf. Mommsen, *Röm. Staatsr.* I² p. 539 sq.

4) Wilmanns, Exempla inscr. lat. n. 1197.

Digitized by Google

argumentum per se incertius est [1]), ita eo magis alterum a Wilmannsio allatum — cultum dico Herculis — premendum mihi videtur, quo nisus aetati Commodianae titulum assignavit.[2])

Romanus officium legati Augusti censuum accipiendorum Hispaniae citerioris exsecutus est, antequam iuridici munere iam deposito praefecturam aerarii Saturni obiret. Quae duo munera cum ad viros praetorios semper deferri solerent [3]), praetorius Romanus etiam census in Hispania acceperit necesse est. Sed quia et praetorius tum fuit neque pro praetore dicitur, non universae provinciae Hispaniae citerioris, sed Hispaniae Tarraconensis tantum censum eum egisse statuo i. e. unius e tribus dioecesibus, in quas universa provincia discripta erat.[4])

11. *C. I. L. V, 7783* (Albii Ingauni)

M · Valerius · Bradua · Mauricus · c · m · v | cos · pont · sodalis · Hadrianalis | curator · operum · publicorum · curator | aquarum · sacrae · urbis · et · Miniciae | censitor · provinciae · Aquetanicae | pro · cos · provinciae · Africae | balneum · quod · vivos · inchoaverat | Q · Vibius · Egnatius · Sulpicius · Priscus | consularis · pontifex · et · flamen · divi · Severi | curator · aqua-

1) Cf. Friedlaender, *Röm. Sittengesch.* I p. 353 sq.

2) Cum eis, quae historici (Cass. Dio 72, 15 sq; Lampr. Commod. c. 8, 5 et 11; Herod. 1, 14, 8) de Commodi Herculis cultu referunt, mirum quantum conveniunt nummi Commodiani perquam multi, qui adversi vel Herculis effigiem vel signa ei attributa prae se ferunt et inscripti sunt 'Herculi Commodiano, Herc. Romano etc.': cf. Cohen, *méd. impér.* III² p. 250—256. Qui nummi cum omnes fere cusi sint a. 191 vel 192, item unica, quam quidem noverim, inscriptio (*Bull. di Archeol. ed Storia Dalm.* 1882 p. 168 n. 84) in qua Commodus Hercules Romanus appellatur, iisdem annis concepta sit, cultus igitur id temporis maxime floruisse videatur, haesito an etiam consulatum Romani alteri utri illorum annorum assignem. Sed melius est hanc rem in medio relinquere.

3) Cf. p. 16 adn. 2 et Mommsen, *Röm. Staatsr.* II³ p. 546.

4) Cf. Mommsen C. I. L. V n. 6974 et p. 785; Eph. epigr. IV p. 224. — Universae provinciae Hispaniae citeriori legatus Augusti pro praetore (vir) consularis praesedit; singulis vero dioecesibus viri praetorii praefuerunt, qui simpliciter legati Augusti et inferiore tempore legati iuridici nominantur.

Digitized by Google

rum · sacrae · urbis · et · Miniciae | eodemque · tempore · praefectus · alimentorum | perfectum · Albingaunensibus · atsignavit.

M. Valerius Bradua Mauricus, qui consul fuit a. 191, post consulatum [1]) curam operum publicorum et deinde aquarum administravit. Quorum munerum spatium quamquam non certo determinatum erat, tamen triennium pariter ac legationum provincialium sollemne fuisse videtur.[2]) Quodsi Bradua postremo a. 206/7 proconsulatum Africae sortitus est [3]), probabiliter conici potest eum circiter a. 200 censitorem provinciae Aquitaniae fuisse.

12. *C. I. L. II, 4121* (Tarracone; Hisp. cit.)

Q · Hedio · L · f · Pol | Rufo · Lolliano | Gentiano · auguri · cos | procos · Asiae · censitori | prov · Lugd · item · Lugdu|nensium · comiti · Severi · et | Antonini · Augg · ter · leg · Augg | prov · H · c · item · censit | H · c · cur · c · splend · Pu|teolanor · et · Veliter|nor · quaest · cand · praet | cand · leg · leg · X(X)II · Pri|mig · trib · leg · VII · G · P · F · III | viro · a · a · a · f · f | Fab · Marcellus ....

Verisimile est Gentianum [4]) consulem suffectum fuisse extremo imperio Commodi, quia Severo imperante inter a. 198 et 209 proconsul Asiam rexit [5]), intervallum autem inter consulatum et proconsulatum Asiae (vel Africae) plerumque tredecim annorum intercessit.[6]) Ab hac opinione non dissentit, quod iam a. 171 inter salios Palatinos receptus est.[7]) Nam

1) Dubitari non potest, quin titulus eos tantum honores commemoret, quos post consulatum Bradua gessit. Immo vero sollemnis eius aevi mos fuit minores honores praetermittere.

2) Mommsen, *Röm. Staatsr.* II² p. 1002 et adn. 5.

3) Tissot, *fastes de la prov. Rom. d'Afrique* n. CXX.

4) De stemmate cf. *Notizie degli Scavi* 1883 p. 448.

5) Waddington, *fast. Asiat.* I n. 165.

6) Marquardt I² p. 546 adn. 3.

7) Cf. C. I. L. VI n. 1978 v. 16; Waddington l. c. — Titulus supra scriptus salium Palatinum non profert sive errore lapicidae sive quia salii, si ad maius sacerdotium vel consulatum provecti erant, illo minore officio vacabant; cf. Marquardt III p. 411 adn. 1.

Digitized by Google

cum salius Palatinus nemo creari posset, nisi parente utroque etiamtum superstite, haud improbabiliter statuitur illo anno eum admodum iuvenem fuisse. Post consulatum Gentianus Hispaniam citeriorem provinciam accepit atque census eius accipere iussus est. Credat quispiam hanc legationem a. 198, quo Caracalla Augustus appellatus et consors imperii factus est, propterea inferiorem esse, quod Gentianus in titulo, qualis in C. I. L. volumine altero editus est 'leg. Augg' i. e. legatus duorum Augustorum dicitur. Sed alterum g in vocabulo Augg praeterquam quod — ut in titulo re vera extiterit — per anachronismum quem vocant poni potuit, haud scio, an omnino non certum sit.[1]) Ceterum nihil eo demonstratur nisi titulum conceptum esse eo tempore, quo Caracalla in com-

1) Videsis, quemadmodum vocabulum 'Augg' typis exscriptum sit. Nempe sub linea et minus alterum g positum est. Accedit, quod sylloge epigraphica, quam Martinus de Sieder, optimus titulorum Hispanorum auctor (cf. praef. ad C. I. L. II p. VI), sibi conscribendam curavit, in qua praeter alios codices hic titulus memoriae traditus est — basis ipsa periit — habet LEG XXG, sine dubio pro LEG ⅏G. —

Ceterum operae pretium videtur pauca disserere de cursu honorum, qualem titulus exhibet. Si eum sequimur, Gentianus primum trib. leg. VII G. P. F., deinde leg. leg. XXII Primig., tum praet. cand., postremo quaest. cand. fuit. Hic ordo honorum nullo exemplo confirmari potest. Fit sane interdum, ut tribunus legioni vice legati praesit, sed tum 'pro legato' dicitur (cf. Tac. ann. XV, 28 'Vinicius Annius nondum senatoria aetate, sed pro legato quintae legioni impositus'; C. I. L. III, 605 'trib. mil. et trib. mil. pro legato'); atque ne quaestorium quidem legioni imperare potuisse, nisi praeter solitum quid accidisset, inde colligendum est, quod duo dumtaxat eius rei exempla inveniuntur (C. I. L. X, 6659; Eph. ep. V n. 696). Quamvis facile causas, cur Gentianus e tribunatu legationem legionariam acceperit, in bellis positas esse suspiceris, quae Severo, ubi primum curas imperii capessivit, contra aemulos gerenda erant, tamen errorem subesse crediderim. Nam ut concedam legationem legionariam recte collocatam esse, tamen post eam primum quaestura, deinde praetura exspectatur. Neque id neglegendum est ordinem, quo tria haec munera recensita sunt, sollemni progressui plane contrarium esse. Quare scribere malim: 'trib. mil. leg. VII G. P. F., quaest. cand., praet. cand., leg. leg. XXII Primig.' — Gentianum e quaestura statim ad praeturam provectum esse nihil offensionis habet, quod patricius fuit: cf. Mommsen, *Röm. Staatsr.* I³ p. 537.

Digitized by Google

munionem imperii iam assumptus erat. Item nulla re cogimur, ut e verbis 'comiti Severi et Antonini ter' efficiamus eum ter comitem amborum imperatorum fuisse idque inter legationes Hispaniae citerioris et Galliae Lugdunensis. Quae fuerint expeditiones, in quibus imperatores comitatus est, cum nec satis constet [1]) neque id scire nos iuvet, coniecturis abstinere malo. Deinde Gentianus censitor Lugdunensis item Lugdunensium fuit h. e. quod iam Orellius recte intellexit censum cum provinciae Lugdunensis tum urbis Lugduni egit. Hoc officio neque fungi potuit ante a. 197, quo Severus Albino devicto Galliis re vera potitus est [2]), neque post a. 207, quo si postremum annum posueris proconsulatum Asiae inierit necesse est. Ergo statuendum videtur circiter a. 200 Gentianum hunc censum egisse.

13. *Henzen 6512 = Wilm. 1219*[a] (Tibure)

T · Clodio · M · f . . . . . | Pupieno · Pulchro · M(aximo) . . . . . | c · v · cos · cur · aed · sacre · t · oper · (publicor) | cur · r · p · Benevent · electo · iud · sacro · ad · (census) | accept · per · prov · Velgicam · cur · rp · Leptim | et · Tripolitanor · vice · oper · publ · pro · cos | prov · Macedoniae · cur · rp · Catinensium | pr · urb · q · k · XV · viro · s · f · triumviro · monetali · | patrono · municipii · | s · p · q · T.

Cum neque de anno consulatus Pupieni constet quidquam neque titulus ullum temporis indicium plane certum prae se ferat, in universum circumspiciendum est, num quae argumenta investigemus, quibus tempus aliquatenus saltem certius definire possimus. Neque ea deficiunt. Inferioris aetatis titulum esse vel ex ipso stilo cognoscitur. Etenim cum id, quod post nomen adscribitur, 'v(ir) c(larissimus)', tum maxime locutio 'electo iudicio sacro' ad initium saeculi tertii ducit. Rarissime in titulis primi et secundi saeculi verbum sacri in-

1) Cf. Ceuleneer, *Septime Sévère* p. 36 adn. 5; p. 114.
2) Schiller, *Röm. Kaisergesch.* I p. 716.

Digitized by Google

venitur, ut idem valeat atque 'imperatorius' vel 'caesareus' [1]), sed pariter ac nuncupatio Romae sacrae pro urbe imperatoria non in usum receptum est nisi inde ab imperatore Severo.[2]) Item 'electus' pro eo, quod antea usitatum erat, 'missus' tertio demum saeculo tituli exhibent.[3]) — Imprimis vero animadvertendum est Pupienum post quaesturam statim praeturam suscepisse, quo evincitur non ante Alexandrum Severum eum reipublicae gerendae se tradidisse.[4]) Rursus sub ipso Alexandro ad rem publicam eum accessisse probabile est, quod munus triumviri quoque monetalis gessit, cuius nulla mentio fit post medium saeculum tertium.[5]) Quare eo inclino, ut recte se habere Henzeni[6]) sententiam iudicem, qui hunc Pupienum filium esse censet M. Clodii Pupienii[7]) Maximi, qui a. 238 admodum senex una cum Balbino imperator factus eodem anno interiit. Denique Belgicae censendae operam dedisse Pupienum veri simile est extremo imperio Alexandri.

---

1) Cf. Hirschfeld, *Verwaltungsgesch.* p. 96 adn. 1.

2) Cf. Friedlaender, *Sittengesch.* I p. 64.

3) Ut exempla, quae adhuc innotuerunt (exceptis nimirum iis, in quibus 'electus' aut 'missus' suppletum est), conferamus, legitur:

C. I. L. VIII, 7036 'T. Caesernius . . . missus ad dilectum iuniorum a divo Hadriano in regionem Transpadanam', et

VI, 1377 'M. Claudius Fronto . . . . missus ad iuventutem per Italiam legendam (Marco et Vero imperatoribus)';

contra X, 5398 'C. Octavius . . . . electus ad corrigendum statum Italiae (cos. a. 214)', et

X, 3856 'L. Fulvius . . . electus ab optimo imperatore Severo Alexandro Augusto ad dilectum habendum per regionem Transpad'.

4) Cf. p. 17 adn. 3. 5) cf. Mommsen, *Röm. Münzwesen* p. 370 adn. 16.

6) *Bull. dell' Inst.* 1849 p. 95.

7) Hanc nominis formam exhibent inscriptiones C. I. L. VI, 1087; VIII, 10342, 10343, 10365. In nummis vero semper Pupienus nominatur: cf. Mommsen, *Berlin. Zeitschr. für Numism.* VIII p. 26. — Borghesi op. V p. 504 Pupienum minorem suspicatur consulem fuisse vel a. 232 vel a. 233. Quamvis dicere non liceat fieri omnino non potuisse, ut hic Pupienus patre eo ipso tempore dudum summis honoribus affecto altero utro horum annorum consulatum acciperet, tamen nolim ultra progredi colligens consularem Pupienum Belgicae censum egisse, cum illa Borghesii coniectura solo cognomine Maximi nitatur idque illis temporibus perquam usitatum fuerit.

Digitized by Google

14. 'Arch.-epigr. Mitth.' IX (1885) p. 142 (Latobici; Pann. sup.)

. . . . . .
ad census ACCIPIENDOS *leg. aug. pr. pr.*
*prou. ge*RM INFER · LEG · AVG · PR · PR.
*prouin*C · HISP · XV · VIR S · F · LATOBIC[I]
*publi*CE · PATRONNO · D · D

Nomen huius patroni Latobicorum una cum superiore parte tituli periit. Munere censitoris eum post consulatum demum functum esse pro certo habeo, cum munera quae illud excipiunt, legationes et Germanica (vel imperium exercitus ibi tendentis [1])) et Hispanica, semper consularia fuerint.

15. 'Archives des missions etc.' ser. 3 t. 3 (1876) p. 144 (Perinthi)

Μ · Οὔλπιον Σ(ε)|νεκίωνα Σατ(ουρ)|νεῖνον πρεσβ. | Σεβ. ἀντιστράτη|γον τειμη|τὴν καὶ ὑγιεστ|γον (sic) *ἡ βουλὴ | διὰ ἅπασαν ἀρε|(τ)ὴν τὸν ἑαυτῆς | ε(ὐ)εργέτην.*

De M. Ulpio Senecione Saturnino, quem Perinthus [2]), civitas Thraciae, bene de se meritum hoc titulo honorat, nihil scitur nisi, quod ipse titulus ostendit, legatum Augusti pro praetore censitorem provinciae Thraciae eum fuisse. Tametsi quo tempore hoc officio functus sit, certum iudicium ferri nequit, id tamen dicere licebit titulum antiquiorem esse non posse Traiani aetate, inde a qua Thracia a legatis praetoriis regi coepta est, cum sub procuratoribus antea fuisset.[3]) Fortasse veri haud dissimile est illum filium fuisse Ulpii Saturnini, quem sub imperatoribus Marco et Vero praefecturam annonae gessisse titulus C. I. L. II n. 1180 docet. Neque enim est, quod miremur legatum Augusti pro praetore equitem Romanum patrem habuisse, praesertim eum, qui tanta apud principes gratia floruerit, ut ei praefectura annonae demandaretur.

1) Indicia igitur temporis omnino desunt. Nam pro 'leg. Aug. pr. pr. prov. Germ. infer.', quod Frankfurter l. c. proposuit, spatii ratione habita possis eodem iure supplere 'leg. Aug. pr. pr. exerc. Germ. infer.'

2) Titulus repertus est Perinthi Thraciae; vv. 6. 7 *ὑγιεστ · γον* quid valeat parum liquet. 3) Marquardt I² p. 313 sq.

Digitized by Google

II

16. *C. I. L. X, 680* (Surrenti)

T · Clodio · C · (f) . . . . | Pro(culo) | praef · fab(r) | tribunus mil (. . . leg III) | Scythicae · leg (. . . . . ab imp) | Caesare · Aug(usto misso pro) | censore · ad · Lus(itanos).

Supplementa a Mommseno subministrata si recte se habent, Clodius Proculus ab imperatore Caesare Augusto pro censore ad Lusitanos missus est, cum stipendia faceret in legione aliqua, cuius nomen cum altera lapidis parte interiit.[1]) Tribuni militum primum suae quisque legionis legato subditi erant, deinde si hic non simul locum praesidis provinciae obtinebat, pariter atque ipse legatus legionis sub dispositione erant praesidis eius provinciae, in qua ea legio collocata erat.[2]) Quod si constat, paulo ultra prodire licet coniectura sane non plane certa verum haud nugatoria. Nam cum hic tribunus in provincia dicatur missus esse ab imperatore Caesare Augusto, colligendum est imperatorem ipsum id temporis in illa provincia fuisse. Augustum autem per a. 26/25 in Hispania moratum esse, postquam statum Galliarum ordinavit, cum Cassius Dio, ut eius ipsius verba addam, sic referat[3]) (53, 22, 5): *ἐς δὲ δὴ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα ἐνδιέτριψεν· . . . . . καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε. κἀντεῦθεν ἔς τε τὴν Ἰβηρίαν ἀφίκετο καὶ κατεστήσατο καὶ ἐκείνην*, non modo verisimile, sed pro certo paene sumendum videtur Augustum Hispaniae ordinationem aeque atque Galliarum censibus agendis exorsum esse. Ad quod opus conficiendum sibi assumpsit tribunos legionum, quibus et alias saepe munera magis civilia quam bellica delata esse scimus. Quo factum est, ut Proculus ad Lusitanos mitteretur.

---

1) v. 5 nomen unius ex eis legionibus, quae tum in Hispania erant, supplendum est. Cf. de iis Ritterling, *De legione Rom. X Gemina* p. 19 sq.

2) Cf. n. 17.

3) Cf. etiam Suet. Oct. c. 26.

Digitized by Google

17. *Eph. epigr. IV p. 538* (= *C. I. L. V 1, n. 136**) [1])

Q · Aemilius · Q · f | Pol · Secundus · (in) | castris · divi · Aug · s(ub) | P · Sulpicio · Quirinio · le(g · Aug) | Caesaris · Syriae · honori|bus · decoratus · praefect | cohort · Aug · I · praefect | cohort · II · Classicae · idem | iussu · Quirini · censum · egi | Apamenae · civitatis · mil lium · homin · civium · CXVII | idem · missu · Quirini · adversus | Ituraeos · in · Libano · monte | castellum · eorum cepi · et ante | militiem · praefect · fabrum | delatus · a · duobus · cos · ad · ae rarium · et · in · colonia | quaestor · aedil · II · duumvir · II | pontifexs | ibi · positi · sunt · Q · Aemilius · Q · f · Pol | Secundus · f · et · Aemilia · Chia · lib | h · m · amplius · h · n · s.

Q. Aemilius Secundus censum civitatis Apamenae egit iussu Quirinii. Hic Quirinius, initio tituli pleno nomine P. Sulpicius Quirinius dictus, idem est, quem a. p. C. n. 6/7, cum iterum legatus Augusti pro praetore Syriae praeesset, census eius provinciae accepisse hodie extra controversiam positum est.[2]) Censu acto Secundus ab eodem Quirinio adversus Ituraeos missus est procul dubio, dum locum obtinet praefecti cohortis vel Augustae primae vel secundae classicae. Quare altero quoque officio scilicet censitoris eum praefectum cohortis alterius utrius functum esse summa cum probabilitate concluditur.

18. *C. I. L. III, 388* (Alexandriae Troad.; As. min.)

Q · Lollio · Q · f | Ani · Frontoni | trib · mil · leg · III · Aug | praef · fabr · tert | praef · equitum · alae | Numid · II vir · pont | civitates · XXXXIIII | ex · provinc · Africa | quae · sub · eo · censae · sunt.

---

1) Cuius inscriptionis dignae sane, quae non lateat, quia plura insunt, quae possint offendere, et quia lapis ipse interierat, diu de sinceritate dubitatum est. At abhinc paucos annos maior pars eiusdem lapidis atque ea inferior denuo Venetiis inventa est. Statim Mommsenus, ut vindicaret, titulum iterum edidit in Eph. ep. IV p. 537 sq. commentariolo haud inutili adiecto, ex quo fere, quae ad hanc rem pertinent, hausi.

2) Mommsen, *Res gestae divi Augusti*[2] p. 160 sq.

Digitized by Google

Quadraginta civitates ex provincia Africa Q. Lollio Frontoni in urbe patria hanc basim ponendam curaverunt nimirum ob innocentiam abstinentiamque, qua in illas usus erat. Quod ille fecit, sive dum tribunus militum legionis III Augustae sive dum praefectus est alae Numidarum.[1]) Nam officium censitoris nequaquam peculiare et a militiis separatum fuisse eo efficitur, quod in recensendis muneribus, quibus ille functus est, census mentio non fit, cum de re satis constet.

Iam quaeritur, ad quam aetatem Fronto referendus sit. Cuius quaestionis omnis ratio ex eo pendet, utrum cursum honorum eius ordine ascendente an descendente perscriptum esse putemus. Si Fronto post tribunatum demum praefecturam fabrum habuit, certe adiudicandus est primo saeculo, cum ea promotio postea prorsus aboleverit. Sin autem ordo hic est, ut primum praefectus equitum, deinde praefectus fabrum, tum tribunus militum fuerit — id quod probabilius videtur esse propter locum, quo honores in patria gesti collocati sunt — Claudio imperante[2]) necesse est stipendia meruerit.

19. *Henzen 6948* (rep. ad St. Mariae in Duno)

D m v f | T Visulanio | Aufidio | Trebio Clementi | T · Visulanius · Crescens | praef · fabr · bis · praef | cohor · II · Rhaetor · trib | mil · cohort civium | Romanor | praef equitum alae | Moesicae | censor Germ · inferior | patri optimo.

T. Visulanius Crescens hoc titulo traditur censor Germaniae inferioris fuisse, cum praefectura fabrum iterum suscepta tribus militiis equestribus defunctus esset. De aetate id unum, ante Hadrianum eum vixisse, pro certo dici potest, quoniam ala Moesica nondum 'Felix Torquata' est appellata, quo cognomine honorata primo iam imperio Hadriani comparet.[3]) Ea

1) Constat legionem III Augustam semper in provincia Africa castra habuisse et paene certum est idem valere de ala Numidarum.

2) Suet. Claud. c. 25; cf. Hirschfeld, *Verwaltungsgesch.* p. 247.

3) Cf. C. I. L. VI, 3538 'T. Staberio Secundo tribuno mil. leg. VII Geminae Felicis in Germania praefecto equit. alae Moesicae Felicis Tor-

Digitized by Google

ala Moesica, cui Crescens postremo praefuit, in ipsa Germania inferiore tetendit.[1]) Coniciendum igitur est Crescentem censorem fuisse aut eo tempore, quo locum praefecti equitum obtinebat, aut certe continuo, ubi stipendia emeruit.

20. *C. I. L. II, 4188* (Tarracone)

C · Aemilio · C · f | Gal · Fraterno | praef · fabr · II | trib · mil · legio|nis · V · Alaudar | flamin · p · H · c | hic · censum | egit · in · provinc | Gallia · Aquitanic | p · H · c.

Hic titulus Aemilium Fraternum quendam praedicat, utpote qui censum egerit in provincia Gallia Aquitanica. Habemus sane quod offendamur hominem, qui non ad ampliorem dignitatem quam tribunatum militum pervenerit, tantae provinciae censum egisse, quem alias viris senatorii ordinis iisque consulatu functis permissum esse tituli docent. Qua de causa iudico illum non tam totius provinciae, quam per aliquot civitates eius vel populos census accepisse.[2]) Ceterum ad eandem sententiam per se ducunt verba 'censum in provincia egit' pro eo, quod aliter exspectes 'censum provinciae egit'.[3])

Quod ad tempus attinet circiter saeculum primum medium eum fuisse idcirco verisimile est, quia census actio ei videtur

---

quatae . . . .' Huius tituli aetas altero X, 5829 definitur, in quo T. Pontius Sabinus quidam commemoratur 'praepositus vexillationibus tribus expeditione Britannica leg. VII Geminae VIII Aug. XXII Primig.' Legio VII Gemina, quam constat alias semper in Hispania castra habuisse, illo ipso tempore in Germania constiterit necesse est. Nam si complurium legionum vexillationes sub eodem praeposito in expeditionem mittuntur, summa cum probabilitate statui potest eas legiones illo tempore in eadem provincia tetendisse (cf. quae Mommsenus ad C. I. L. II, 3272 adnotavit). Leg. VIII Aug. et XXII Primig. stativa in Germania habuisse certum est: ergo concludendum etiam legionem VII Geminam tum ibi collocatam fuisse, id quod titulus supra scriptus VI, 3538 apertis verbis testatur.

1) Brambach C. I. Rh. n. 438.

2) Cf. Wilm. n. 1257 'dilectator per Aquitaniae XI populos'.

3) Cf. C. I. L. X, 5393 et Mommsen, *Röm. Staatsr.* I² p. 224; C. I. L. X, 5182 et Mommsen ad C. I. L. III p. 279.

Digitized by Google

mandata esse, cum tribunus esset legionis V̄ Alaudarum.[1]) Quae legio ad Vespasiani aetatem usque in Germania inferiore tetendit[2]), deinde in Moesiam translata mox interiit.[3]) In tribus autem Galliis nullus exercitus erat, sed quotiens militibus ad aliquod negotium conficiendum opus fuerat, hi ex exercitu Germanico desumpti sunt. Censum igitur Fraterni haud perperam ei tempori attribueris, quo legio V̄ Alaudae pars exercitus Germanici erat. Fortasse non nimis a veritate recesseris, si hunc censum ad eos referas, quos a. 61 per Gallias actos esse Tacitus memoriae tradidit.[4])

21. *C. I. L. VI, 1463* (Romae)

C · Mocconio · C · f · Fab · Ver(o) | praetori · legato · pr · (pr) | provinciae · Achaiae · t(r · pl) | q · urbano · IIĪ · vir · capit(ali) | tribuno · laticlavio · l(eg) | VII Geminae · at · census · accipi(en)dos · civitatium · XXIII · | Vasconum · et · Vardulorum | vixit · annis · XXXVI | ex · testamento.

Apprime notabilis hic titulus extat, quippe qui tribunum militum ad census accipiendos disertis verbis declaret. Quo tempore Verus censum Vasconum et Vardulorum egerit, non facile diiudicatur. Nam legio VIĪ Gemina, in qua eo ipso tempore ille stipendia legitima sui ordinis merebat, a Galba instituta a Vespasiano inde semper in Hispania stativa habuit.[5]) At id affirmare licebit Verum, cum primum tribunatum militum, deinde magistratum triumviri capitalis obierit, aetati haud ita inferiori assignandum esse, fortasse saeculo primo exeunti, quia sub imperatoribus gentis Iuliae Claudiae munera vigintiviratus[6]) modo ante tribunatum modo post tribu-

1) Videsis, quae de Lollio Frontone dixi p. 26.

2) Bramb. n. 128c, 218, 223b; Wilm. n. 1145.

3) Pfitzner l. c. p. 76; Ritterling, De leg. X̄ Gem. p. 66 adn. 1; Marquardt I² p. 364 adn. 4 et II² p. 450 adn. 2. — Mommsenus vero (Eph. ep. V p. 214) argumento non allato censet eam iam imperatore Vespasiano exauctoratam esse.

4) Tac. ann. XIV, 46. 5) Pfitzner l. c. p. 244.

6) Mommsen, *Röm. Staatsr.* I² p. 526.

Digitized by Google

natum suscipiebantur, post illos vero vigintiviratus fere sine exceptione tribunatui militum antecedebat. Praeterea nullum posterioris aetatis indicium adest.

22. *Herzog, Gall. Narb. n. 510* (= *Wilm. 2246*[a]) (Viennae)

D · Iul · D · f · Volt | Capitoni | flam · iuvent · III · vir | loc · public · persequ | II · vir · aerar · augur | praef · fabr · trib | mil · leg · II · Adiut | censor · civit · Remor | foederatae | Remi · publice | l · d · d · d.

ib. n. 511 (= *Wilm. 2246*[c]) (Viennae)

. . . . . | trib · mil · leg · II | Adiutricis · censori | civitatis · Remor(um) · foeder(atae) | proc · imp · Nervae · Traian | Caes · Aug · Germ · Dacici | Optimi · provinc · Astur · et · Gallaec | conventus · Asturum | l · d · d · d.

Hi tituli a Renierio [1]) optime restituti ac suppleti in honorem positi sunt D. Iulii Capitonis, qui censor fuit civitatis Remorum foederatae, gentis primariae provinciae Belgicae. Ex quo officio cum procuraturam acceperit provinciarum Asturiae et Gallaeciae eamque obtinuerit certe a. 114/5 [2]), efficitur paulo ante hos annos censum Remorum actum esse; honores enim sine dubio ad ordinem temporis recensentur. Denique si quaerimus, quo loco constitutus Capito ei civitati censendae operam dederit, eum post stipendia emerita demum censitoris officium sustinuisse putarim. Nam legione II Adiutrice, in qua postremo militavit, iam ab imperatore Domitiano e Germania in Moesiam, tum in Pannoniam inferiorem translata [3]) neutiquam probabile est eum hanc ob rem e provincia longe remota in Belgicam delegatum esse.

---

1) Renier, *Mélang. d'Épigr.* p. 61 sq.

2) Traianus 'Optimus' appellatur inde ab a. 114, 'Parthicus' ab a. 115 exeunte: cf. Dierauer l. c. p. 166 adn. 6.

3) Cf. Pfitzner l. c. p. 225; Huebner, Herm. XVI p. 539 sq.

Digitized by Google

23. *Henzen 6947 = Wilm. 1249*[b] (Fulginii; It.)

(T · Haterio · f Nepoti . . . . . primipilo) · prae(fecto) | (co·h)ortis · trib · mili(tum) | (p)raef · equit · censito(ri) | Brittonum · Anavion(ens) | proc · Aug · Armeniae · mai(or) | ludi · magni · hereditatium | et · a · censibus · a · libellis · Au(g) | praef · vigilum · praef · Aegyp(ti) | M · Taminius · Cri . . . . . | . . . . .

T. Haterius Nepos [1]), postquam stipendia equestria fecit, censitoris officium suscepit. Deinde procurator creatus est Armeniae maioris, quam a. 114 demum a Traiano in provinciae formam redactam iam ab Hadriano, ubi primum imperium adeptus est, rursus relictam esse compertum habemus.[2]) Compluribus deinceps procuraturis iisque amplioribus perfunctus postremo Aegypto praefectus est. Quem locum cum iam initio a. 121 teneret, ut ipse profitetur in titulo Memnoni colosso inscripto [3]), Armeniam administraverit necesse est, simulatque ea provincia constituta est. Censum igitur Brittonum paucis tantummodo annis ante a. 114 egisse putandus est. De loco, quo constitutus censitor fuerit, idem valet, quod infra de Munatio Aurelio Basso disputabitur.[4])

Iam videamus, quinam Brittones Anav., quorum censitor Nepos fuit, intellegendi sint et ubi sedes habuerint. Sed cum Mommsenus 'Brittones' pari iure atque ii, qui 'Britanni' nominantur, ad ipsam insulam, non ad Belgicam revocandos esse abunde demonstraverit[5]), hoc unum restat, ut quam partem insulae Brittones Anav. incoluerint et quo modo illa abbreviatio 'Anav' perlegenda sit, quantum potero, disquiram. Ad quaestionem diiudicandam unus tantum titulus praesto est, qui aliquid conferat. Nuperrime enim ad vicum 'Brough' comi-

---

1) De nominis restitutione cf. Borghesi op. V p. 3 sq.; Wilm. 1249[b].

2) Borghesi op. V p. 22; Dierauer l. c. p. 163.

3) C. I. L. III, 39 'Anno V̄ Hadriani imp. n. T. Haterius Nepos praef. Aeg. audit Memnonem XIĪ k. Mart.' = die 18. m. Febr. a. 121.

4) Cf. p. 33.

5) Eph. epigr. V p. 177 adn. 1.

Digitized by Google

tatus 'Derby' in media Britannia lapis milliarius repertus est, in quo hae fere inscriptionis reliquiae extant:

///IB · POT · C◦S · I///
///IP · P · ANAVIONE
MP · $\overline{XII}$(I?)

Quod milliarium, quin ad Brittones Anav. eius tituli, de quo agitur, spectet, vix est quod possit dubitari. In ea igitur regione, qua hodiernum Brough est, illa Brittonum gens habitasse videtur. Quod vero proprium eius nomen fuit? Watkinius, qui primus milliarium publici iuris fecit, cum versum secundum exeuntem et tertium solvendos esse crederet 'a Navione millia passuum $\overline{XII}$', titulum Nepotis legit 'censitori Brittonum a Nav(ione)'. Huic opinioni R. Mowatius, qui iterum illud edidit [1]), recte opinor contendit adversari imprimis praepositionem cum nomine coniunctum. Quare legi vult 'censitori Brittonum Anav(ione)'.[2]) Sed ut hanc lectionem meliorem esse Watkiniana concedam, tamen non modo anteponendum, verum etiam solum recte se habere crediderim [3]) id, quod iam Henzenus milliario illo nondum reperto proposuit 'censitori Brittonum Anav(ionensium)'.

---

1) Cf. *Bull. de Corr. epigr.* V p. 324 sq., ubi Watkinii editionem indicat.

2) Ad argumenta a Mowatio allata unum addere liceat, quod et in milliario et in titulo Nepotis spatium inter primas litteras A et N vocabuli Anav. non id est, quod inter duo vocabula, sed id tantum, quod inter singulas eiusdem vocabuli litteras interici solet. Quamquam scio hoc minoris momenti esse, cum in hac quoque re tituli differant.

3) Quae cum ita sint, valde dubium mihi videtur, num id, quod Mommsenus (Herm. XIX p. 225 adn. 2) de Brittonis Curuedensibus, Triputiensibus etc. statuit, nomina secundo loco posita non ad originem militum, sed ad stativa spectare, omnino probari possit. Sed latius patet haec quaestio, quam quae hic pertractetur. Eos vero, quorum id interierit, moneo, ut conferant, quae Urlichsius disseruit *Bonn. Jahrb.* LX p. 72 sq.

Digitized by Google

24. *C. I. L. VIII, 5355* (Calamae; Num. proc.)

Lapis, qui tam est mutilatus, ut certi quidquam inde sumi nequeat, tamen abunde declarat eum, ad quem inscriptio pertinet et cui tribui Horatiae adscripto fortasse nomen fuit Steius vel Stenius vel Stertinius, sub ipso Traiano illum quidem ad rempublicam accessisse, sed Hadriano demum imperante ad consulatum pervenisse.[1] Nam cum nota 'cos' non continuo nomina excipiat, sed in extremo titulo exarata sit, verisimillimum est titulum a municipibus Calamensium in honorem patroni positum esse, cum consul designatus esset.[2] In quamnam provinciam missus fuerit ad census accipiendos, pro certo dici nequit. At si censoris officio functus est eo tempore, quo in legione VIIII Hispana stipendia faciebat — id quod probabilitate carere negarim —, ille census ad Britanniam idcirco referendus est, quia ea legio inde a Claudii aetate ad interitum usque in Britannia collocata fuit. Item quamvis parum liqueat, utrum tota provincia an pars tantum ei censenda fuerit, attamen, si id quod de provincia statuimus, recte se habet et si versus antepaenultimus recte suppletus est 'consuli designato', longe probabilius videtur esse non nisi per partem aliquam ab eo provinciae censum esse actum.

25. *Wilm. 1815* (prope novum Nomentum; It.)

Gn · Munatius · M · f · Pal | Aurelius · Bassus | proc · Aug | praef · fabr · praef · coh · III | sagittariorum · praef · coh · ite-

1) Vide v. 6 '(di)vi Traiani'. De legione VIIII Hispana cf. p. 12 et adn. 4.

2) Lapis repertus est Calamae (Num. procons.); cf. C. I. L. VIII, 5350.

Digitized by Google

rum $\overline{\text{II}}$ | Asturum · censitor · civium | Romanorum · coloniae · Victri censis quae est in Britannia | Camaloduni · curator | viae · Nomentanae · patronus · eiusdem | municipii · flamen · perpetuus | duumvirali · potestate | aedilis · dictator · $\overline{\text{II}}$ $\overline{\text{II}}$

Gn. Munatius Aurelius Bassus censitor fuit Camaloduni, quae erat colonia civium Romanorum in Britannia: antea praefectus cohortis fuerat, post curator viae factus est. De his rebus non ambigitur. Sed cum recensui singulorum honorum generalis appellatio procuratoris Augusti antecedat, quaerendum videtur, utrum procuratoris dignitatem censitor adeptus sit an curator viae Nomentanae [1]), vel quod idem fere valet, utrum censitoris officium simul cum praefectura cohortis administratum an proprium et ab eo separatum munus putandum sit. Res sane haud facilis diiudicatu. Priorem sententiam fulcire videtur, quod cohortem illam $\overline{\text{II}}$ Asturum, cui Munatius postremo praefectus fuit, demonstrari potest in Britannia tetendisse certe inde a Traiani temporibus usque ad Antoninum Pium [2]), cui aetati ne titulum assignemus non video quid per se impediat. Altera vero sententia eo confirmatur, quod Munatius non dicitur praefectus cohortis ad census accipiendos, sed peculiari titulo censitoris nuncupatur. Neque hac in re neglegendum est fieri potuisse, ut ille stipendiis emeritis sine militiis in provincia morans coloniae illi censendae operam daret.

1) Cf. Hirschfeld, *Verwaltungsgesch.* p. 112.

2) Cf. Huebner, Herm. XVI p. 576. Verisimillimum est cohortem $\overline{\text{II}}$ Asturum una cum cohorte $\overline{\text{I}}$ Ast. si non sub Domitiano, at certe sub Traiano e Germania superiore in Britanniam traductam esse. — Huebneri sane sententia est, cohortes illas Hadriano demum imperante in Britanniam venisse. Cum vero in dipl. XXIII a. 105 etiam cohortes Asturum in Britannia recenseantur, praeter primam autem et alteram nullas cohortes Asturum ibi reperiri Huebner p. 577 asseveret, iam elucet certe inde a Traiano illas auxilia exercitus Britannici fuisse. — Rursus iam sub Antonino Pio castra habuerunt in Pannonia inferiore.

Digitized by Google

26. *C. I. L. III, 3925* (Nevioduni; Pann. sup.)

T · EPPIO T F ·
QVIR · LAT|NO ·
II VIRO · IVR · DIC ·
MVNIC LATOB ·
PROC · IN / ///ARIS
TRAIAN ////////II
////|
ADC|||| / CC////
/ / / / / / / / / / /
/ / / / / / / / / / /\
/ / /I/C/ / / / / /M
//M·PROC IIII P AFR
P · D · D

v. 5—8 lege: proc(uratori) im[p(eratoris) Caes]aris Traian[i Hadrian]i [Aug(usti)] ad c[ensus a]cc[ipiendos provinciae ....

Hoc titulo a Mommseno, quantum fieri potuit, suppleto primus procurator ad census accipiendos innotescit. Apparet T. Eppium Latinum hoc officio functum esse sub ipso Hadriano atque id, ubi primum ad rempublicam accessit. Nam constat procuratura quattuor publicorum Africae, quae sola ex inscriptione praeterea enucleari potest et quae extremo loco collocata est, neminem exornatum esse nisi compluribus procuraturis provincialibus bene administratis.[1]) De provincia, in qua Latinus procurator fuit ad census accipiendos, ex ipsa inscriptione nihil cognosci potest.

27. *Henzen 6944 = Wilm. 1269* (Lugduni)

Tib · Antistio · Faus|ti · fil · Quirina · Marci|ano · domo · Circina | praef · coh · II · Hispanae | trib · leg · XV · (Apol)linaris | Piae · Fideli(s · pr)aefecto · a|lae · Sulpic(ia)e · c · R · secun|dum · mandata · impp · do|minor · nn · Augg · inte|gerrim · abstinentissim|que · procur · tres · provinc | Galliae primo · umquam | eq · R · a · censibus · accipi|endis · ad · aram · Caesa|rum · statuam · equestrem · ponendam · censue|runt.

Ti. Antistius Marcianus, cui concilium trium Galliarum propter integritatem abstinentiamque equestrem statuam ponen-

1) Cf. Liebenam, *Die Laufbahn der Prokuratoren bis auf die Zeit Diokletians* tab. 34.

Digitized by Google

dam decrevit, primus eques Romanus a censibus accipiendis fuisse dicitur. At complures alios viros equestres censibus in Galliis agendis operam dedisse exploratum habemus. Quonam igitur sensu illud accipiendum est? Nempe eo, Marcianum primum totius provinciae censui praefuisse, cum antea hominibus equestri loco ortis non nisi pars provinciae censenda fuisset. Quam sententiam ut probemus, primum de tempore tituli agamus. Ipsa litteratura, ut Henzenus adnotavit, ad saeculum secundum vergens ducit; sed certius argumentum eo efficitur, quod duo illi Augusti, quibus imperantibus titulus conceptus est, domini appellantur. Nam monumenta publica, in quorum numero hic titulus certo habendus est, quae quidem ante Commodum posita sint, domini appellationem imperatoris omnino ignorant; at cum sub ipso Commodo illa appellatio primum ac semel compareat, inde a Severi aetate per totum imperium usu recipitur.[1]) Quare censeo illos Augustos non Marcum et Verum, sed Severum et Caracallam intellegendos esse.[2]) Quam in sententiam ipsae res optime quadrant: satis evidenter supra ostendisse mihi videor etiam circiter a. 200 aut non multo post M. Valerium Braduam Mauricum et Q. Hedium Rufum Lollianum Gentianum, utrumque consularem, illum Galliae Aquitaniae, hunc Lugdunensis census accepisse.[3])

Restat, ut quaeratur, utrum Marcianus procurator a censibus accipiendis trium Galliarum an unius tantum provinciae ex illis fuerit. Ac primum quidem per se prorsus veri dissimile est census Galliarum, tanti momenti negotium, quod ad hoc tempus per singulas provincias a singulis legatis Augusti pro praetore iisque consulatu functis actum erat, tum uni equiti Romano mandatos esse, qui num stipendiis vix emeritis notitiam rerum ad administrationem pertinentium accuratiorem

1) Cf. Mommsen, *Röm. Staatsr.* II³ p. 739.

2) Borghesi op. V p. 8 rem in medio reliquit; Roulez, *Les procurateurs de la Belgique et de la Germanie inférieure* (‘Mém. de l’acad. de Bruxelles’ XLI. 1875 p. 15) imperatores Marcum et Verum intellegit nullo tamen huius opinionis argumento allato. 3) Cf. p. 18 sq.

Digitized by Google

habuerit, iure possis dubitare. Accedit, quod procuratorem aliquem illius ipsius temporis habemus ad census accipiendos Galliae Aquitanicae [1]), Belgica autem numquam cum Lugdunensi ab eodem procuratore administrata est.[2])

28. a) *C. I. Gr. 3751* (Nicaeae)

. . . . . | *χειλίαρχον · λεγ · ιδ΄· Γεμιν · | χειλίαρχον · λεγ ιε΄ ἐπιτρ · | τῶν · Σεβ · ἐπαρχείας · Γαλλίας | Ἀκυιτανικῆς · ἐπὶ · κῆνσον | ἐπίτρ · ἐπαρχείας Μυσίας | τῆς · κάτω · ἐπίτρ · ἐπαρχείας | . . ρκης · ἐπίτρ · δουκ · ἐπαρ|χείας · Δαλματίας · καὶ · Ἴστρί|ας · ἐπίτρ · δουκηνάριον | Ἀλεξανδρείας · τοῦ · ἰδίου | λόγου | Δουκῆνος Ἀρχέλαος τὸν | . . ουφιλον καὶ . . . . .*

b) '*Révue archéol.*' *1883 p. 207* (In Aegypto)

Τ · Αὐρήλιος · Καλπουρνιανὸς | Ἀπολλωνίδης · χιλίαρχος | λεγιωνος ιδ΄ · Γεμινης | χιλ · λεγ · ιγ΄ · Γεμίνης ἐπί|τροπος Γαλλίας Ἀκουιτα|νικῆς ἐπὶ · κήνσων ἐπί|τροπος Μυσίας τῆς κά|τω · ἐπὶ Θρᾴκ(η)ς · ἐπὶ | Δελματίας · ἐπὶ · Αἰγύπτ|ου · ἰδίου · λό|γου | ζήσας ἔτη νε΄.

Duo ordines honorum, quos tituli supra relati exhibent, cum mirum in modum inter se consentiant, si quam variae quamque multae fuerint praefecturae et procurationes imperatoriae animadverteris, abunde probant utrumque titulum ad eundem pertinere hominem. Quod quo melius cognoscatur, singulos honores, sicut in utroque titulo recensentur, inter se comparatos subscribam:

1. *χειλίαρχον λεγ. ιδ΄ Γέμιν.*	1. *χιλίαρχος λεγιῶνος ιδ΄ Γεμίνης*
2. *χειλίαρχον λεγ. ιε΄*	2. *χιλίαρχος λεγ. ιγ΄ Γεμίνης*
3. *ἐπίτρ. τῶν Σεβ. ἐπαρχείας Γαλλίας Ἀκυϊτανικῆς ἐπὶ κῆνσον*	3. *ἐπίτροπος Γαλλίας Ἀκουιτανικῆς ἐπὶ κήνσων*
4. *ἐπίτρ. ἐπαρχείας Μυσίας τῆς κάτω*	4. *ἐπίτροπος Μυσίας τῆς κάτω*

1) Vide sequentem titulum.

2) Procurator trium Galliarum C. I. L. II, 1970 aeque ac ille VI, 1624 Lugdunensem, Aquitaniam, Narbonensem administrasse videtur. Plerumque eadem procuratione coniunguntur cum Lugdunensis et Aquitania, tum Belgica et utraque Germania: cf. Liebenam l. c. tabb. 1 et 2.

Digitized by Google

5. *ἐπίτρ. ἐπαρχείας Θρᾴκης*	5. *ἐπὶ Θρᾴκης*
6. *ἐπίτρ. δουκ. ἐπαρχ. Δαλματίας καὶ Ἰστρίας*	6. *ἐπὶ Δελματίας*
7. *ἐπίτρ. δουκηνάριον Ἀλεξανδρείας τοῦ ἰδίου λόγου.*	7. *ἐπὶ Αἰγύπτου ἰδίου λόγου.*

Singula quae differant, si quaeres, haec invenies:

a) altero loco habet: ΛΕΓ IE

b) : ΛΕΓ · IΓ · ΓΕΜΙΝΗC

Hic sine dubio *a* mendum continet. Neque enim quidquam cogit lapicidae peccatum statuere, sed errorem subesse crediderim eius qui titulum descripsit, quoniam facillime Γ et E commutari possunt, si lapis vetustate adesus rimas egit, quae ad litterarum similitudinem accedentes una cum litteris incisis vel peritissimum hominem decipiant. Quod *a* etiam cognomen legionis omisit, cave argumentum contrarium existimes. Ut enim IE re vera in lapide extiterit, tamen cognomen adscribi oportuit. Duae nimirum legiones decimae quintae notae sunt, quarum alteri cognomen fuit Apollinari, alteri Primigeniae. Ceterum cognomen omissum eo minus offensionis habet, quod constat legionem decimam tertiam et decimam quartam sibi cognomines fuisse.

Sexto deinde loco *a* procuraturam Dalmatiae et Histriae, *b* priorem tantum affert. Quae differentia, si attenderis, quam astricte *b* omnino scriptum sit, nullo negotio eo explicatur, quod Histria [1]) utpote provincia multo minor Dalmatiae nomine includitur. Nullus adhuc procurator Histriae innotuit, sed quotiens commemoratur, idem est procurator Dalmatiae. Qua de causa probabiliter colligitur Histriae rationes omnino cum Dalmaticis administratas esse.[2]) Quae opinio eo fortasse commendatur, quod is, qui 'procurator Dalmatiae et Histriae' dicitur, idem salarium accipiebat atque 'procurator Dalmatiae.'[3])

---

1) Histriam melius scribi quam Istriam Mommsenus observat C. I. L. V p. 1. 2) Cf. C. I. L. III p. 280; V p. 1.

3) Nam ut e titulo *a* discitur procuratorem Dalmatiae et Histriae ducenarium fuisse, ita titulus fere aequalis C. I. L. III n. 1985 procuratorem profert ducenarium provinciae Dalmatiae.

Digitized by Google

Quod denique *b* Apolloniden enuntiat *ἐπὶ Αἰγύπτου ἰδίου λόγου*, *a* vero *ἐπίτροπον δουκηνάριον Ἀλεξανδρείας τοῦ ἰδίου λόγου*, compares velim exempla apud Marquardtium (II² p. 311 adn. 1) diligenter collecta: iam cognosces idem munus intellegendum esse.

Quare nihil opinor obstat, quominus initium tituli *a* suppleamus: *T. Αὐρήλιον Καλπουρνιανὸν Ἀπολλωνίδην κτέ.*[1])

Postremo ut epocham Apollonidae determinemus, *οἱ Σεβαστοί* sine dubio Severus et Caracalla sunt, cum titulum *a* saeculi secundi exeuntis vel tertii esse videri Boeckhius adnotaverit.

29. *C. I. L. VI, 1644 et add. p. 854 col. 3* (Romae)



Duo haec fragmenta ab Henzeno feliciter coniuncta atque acute suppleta ad hominem spectant, qui ad summum usque dignitatis gradum pervenit — praefecturam dico praetorio — ad quem ei, qui equestri loco natus esset, aditus patebat. Omnibus militiae gradibus defunctus primum duas provincias profecto haud ita magnas procuravit, quarum alterius tantum nomen 'Hosroëne' in lapide lacero extat[2]), deinde classi alicui praefectus est, tum procurator fuit ad census accipiendos provinciae sive Galatiae sive Dalmatiae.[3]) Neque enim de praefecto classis ad census accipiendos cogitari potest, quia ea aetate, cui titulus adiudicandus est, censitoris officium pe-

1) Coniecturam adnotare liceat Apolloniden patrem habuisse eum, qui '*Αὐρήλιος Ἀπολλώνιος ὁ κράτιστος ἐπίτροπος τοῦ Σεβαστοῦ*' dicitur in duobus titulis repertis Apolloniae Pis. C. I. Gr. 3969. 3970.

2) Altera fortasse Mesopotamia fuit: cf. Liebenam l. c. p. 25.

3) v. 4 'prov . . . . . atiae' et 'provinc. Galatiae' et 'provinc. Dalmatiae' fuisse potest.

Digitized by Google

culiare et a militiis separatum constitutum erat. Sed haec infra disputabuntur.[1]) Iam de tempore tituli videamus. Ad quod recte definiendum nulla fere res alicuius momenti adest nisi quod ille procurator Osrhoënae fuit. Quam terram cum Traianus a. 115 ita subiecisset, ut regulum indigenam solio avorum non depelleret[2]), Caracallam demum in provinciae formam redegisse et imperio Romano adiecisse rerum scriptores tradunt.[3]) Sed iam ante Caracallam Osrhoënen certe aliquamdiu in Romanorum potestate fuisse idcirco verisimile est, quia Severo imperante procurator provinciae Osrhoënae extitit; neque sine aliqua probabilitate Hirschfeldius[4]) coniecit occupavisse eam Severum inter expeditiones Parthicas intra a. 195 et 199. Quodsi litterarum, quas Henzenus adnotat saeculi alterius esse, rationem habuerimus, haud scio, an ipsi aetati Severianae recte titulum attribuamus.

30. *C. I. L. VIII, 9370* (Caesareae; Maur. Caes.)

C · Octavio · Puden|ti · Caesio · Honora|to · proc · Auggg | a · censibus | Cornelius | Primus | de(c · ala)e · Thrac | ex · (str)atore | (e)ius | praesidi · in|nocentissimo.

C. Octavius Pudens, quem hic titulus procuratorem trium Augustorum, scilicet Severi Caracallae Getae, a censibus dicit, simul praeses fuit Mauretaniae. Hoc cum eo evincitur, quod praeses nuncupatur et in hoc titulo et in altero eadem in provincia posito[5]), tum quod stratorem habuit, quo uti nemini licebat nisi legatis Augusti pro praetore, legatis legionis iisque procuratoribus, qui ipsi quoque praesides erant cuiusdam provinciae Caesaris.[6]) Utrum Pudens procurator a censibus

---

1) Cf. B cap. II et III ex.
2) Dio Cass. 68, 18—21.
3) id. 77, 12.
4) *Verwaltungsgesch.* p. 261 adn. 2. — Eum titulum exhibet Allmer, *inscr. de Vienne* IV p. 449.
5) C. I. L. VIII, 9049.
6) Cf. Cauer, Eph. epigr. IV p. 406 sq.

Digitized by Google

utriusque Mauretaniae fuerit an solius Mauretaniae Caesariensis, intra cuius fines uterque titulus repertus est, quamquam certo illud quidem diiudicari nequit, tamen in priorem sententiam inclino, cum eo ipso tempore, quo Pudens id officium sustinebat, utramque Mauretaniam saepius ab uno procuratore administratam esse sciamus.[1])

31. *C. I. L. VIII, 10500* (Thysdri; Afr.)

L · Egnatuleio · P · f · Gal · Sabino · pontific | Palatuali · proc · Aug · XXXX · Galliarum | proc · Aug · ad · epistrategian · Thebaidos | proc · Aug · ad · census · accipiendos | Macedoniae · praef · gentis · Cinithiorum | trib · leg · IIII · Scythicae · l(eg) ..... | Geminae · flam · Aug · c(ol Thysdritanae) · Egnatuleia · P · f · Sabina · F ..... | L · Egnatuleius · Sabinus · T · f .....

L. Egnatuleius Sabinus, postquam stipendiis emeritis praefectus fuit gentis Cinithiorum, nationis haud spernendae Africae[2]), statim procuraturam ad census accipiendos Macedoniae accepit. Ceteros, quos titulus recenset honores non omnes repetam praeter flaminatum Augustalem. Nam si supplementum v. 7, quod Mommsenus submin̄istravit, 'flamini Augustali coloniae Thysdritanae' recte se habet — id quod cum titulus Thysdri repertus sit, vix in dubitationem vocari potest — quamvis incertum tamen aliquod temporis indicium habemus. Thysdrus enim, quam etiam Plinius N. H. V, 30 inter oppida libera refert, ante saeculum secundum vergens colonia videtur facta esse.[3]) Quare non dubito titulum ipsi saeculo secundo adscribere, praesertim cum 'literis pulchris' incisus sit neque quidquam inferiorem aetatem prodat.

1) Cf. C. I. L. VIII, 9366. 9371.
2) Tac. ann. II, 52; cf. Marquardt I² p. 554.
3) Cf. C. I. L. VIII p. 12.

Digitized by Google

32. *C. I. L. VIII, 7070* (Constantinae; Num.)

/ / / IONIO / / /
BVS & LEG R!! / / *leg. iiii*
FLAVIAE FeLIcis
/ VM CENSITORI
/ N TVSCAE / / /
/ / / / NT / / / / *misso contra*
REBELLES PRO
/ / / / / / BRVM
EX TES *tamento*
O P A C I L I
MAG P / / /
L & D *d d*

Sic fere legendum: [praeposito vexillat]ioni[bus tri]bus leg . . ., [leg. IIII] Flaviae F[e]li[cis, leg.] V̄ M(acedonicae), censitori [conve]ntus Caes[araugus]t[ani, misso contra] rebelles pro[vinciae..... praefecto fa]brum. Ex tes[tamento] Q. Pacili mag(istri) p[agi].

Mommsenum, qui pro sagacitate sua inscriptionem restituere et lacunas explere studuit, si sequimur, hic titulus censitorem profert conventus Caesaraugustani, qui est unus ex septem, in quos Hispania citerior divisa erat. Antea is, ad quem titulus spectat, tribus vexillationibus praepositus fuisse videtur. Vexillationes autem cum singulae plerumque centurionibus, complures vero sub eodem duce coniunctae tribunis militum parere solerent [1]), concludendum est hunc censitorem antea tribunum militum, itaque equestri loco ortum fuisse. Ceterum idem eo efficitur, quod etiam praefecturam fabrum habuisse videtur, quam semper in equestribus militiis collocatam fuisse notissimum est.

Quod attinet ad tempus, nihil pro certo dici potest nisi titulum ut propter legionem IIII Flaviam Vespasiani imperio posteriorem, ita propter praefecturam fabrum saeculo tertio antiquiorem esse.

33. *C. I. L. V, 7784* (Albengae; It.)

P Muc P Sil | Publico Vero | aequiti · Romano | patrono municipii | trib (le)g I(I)I Galli(c) | censitori | provinciae · Thraciae | civi · optimo | semper · pro · muuicipi | incolumit · sollicito | plebs · urbana.

1) Marquardt II² p. 466.

Digitized by Google

P. Mucius Verus censitor provinciae Thraciae fuisse fertur. At cum iam legatum Augusti pro praetore censitorem provinciae Thraciae noverimus [1]), haud ita veri simile videtur alio tempore hominem equestri loco ortum post tribunatum militum semel susceptum huius totius provinciae censum egisse. Magis etiam, ut alia omittam, offendit, quod Mucio cognomen Publico fuisse dicitur. Dummodo igitur omnis de fide tituli suspicio amota sit [2]) — lapis ipse interiit —, non ultra ei credendum esse putarim, quam ut simile statuam ac de Aemilio Fraterno: [3]) censitorem provinciae Thraciae magniloque usurpatum esse, quamquam ille nonnisi partem provinciae censu-erat. Dixerit quispiam Thraciae censendae Verum operam dedisse ante Traianum i. e. eo tempore, quo sub procuratoribus erat. Sed huic opinioni maxime repugnat nimia tituli loquacitas, quae aetatem inferiorem ostendit.

34. *C. I. L. VI, 3842* (Romae)

. . . . . C I O ·
. . . . . *se*C V N D O
cos? *procos. prou. mace*D O N I A E
. . . . . C V R ·
*pluriumq rerum publ*I C A R V M ·
*per . . . leg . leg . . . it*ALIC · ITEM ·
. . . . . *item l*EG · XI · CL ·
. . . . . *ce*N S I T O R I ·

Lapis nimis mutilus lacerque est, quam ut de restituenda inscriptione aliqua cum confidentia iudicare possis. At id unum dicere licebit, v. 6 'legato legionis' vix recte suppletum esse. Nam is, in cuius honorem memoriamque titulus positus est, eundem gradum in tribus legionibus tenuisse videtur, cum v. 7 minimum ad unam legionem inserendam spa-

1) Cf. n. 15.

2) Videsis, quam varie titulus tradatur. V. 2 in 'Publico' latet fortasse tribus, cum Albingaunenses, a quibus titulus positus est, tribui Publiliae adscripti fuerint; legendum igitur fortasse 'P. Mucio P. fil. Publil. Vero etc.' 3) Cf. n. 20.

Digitized by Google

tium sufficiat. Fit sane nonnumquam, ut legatio legionaria iterum suscipiatur: tertium vero eius susceptae nullum exemplum investigare potui. Rursus haud ita pauca exempla praesto sunt, quae tribunatum militum probent vel senatorii ordinis homines iterum ac tertium sustinuisse. Accedit, quod singuli tribunatus per ‘item’ coniungi solent [1]), idque etiam in hunc titulum cadit. Quare scribendum puto ‘tribuno mil. leg. . . . . .’ Quae si recte disputata sunt, multo veri similius videtur esse illum censitorem, ut ita dicam, inferioris gradus fuisse h. e. partis tantum alicuius provinciae censum egisse, praesertim cum nihil obstet, quominus eum stipendiis emeritis procurationes administrasse, itaque non senatorii, sed equestris ordinis fuisse arbitremur. Consentaneum est tum v. 3 supplendum esse ‘procuratori provinciae Macedoniae.’ Valde dolendum est, quod editor nihil de litterarum forma adnotavit. Quodsi fecisset, tituli aetas certe aliquatenus determinari poterat, cum censitor antea tribunus militum unius ex iis legionibus fuerit, quibus cognomen Italica fuit et quarum primam constat a Nerone, alteram et tertiam a M. Aurelio institutam esse.

III

35. *C. I. L. V, 865 cf. add. V 2, p. 1025* (Aquileiae)

Renierius (*Mél. d'Épigr.* p. 81) supplementum a Borghesio suggestum vv. 10. 11 ‘legatum per Africam Mauretaniamque’ refutans proposuit ‘dilectatori per Africam Mauretaniasque.’ Quod Mommsenus cum primum (C. I. L. V, 865) probasset, postea (ib. V 2, p. 1025) retinendum esse negavit [2]), quia dilectatores, qui invenirentur, equestris ordinis essent omnes; potius scribendum esse ‘censitori per Africam Mauretaniasque.’ Sed ne hoc quidem recte positum mihi videtur. Inveniuntur scilicet homines senatorii ordinis, qui censitoris nomine nun-

1) Cf. C. I. L. II, 4510; III, 550 etc.
2) Cf. *Röm. Staatsr.* II² p. 820.

Digitized by Google

cupentur, sed quando totius provinciae censum egerunt, sine exceptione nisi consulares, at certe praetorii fuerunt, cum Caesernius, quem provinciae Africae Mauretaniisque censendis operam dedisse Mommsenus vult, sola quaestura functus esset. Ne ad partem tantum provinciae eius censum pertinuisse putemus, impediunt et ipsa verba ‘per Africam Mauretaniasque’ et quod censitores inferioris ordinis omnes, quos quidem noverim, aut equestri loco orti sunt aut gradum dignitatis obtinent huic congruum velut tribunatum militum. Quae cum ita sint, aliud mihi liceat proponere supplementum ‘com(iti) imp(eratoris) per Africam Mauretaniasque.’ Etenim cum Mommsenus id, quod Borghesius posuit, hunc Caesernium filium fuisse T. Caesernii Statii Quinctii Statiani Memmii Macrini (C. I. L. VIII, 7036), qui sub Hadriano et Antonino Pio fuit, iam acute redarguerit, nihil obstat, quominus eum cognatum fere aequalem fuisse ducamus. Quodsi eum comitem imperatoris per Africam Mauretaniasque usurpavi, sentio eum imperatorem Hadrianum, cum a. 128 Africam adiret, comitatum esse. [1])

1) Cf. Dürr, *Die Reisen des Kaisers Hadrian* p. 37 sq. — Quod G. Mas-

Digitized by Google

Deinde Romae tribunatum plebis et praeturam obiit, his vero honoribus gestis comes imperatoris fuit in parte saltem alterius itineris, quod per Orientem ille per quinque fere annos fecit ab a. 129 ad a. 134.[1])

36. *C. I. L. X, 3852* (Capuae)

. . *clodio* P · F
. . . *cap* I T O N I
. . . . . N O · P R
*ad censu*S · PROVINC
*pann*ONIAE · QVAEST
*triu*MVIRO · CAPITALI
quod EX · REDITV · ~~HS~~ · ↀↃↃ
legato A · CLODIS
*rei publ*ICAE · CAMPANORVM
*uiae tute*LA · PRAESTATVR

Huius inscriptionis vv. 4. 5. Mommsenus supplevit ‘ad census provinciae Pannoniae.’ Opinatur nimirum magistratum aliquem fuisse, qui simpliciter dictus esset ‘ad census provinciae . . . .’ Sed etiamsi homines et senatorii et equestris ordinis haud pauci inveniuntur, quorum censendi munus ita significatur, ut verba ‘ad census provinciae (accipiendos)’ addantur dignitatis notae velut ‘leg. Aug. pr. pr.’ vel ‘procur.’ vel ‘trib. mil.’, tamen simplex titulus ‘ad census’ non legitur. Praeterea medius inter quaesturam et praeturam gradus desideratur neque ullum in titulo indicium adest saeculi tertii, quo medio aedilitas et tribunatus e legitimo honorum ordine sublata sunt. Nam alter titulus, quem quippe una cum hoc repertum et ad verbum paene cum eo consentientem eodem fere tempore scriptum esse optimo iure colligi potest, tribunatum etiam

---

queray in *Comptes rendus de l'acad. des inscr. et bell. lettr.* 1883 p. 197—200 statuit Hadrianum iam a. 120/121 illud iter fecisse, conferas velim, quae contra eum dixit Mommsenus Eph. epigr. V p. 80.

1) Dürr l. c. p. 33; 59—66; 124.

Digitized by Google

plebis suo loco exhibet.[1]) Quare magis crediderim in lapide fuisse: (TR·PL·Q·PR·P)R[2])·PROVINC
(MACED)ONIAE·QVAEST

37. '*Bull. della comm. arch. com. di Roma 1883*' *p. 224*

. . . . . .
*leg . diui . clau*DI·PRO·PR·PROVIN*c . moe*
siae . cur . census GALLICI · PRAEF · VRB*i*
iterum . huic SENATVS · AVCTÓR*e*
*imp . caes . uesp*ÁSIANO · FRATRE
*clupeum . po*SVIT · VÁDIMON*is*
*honoris . cau*SÁ · DILATIS *fu*
nus censorium CENSVIT · STA*tuam*
in . foro . diui AVGVSTI *ponen*
dam . decreuit

Sic Mommsenus titulum ut mutilatum ita apprime notabilem doctissime restituere studuit. Neque meum est omnia, quae proposuit, rectene suppleta sint disquirere. At cum id, quod v. 2 praeivit 'curator census Gallici' ad rem a me pertractandam imprimis pertineat, paullo accuratius id intueamur necesse est. Eius supplementi causas Mommsenus has duas sine dubio habuit: unam, quod putat ad provincias censendas peculiares legatos missos esse, alteram quod trium Galliarum census etiamtum uni legato commissos esse opinatur.[3]) Priorem causam cum infra demonstraturus sim inanem esse, ne alteram quidem commode excogitatam hoc loco satis sit paucis ostendisse. Quamquam enim revera totius Galliae census bis

1) C. I. L. X, 3851: C · Clodio · C · f | Quir · Adiutori | praetori | tribuno · plebis | quaestori · quod · ex · reditu · ~~HS~~ · ↀↃↃ | legato · a · Clodiis | reipublicae · Campanorum | viae · tutelae · praestatur.

2) Cum titulus manuscriptis modo codicibus servatus sit, non puto quemquam offendere, quod pro S, quod traditur R posui. De quaestura iterata cf. Mommsen, *Röm. Staatsr.* II² p. 247 sq.

3) Nam qui aliter verba 'curator census Gallici' intellegi possint atque ut Sabinus dicatur totius Galliae census accepisse, equidem non video.

Digitized by Google

ab uno viro, a Druso et a Germanico, actos esse negari nequit, attamen hac in re minime neglegendum videtur cum Caesares eos fuisse, tum imperium iis plane singulare demandatum esse, ita ut nequaquam idonei sint, quibuscum comparatio fiat.[1]) Postea autem Galliarum census ut eodem semper tempore ita per singulas provincias a singulis legatis acti sunt.

Sed ut Sabinus fuerit curator census Gallici certe non fuit nisi post legationem Moesicam. Hanc autem, licet tota in imperium Claudii inciderit, id quod non ita veri est simile, non ante a. 44 iniit[2]) atque, cum Moesiam per septem annos administrasse dicatur[3]), certe ad a. 51 obtinuit. Census igitur Galliarum, quos Sabinum habuisse Mommsenus statuit, ultimi fuerint necesse est ante eos, quos a. 61 a tribus consularibus actos esse accepimus ita sine dubio, ut unus Lugdunensem, alter Aquitaniam, tertius Belgicam censeret.[4]) Quodsi primum eo anno negotium censendi sic divisum fuisset, pro certo dici potest futurum fuisse, ut Tacitus id attenderet atque commemoraret: e silentio scriptoris concludere potius licet provinciarum Gallicarum census separatim actos esse ex eo tempore, quo separatae sunt earum administrationes. — Quod denique ad formam supplementi attinet, minus commode procedere existimo curatorem census Gallici. Dicitur quidem ‘censum agere, facere, habere, census accipere’, non ‘censum curare.’

Quae cum ita sint, Mommseni supplementum satis refutatum esse censeo. Rursus quaerendum videtur, quidnam eo loco lapis exhibuerit. Poteras lacunam sic fere explere ‘suppressor motus Gallici’ vel ‘confector belli Gallici’, nisi constaret tumultum Vindicis per Verginium Rufum maxime oppressum esse. Haud scio, an magis probari possit ‘dux exercitus Gallici.’ Etenim Nero, ubi primum Galbam et Verginium Rufum defecisse audivit, contra eos Rubrium Gal-

1) Cf. B cap. I med. 2) Marquardt I² p. 302.
3) Tac. hist. III, 75.
4) Tac. ann. XIV, 46; cf. B cap. IV ex.

Digitized by Google

lum misit et complures alios.[1]) Qui cum fortasse singulis exercitibus praefecti essent, fieri potuit, ut ad exercitum Gallicum ducendum Sabinus eligeretur, praesertim cum summam Neronis gratiam eum sibi conciliasse perquam probabile sit.[2]) Sed tantum abest, ut supplementum a me propositum certum esse contendam, ut id solum demonstrare voluerim, posse etiam alia temptamina excogitari eaque fortasse probabiliora.

B

Caput I

Census civium Romanorum qui iam extremis reipublicae liberae temporibus nonnisi longis intervallis acti erant, sub imperatoribus mox plane atque omnino fieri desierunt. Nam censu sub Augusto ter, sub Claudio semel acto cum etiam Vespasianus a. 74 lustrum condidisset, Domitiano imperante censurae ius perpetuum cum principatu coniunctum est neque inde ulla mentio fit census populi Romani. Nimirum aetatis labentis imperatores nonnumquam, ut censura reviviscerent, operam dedisse feruntur, quae tamen temptamina haud scio an melius sit silentio praetermittere. Quaerenti vero cur tam mature ea evanuerit, duae potissimum causae in promptu sunt: altera, quod ex illo tempore, quo Perseo rege devicto ingens in aerarium pecunia invecta est, populus Romanus tributi praestandi onere vacabat; altera, quod aetate imperatoria dilectus magis magisque ab Italia ita recedebat, ut Vespasiano imperatore in legione Italici merere omnino desinerent. Sed sublatis praecipuis causis, ob quas census civium Romanorum quondam institutus erat, quo facilius intellegitur qui

1) Cassius Dio 63, 27: *ἐπεὶ δὲ περί τε τοῦ Γάλβα ἤκουσεν, ὅτι αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀνερρήθη, περί τε τοῦ Ῥούφου ὅτι αὐτοῦ ἀπέστη, ἐν δέει τε μεγάλῳ ἐγένετο, καὶ αὐτός τε ἐν Ῥώμῃ παρεσκευάζετο καὶ ἐπ' ἐκείνους Ῥούβριον Γάλλον καὶ ἄλλους τινὰς ἔπεμψεν.*

2) Tac. Hist. I, 46.

Digitized by Google

factum sit, ut ipsa censura interiret, eo maioris momenti provinciarum census fieri manifestum est, cum in eis omnis fere imperatorum potentia posita esset. Consentaneum igitur est imperatores cum multas res, quae ad provincias administrandas pertinerent, tum census earum attigisse et, prout res postularet, commutasse, ut facultates suas, scilicet quantum pecunia, quantum numero militum valerent, certo semper compertas notasque haberent. Quas commutationes Th. Mommsenus [1]) his fere duabus sententiis definivit atque complexus est:

"Das Recht, die Listen der Steuer- und Dienstfähigen aufzustellen, in republikanischer Zeit mit dem Provinzialregiment verknüpft, wird unter dem Principat von demselben getrennt und von dem Kaiser als mit dem prokonsularischen Imperium im ganzen Umfange des Reiches ausschliesslich ihm verliehen in Anspruch genommen. Es kann nicht anders geübt werden als im besonderen kaiserlichen Auftrag, der freilich auch den Provinzialstatthaltern selbst gegeben werden kann; gewöhnlich vollziehen ihn eigne kaiserliche Schatzungskommissarien, für die Schatzung einzelner Städte oder einer Anzahl Gemeinden meistens Personen von Ritterrang, für die Schatzung ganzer Provinzen oder vielmehr für die Oberleitung des municipalen Schatzungsgeschäftes in der Regel Personen senatorischen Standes als legati Augusti pro praetore."

Quod ad priorem sententiam attinet soli principi ius fuisse census per omnes provincias habendi, cum infra paucis de ea disputaturus sim, hoc loco satis sit concedere id re vera ita fuisse.

Verum longe aliter altera Mommseni sententia se habet, qua explanat, quibus magistratibus imperatores census agendos demandarint. Qua de re cum viri docti inter se dissentiant, opinionum discrepantias brevi exponere liceat. Mommsenus igitur cum Huschkio [2]) et Borghesio [3]) conspirans fieri quidem potuisse dicit, ut praesidibus provinciarum census

1) *Röm. Staatsr.* II³ p. 410.

2) Huschke, *Ueber den Census und die Steuerverfassung der früheren römischen Kaiserzeit* p. 53 sq.

3) Borghesi op. V p. 7 sq.

Digitized by Google

committerentur, sed plerumque peculiares legatos ad census accipiendos missos esse. Contra Zumptius [1]) statuit ut in municipiis qui tempore census maximum magistratum haberent ii censui praefuerint, ita praesides provinciarum census egisse. At cum haec sententia a Zumptio argumentis non fulta, adhuc prorsus neglecta sit — an viros doctos eam omnino fugisse credere mavis? —, rursus Mommseni opinio vulgo valeat repetaturque ab iis, qui de antiquitatibus Romanis scribunt iisque qui inscriptiones interpretantur, operae pretium habui accuratius in rem inquirere et id, quod Zumptius statuit, rectum esse certa ratione adhibita mihi persuasi. Quare primum placet, quaecunque scriptores veteres de censibus provincialibus tradunt — perpauca sane sunt — diligenter perscrutari atque examinare.

Ac primum quidem Suidas s. v. *ἀπογραφή* haec habet: *Καὶ ἀπογραφή, ἡ ἀπαρίθμησις. Ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγουστος ὁ μοναρχήσας εἴκοσιν ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε· δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, τῶν πρὸ αὐτοῦ τοῖς κεκτημένοις τί μὴ ἀφαιρουμένων; ὡς εἶναι τοῖς εὐπόροις δημόσιον ἔγκλημα τὸν πλοῦτον.* Quae verba Huschkius [2]) — ut ceteros errores, quos commisit, missos faciamus — hunc fere in modum interpretatus est: 'Augustum viginti viros ad census accipiendos ita creasse, ut iis non singulas provincias censendas attribueret, sed ut ad eos tamquam collegium quoddam efficientes universam censionem provincialem deferret. Licuisse vero iis inter se provincias dividere. Ceterum nonnullos saltem eorum vel ipsis provinciis censendis vel confinibus eo consilio praepositos esse, ut si qui censui obsisterent, imperio inhibito fortioribus remediis agere possent.' Rexerunt videlicet Sentius Saturninus (quem

1) Zumpt, *Das Geburtsjahr Christi* p. 160 sq.

2) Huschke, *Ueber den zur Zeit der Geburt Jesu Christi gehaltenen Census* p. 54 sq.

Digitized by Google

ante Quirinium Syriam censuisse statuit), Quirinius, Germanicus ii, quos solos Huschkius in numero viginti illorum virorum referre potest, eas provincias, quarum census acceperunt. Quae igitur res, quaeso, Augustum impedire potuit, quominus ceteros quoque singulis provinciis rectores tribueret? Equidem vereor, ne iusta ratio, propter quam non dederit, nulla possit inveniri.

Zumptius autem de eo loco in hanc sententiam disputavit, ut diceret: 'Augusto referente viginti viros ad census accipiendos cum a senatu creatos tum in senatorias modo provincias missos esse. Quae cum eo tempore decem essent, in singulas binos delegatos esse instar censorum Romanorum, ut utrique alteri intercedere liceret neque quidquam, nisi quod ambobus placuisset, valeret.' At hoc ius intercedendi quamnam vim omnino habere potuit, quandoquidem formula censualis ab Augusto per totum imperium una, omnibus provinciis et senatus et Caesaris aeque constituta est? [1]) Nempe ita in universum praescriptum erat, qua ratione census haberentur. Nam quamvis alioquin singulae provinciae natura et victu hominum inter se distulerint, tamen has differentias non tam ad ipsam census actionem pertinuisse existimo, quam eo, quale quantumque tributum et imperandum esset et exigendum. Morum autem regimen, quod exercuerant censores Romani, inter quos intercedendi ius vel idcirco valuit, ut modus aliquis potestati censoriae imponeretur, penes provinciarum censitores non fuisse pro certo dici potest.

Qua argumentatione cum interpretationes illas aliqua ex parte refutatas esse appareat, restat, ut in universum contra eas disputem. Aliquantum enim et Huschkius et Zumptius in eo peccasse mihi videntur, quod Suidae vel potius eius auctori maiorem quam par erat fidem habuerunt eamque ob causam ex eius verbis plus quam inest enucleare studuerunt. Immo meo quidem iudicio illo Suidae loco nihil refertur nisi

---

1) Zumpt l. c. p. 157. 170 sq.; Huschke, *Ueber den Census und die Steuerverfassung* p. 86 sq.

Digitized by Google

Augusto imperante per totum imperium Romanum census nova ratione factos esse, quibus per se intellegitur opus fuisse, cum id maxime ageretur, ut rationibus imperii penitus ordinandis componendisque quasi fundamenta iacerentur. Perquam probabile est hos provinciarum census primo non amplius spectasse, quam ut, ubi primum communis orbis Romani dimensuratio a Caesare patre inchoata peracta est, et, quot iugerum in singulis provinciis variae agri vectigalis constitutiones essent, accuratius describeretur et hominum numerus computaretur. [1]) Has duas res sane Augustum compertas habuisse oportet, ut eiusmodi rationarium imperii conscribere posset, quale constat eum reliquisse. Tantum autem abfuit, ut census eodem tempore omnes fierent, ut contra provinciae occidentales, quia primae ordinatae erant, primae censerentur.[2]) Sed vel hoc haud scio an nimio plus disputatum sit, si ea tantummodo, quae apud Suidam leguntur, respexerimus. Magis enim Lucam evangelistam (II, 2), qui censum Syriae a Quirinio actum ad *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην* pertinuisse falso opinatus est, Suidae auctor videtur secutus esse, praesertim cum verba, quae sunt *ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο*, animadverterimus. Quamquam de hac re hoc loco quidquam discernere nolo. Illud vero, Augustum viginti viros ad census delegasse — id quod cum narratione quae fertur de censu orbis terrarum nonnisi levissimo vinculo coniunctum est — Suidae auctorem, nescio quem scriptorem ecclesiasticum[3]), sibi habere iusserim, cum valde probabile sit eum suo Marte id addidisse, ut censum ab evangelista commemoratum aliquid explanaret. Primum enim idonea explicatio, ut supra vidimus, nulla in-

---

1) Cf. Rodbertus, *Zur Geschichte der röm. Tributsteuern seit Augustus* in 'Hildebrand's Jahrbb. für Nationalök. u. Stat.' V (1865) p. 135 sq.; p. 241 sq. 2) Rodbertus l. c. p. 170/1; 266.

3) Scriptorem ecclesiasticum eum fuisse praeter verba *ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο* ea quoque demonstrare videntur, quae sunt *ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον* et *ὡς εἶναι τοῖς εὐπόροις δημόσιον ἔγκλημα τὸν πλοῦτον*. Ceterum quantopere ille statum imperii Romani ignoraverit, dilucide declarat *ὁ Καῖσαρ Αὔγουστος ὁ μοναρχήσας*.

Digitized by Google

veniri potest, quae ex parte saltem ipsis rebus confirmetur. Deinde vero Suetonio, Cassio Dione omnibusque historicis tacentibus illius Suidae auctoris fides atque auctoritas multo minoris aestimandae sunt, quam a quibus subtilior aliqua de statu imperii Romani quaestio proficiscatur. Hoc denique certum duco ad eam controversiam, de qua agitur, diiudicandam, num peculiares ad census accipiendos magistratus instituti sint, Suidae locum nihil valere. Licet enim ad rem pertinere videantur verba *ἐπιλεξάμενος ἔπεμψε*, tamen si comparaverimus, quae Iosephus[1]) et Eusebius[2]) de Quirinio narrant, quem praesidem Syriae et Iudaeae censum egisse hodie non ambigitur, nequaquam nos cogi cognoscitur, ut in illis verbis de peculiari quodam magistratu cogitemus.

Praeter Suidam iam abunde pertractatum exiguus scriptorum veterum numerus praesto est, qui census in provincia habiti mentionem faciunt. Iis nimirum praetermissis, quibus agendis ipsi imperatores praeerant, eorum modo:

1. quos per Gallias a. a. C. n. 12 a Druso[3]); inter a. p. C. n. 14 et 16 a Germanico et a P. Vitellio et a C. Antio, legatis eius[4]); a. 61 a Q. Volusio, Sextio Africano, Trebellio Maximo[5]);

2. per Syriam a. p. C. n. 6/7 a P. Sulpicio Quirinio[6]) actos esse traditum est, rationem habere possumus: nisi forte hoc numero etiam Drusi et Germanici census excludendi sunt, quia constat iis totius Galliae et Germaniae imperium solito prae-

---

1) Ioseph. ant. Iud. 17, 13, 5: *... πέμπεται Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος ἀνὴρ ὑπατικὸς ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ* et 18, 1, 1: *Κυρήνιος δὲ ... ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καίσαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος.*

2) Euseb. chron. ad a. ab Abr. 2015: *ταύτης τῆς κατὰ τὴν Ἰουδαίαν ἀπογραφῆς ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς Κυρίνιος ἐπιμελητὴς ἐξεπέμφθη ... οὐσιῶν καὶ οἰκητόρων ἀναγραφὰς ποιούμενος.*

3) Liv. per. 138. 139; imp. Claud. or. pro iure hon. Gall. in Nipperdeiana Tac. ann. II p. 306.

4) Tac. ann. I, 31; II, 6.

5) Tac. ann. XIV, 46.

6) Cf. adn. 1; Mommsen, R. g. d. Aug.² p. 160 sq.; p. 176.

Digitized by Google

sidum provinciarum multo maius demandatum fuisse.[1]) Ceterum addiderit quispiam fieri omnino non potuisse, ut in provinciam a Caesaribus rectam peculiares legati ad census accipiendos mitterentur. At si nihilo minus eos respicere volumus, nihil efficiunt nisi praesides provinciarum censibus praefuisse.

Secuntur Galliarum census a. 61 acti. De quibus cum Tacitus l. s. s. sic referat 'Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt, aemulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Trebellium dum uterque dedignatur supra tulere', elucet haec verba ita composita esse, ut in neutram partem quidquam probent.

Restat, ut de censu Quirinii dicatur. Sed Quirinium Syriae et Iudaeae censendae operam dedisse, cum eas provincias regeret, adeo compertum exploratumque habemus, ut si quis argumentis adhuc id fulcire studeret, opus nimis supervacaneum subiret. Ad extremum quod Sentio Saturnino Tertullianus[2]) hunc censum adiudicat, quamvis perperam hoc fecerit, certe apparet censum per praesidem provinciae habitum scrupulum ei non iniecisse.

Quibus rebus expositis satis docuisse mihi videor scriptores veteres, qui quidem, ut erant incuriosi earum rerum, quas sibi suisque notas nulla explicatione egere arbitrarentur, de provinciarum censibus aliquid commemorent, nihil aliud probare nisi censibus habendis eosdem praefuisse qui ipsis provinciis.

Agedum inscriptiones nunc consideremus. Quas si perlustraverimus, certe hi censitores invenientur, qui quin praesidis provinciae officium simul sustinuerint, dubitari non possit:

1. Torquatus Novellius Atticus legatus ad census accipiendos et dilectum et proconsul provinciae Narbonensis (= n. 1).

2. C. Octavius Pudens Caesius Honoratus procurator trium Augustorum a censibus scil. Mauretaniae (= n. 30).

3. Q. Hedius Rufus Lollianus Gentianus legatus Augusti Hispaniae citerioris item censitor Hispaniae citerioris (= n. 12).

---

1) Cf. Schiller, *Röm. Kaisergesch.* I p. 216 sq.; p. 258 et adn. 3.

2) Tert. adv. Marc. IV, 19. Sentius Saturninus Syriam rexit a. a. Chr. n. 8: cf. Mommsen, R. g. d. Aug.[2] p. 160 sq.

Digitized by Google

4. ..... legatus Augusti pro praetore provinciae Galatiae Phrygiae Pisidiae Lycaoniae Paphlagoniae item ad census Paphlagoniae (= n. 5).

Quid enim? Num ii censitores, quos tertio et quarto loco posui, officio praesidis deposito et successore iam praesente in provincia manserunt aut continuo rursus in eam missi sunt, ut censum haberent? Ecquis id dixerit?

Deinde hoc quoque magnopere animadvertendum est, longe plurimos censitores senatorii ordinis ‘legatos Augusti pro praetore’ dici, quo nomine ii tantummodo, qui provinciam regendam acceperant, nuncupari solent [1]), cum magistratus ut ita dicam extraordinarii, qui praeter praesides in provinciis comparent velut correctores provinciae, eo omnino careant.[2]) Praeterea ipse Mommsenus [3]) dicit: “Mit proprätorischer Gewalt ausgestattete, also den Statthaltern der kaiserlichen Provinzen koordinierte kaiserliche Unterbeamte kommen ausser für den Census kaum vor.” Quid ergo? Nulla re cogente hanc unam exceptionem factam esse statuamus?

Accedit, quod ‘provincia’ in titulo Cornuti Tertulli (n. 2) priore loco posita (‘legatus Augusti pro praetore provinciae Aquitaniae censuum accipiendorum’) vix aliter explicari potest nisi illum Aquitaniae idcirco praepositum esse, ut census acciperet, id quod ne Huschkium [4]) quidem, etsi causam non addidit, fugisse videtur, cum Cornutum praesidem provinciae fuisse dicat. Contra omissum illud ‘pro praetore’ in titulo (n. 10) Plotii Romani ‘legatus Augusti censuum accipiendorum Hispaniae citerioris’ perfacile explanabitur, si eum unum ex iuridicis fuisse statuerimus, quos sub legato Augusti pro praetore singulis provinciae dioecesibus praefuisse supra attigimus.

Ad extremum id minime neglegendum videtur, eodem tempore, quo censitor senatorii ordinis in provincia aliqua extitit, alium neminem praesidem eius provinciae reperiri.

---

1) Mommsen, *Röm. Staatsr.* II² p. 233 adn. 3.
2) Videsis exempla apud Marquardtium I² p. 228 adn. 1 collecta.
3) l. c. II² p. 236.
4) Huschke, *Ueber den Cens. und die Steuerverf.* p. 54 adn. 107.

Digitized by Google

Cum igitur censibus provinciarum agendis peculiares atque tamquam extraordinarios magistratus praefectos fuisse neque testimoniis neque argumentis firmari possit, saepius vero praesidibus provinciarum census permissos esse probatum atque demonstratum sit, pro certo statuendum est ut reipublicae liberae temporibus ita aetate imperatoria praesides provinciarum census accepisse. Alioquin huic sententiae cum complures res favent tum ipse usus rerum et utilitas. An vero quisquam est, qui neget, si peculiaris legatus ad census accipiendos in provinciam pari potestate atque ipse praeses missus esset, fieri non potuisse, quin sibi aemulantes alter alterum in potestate exercenda interpellaret? Neque enim dubitari potest, quin etiam censitores aliquam iurisdictionem habuerint, ut eos, qui dicto audientes non essent vel professioni aliquid subtraxissent, multa et poena afficere possent.[1] Sed vereor, ne in rebus apertissimis nimis longus sim.

Quod contra affirmandum est praesidi provinciae censum agere non licuisse nisi iussu imperatoris, si quidem ius censendi ab initio cum summo magistratu coniunctum imperatori proprium ac peculiare fuit.[2] Quod ius in suis ipsius provinciis semper exercuit neque mirum, si in senatus quoque provinciis obtinuit proconsulari scilicet imperio nisus, quo ceterorum omnium, qui pro consule provincias regebant, imperia minora essent.[3] Nam cum in professionibus censualibus quasi fundamenta posita essent et tributorum indictionis et dilectus militum, plurimum imperatoris interfuerit necesse est senatus quoque provinciarum census moderari, utpote qui solus et unus potestatem haberet milites per totum imperium conscribendi[4] quique particeps etiam esset eius pecuniae vectigalis, quae e senatoriis provinciis redibat.[5] Quod duo tantum senatorii censitores provinciarum senatus extant, Galliae Narbonensis et Macedoniae, id per se explicabitur, si

1) Huschke l. c. p. 194.
2) Mommsen, *Röm. Staatsr.* II² p. 323. Cass. Dio 53, 17.
3) Mommsen l. c. II² p. 234. 251. 826.
4) Mommsen l. c. II² p. 819. 5) ib. II² p. 965 sq.

Digitized by Google

duas potissimum res observaveris: et perpaucos adhuc censitores innotuisse et numerum provinciarum senatus multo fuisse minorem quam Caesaris. An non ex octo dumtaxat provinciis Augusti, e Gallia Aquitanica, Belgica, Lugdunensi, Hispania citeriore, Germania superiore, Paphlagonia, Syria, Thracia senatorii ordinis censitores prodierunt? Quid? quod horum plerique posteriores, illi duo vero antiquiores sunt saeculo secundo medio, ex quo fere tempore, ut infra docebimus [1]), in senatus provincias procuratores Augusti ad census accipiendos missi sunt?

Verum ut ad id, unde degressi sumus, revertamur, censum nisi iussu imperatoris fieri non potuisse lucide ex eo apparet, quod Iosephus [2]) de Quirinio narrat *πέμπεται Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος ... ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ* et *Κυρήνιος ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καίσαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος*. Haec verba aliter intellegi non possunt nisi Quirinio una cum legatione Syriaca etiam census actionem ab ipso Caesare Augusto mandatam esse.

Altera ex parte addendum est praecipuo fuisse honori praesidi provinciae censum sibi permitti. Quam ob rem factum est, ut praesides ita honorati ad proprium legati titulum verba adicerent, quae sunt ‘ad census, ad census accipiendos, censuum accipiendorum’ vel ‘censor, censitor’, quibus mandatum honorificum significari vellent. Saepius autem inde a saeculo altero ineunte simpliciter dicuntur ‘censitores provinciae.’ Honorificentius nimirum censitoris officium praesidis provinciae pariter prorsus reppulit atque ex eodem tempore ‘consularis provinciae’ pro ‘legatus Augusti pro praetore consularis provinciae’ de eo usurpatur, qui consulatu functus provinciam regendam accepit. [3]) Honoris praestantia vel eo declaratur, quod provinciae alias a praetoriis administratae, quotiens recensendae erant, consularibus dabantur. Sollemne hoc fuit in

1) Cf. p. 58 sq.
2) Cf. p. 53 adn. 1.
3) Cf. Marquardt I² p. 549.

Digitized by Google

provinciis Gallicis, quarum census alioquin proprii fuisse videntur: constat quidem hodie tres illos legatos, qui a. 61 Galliarum census egerunt, antea fasces gessisse, Q. Volusium et Trebellium Maximum a. 56, Sextium Africanum a. 59.[1]) Item posteriores censitores Galliae Aquitaniae: Cornutus Tertullus (n. 2), Bradua Mauricus (n. 11); Galliae Lugdunensis: Iulius Proculus (n. 3), Aemilius Karus (n. 7), Hedius Lollianus (n. 12) omnes consulatu iam perfuncti erant. Sed non dilatabo argumentationem; hoc unum addam, censitorem consularem provinciae Macedoniae (n. 6) vel ita explicari posse ut Terentium Gentianum prius fasces accepisse statuamus, quam de praetoria provincia senatus sortiretur.[2])

Caput II

Saeculo secundo deinde imperatoribus visum est census vel potius recensus provinciarum non amplius per praesides fieri, sed ad peculiares procuratores a censibus accipiendis (ad census accipiendos) deferri. Hi quamquam omnes equestri loco orti erant, gradum dignitatis haud ita altum obtinebant: perquam raro antea alias procuraturas easque minores gesserunt, cum alii ne tribus quidem militiis equestribus functi essent. Verum haec minoris momenti; maiora videamus, quando et quo consilio hic tamquam novus magistratus censorius institutus sit.

Primus procurator ad census accipiendos Hadriano imperante comparet.[3]) Sed — id quod vehementer dolendum est — provinciam, cuius census accepit, titulus nimis mutilatus non servavit. Proximus, qui item saeculi secundi est, huic officio

1) Cf. Klein, fasti cons. p. 36; p. 59.

2) Nescio an hoc saepius acciderit, cum post praeturam nonnumquam haud paucae legationes susciperentur, quarum uniuscuiusque velut legionis vel provinciae spatium sollemne triennium fuit. — Ceterum proconsul consularis Macedoniae redit in C. I. L. VIII, 7050; cf. Waddington, *fast. des prov. As.* I n. 158. 3) n. 26.

Digitized by Google

praeerat in Macedonia, in senatus videlicet provincia.[1]) Tum Severo et Caracalla imperantibus in Gallia Lugdunensi, quam semper Caesaris fuisse scimus, repente procurator aliquis existit, qui apertissimis verbis ‘primus unquam eques Romanus a censibus accipiendis’ dicatur.[2]) Eodem autem tempore peculiares procuratores quasi in scaenam prodeunt ad census accipiendos et Galliae Aquitaniae[3]) et Galatiae (vel Dalmatiae).[4])

Haec qui cum eis contulerit, quae supra commemoravi, post Hadrianum senatorii ordinis censitores nonnisi in Caesaris provinciis reperiri[5]), ei non dubium erit opinor, quin meo iure hoc statuam: Imperator Hadrianus census actionem ita a muneribus, quae praesidum erant, exemit, ut primus in senatus provinciis procuratores, qui census acciperent, institueret. Quod consilium ille, tametsi in ceteris quoque imperii administrationibus multa correxit atque etiam novavit, tamen ea maxime mente, quae saepius elucet, videtur inisse, ut senatus potestatem magis magisque infringeret atque equestrem ordinem ita in partes administrationis vocaret, ut senatores eius rei compotes non essent.[6]) Septimius Severus deinde illud consilium consummans etiam Caesaris ipsius provinciarum census per procuratores agendos curavit. Et hunc imperatorem in ea re nihil egisse nisi ut senatorii ordinis potestatem quoquomodo imminueret, facile inde apparet, quod census earum provinciarum, quae sub procuratoribus erant, etiamtum per praesides habebantur.[7]) Rursus nihil offensionis habet, quod sub Alexandro Severo, quem vana illa spes tenuit, senatum in pristinam dignitatem posse restitui, denuo senatorii ordinis sensitor reperitur.[8])

Potest igitur vel ex hac una parte administrationis intellegi, quantopere principes senatui diffisi sint et quomodo paullatim perfecerint, ut senatores e tota fere imperii administratione depellerent atque in eorum locum equites Romanos substituerent, homines sibi admodum deditos.

---

1) n. 31. 2) n. 27. 3) n. 28. 4) n. 29. 5) p. 56/7.
6) Cf. Hirschfeld, *Verwaltungsgesch.* p. 290 sq. 7) n. 30. 8) n. 13.

Digitized by Google

Caput III

Quoniam provinciarum census a principio per praesides habitos esse mihi videor satis ostendisse, proximum est, ut breviter exponam, quae ratio inita sit, ut negotium censendi maius, quam quod unus homo gereret, facilius conficeretur. Atque primum quidem conducere videbatur provinciam censendam in partes dividi. Qua in re consentaneum est, si provincia administrationis causa iam dispertita esset, eam partitionem Romanos secutos esse. Itaque magnae provinciae ut Hispania citerior, quae in complures dioeceses divisae erant, sic censae sunt, ut in unaquaque dioecesi is legatus, qui ei id temporis praeesset, censum ageret.[1]) Similiter iudicandum est de Germanico, cum census Galliarum duobus e legatis suis mandaret.[2]) Quamquam enim non satis constat, quomodo hi provincias inter se partiti sint, certe factum esse potest, ut censu unius provinciae perfecto reliquae duae provinciae illis legatis censendae traderentur, quia ipsi Germanico omnibus viribus atque opibus in bellum Germanicum incumbendum esset.

Ceterum in provinciis dividendis ratio constitutionis habita est, quae unicuique propria esset. Scimus enim provincias Romanas partim civitatibus partim pagis vel gentibus contineri. In oriente igitur, qui in civitates maxime discriptus fuit, exemplum Syriae extat, in qua civitas Apamena una fuit regio censualis[3]), ita nimirum ut 'civitas Apamena' non solum urbem Apameam, verum etiam universum territorium non exiguum significaret, quod ei attributum erat.[4]) Quod vero in provincia Africa quadraginta quattuor civitates una regione censuali comprehenduntur[5]), non neglegendum est eas civitates, cum provincia pro exiguitate ambitus perquam mul-

---

1) Cf. p. 18 adn. 4; p. 55.

2) Tac. ann. II, 6.

3) Ut dilucidior disputatio fiat, liceat hoc verbo uti pro eo, quod nos dicimus 'Schatzungsbezirk.'

4) n. 17. Cf. Marquardt I² p. 16 adn. 4. 5) n. 18.

Digitized by Google

tas civitates complexa sit, haud ita magnas fuisse. [1]) Etiam occidentales provinciae imperii Romani in civitates illae quidem divisae erant, sed in iis hoc nomine cum oppida tum pagi vel gentes appellantur, velut tota Gallia non plus sexaginta quattuor civitates continebat, quarum suam quaeque rempublicam habuit. [2]) Quas singulas civitates singulas regiones censuales fuisse, eius rei insignis testis est censor civitatis Remorum foederatae. [3]) Eundem Hispaniae quoque statum quondam fuisse, hoc certe testatur Clodius ille Proculus, qui 'pro censore ad Lusitanos' missus est. [4]) Cum vero Hispania cultui et humanitati Romanorum diu patuisset atque Romani fortasse non sine causa vetustos pagos dissolvi cuperent, hi magis magisque dilapsi sunt, ut eorum nominibus singulae civitates separatim administratae significarentur. Itaque factum est, ut Mocconius Verus tribunus laticlavius legionis VII Geminae censum agere iuberetur 'XXIII· civitatium Vasconum et Vardulorum.' [5]) Postremo cum oppida omnino praevalerent, census per conventus accepti sunt i. e. per societatem complurium civitatum iuri dicundo potissimum constitutam. [6])

Notabile videtur has regiones censuales plerumque simul auxiliis conscribendis inserviisse. Hoc ut de nonnullis (a) certis testimoniis probari potest, ita de aliis (b) coniectura assequi licet. Eiusdem enim provinciae consimiles regiones inveniuntur, secundum quas dilectus habitos esse propterea certum est, quod ethnico cohorti alaeve auxiliari addito ea regio significatur, in qua auxiliares primum delecti sunt. [7]) Quod quo planius eluceat, regiones censuales

---

1) Cf. Kuhn, *Die städt. und bürgerl. Verfassung des röm. Reiches* II p. 435 sq.

2) Cf. Marquardt I² p. 268. Mommsen, *Röm. Gesch.* V p. 81 sq.

3) n. 22. 4) n. 16; cf. Mommsen, *Röm. Gesch.* V p. 65 sq.

5) n. 21.

6) n. 32. — Itaque explicatur, cur Plinius N. H. III, 28 capitum numeros secundum conventus exsecutus sit. Videlicet eos e tabulis publicis censoriis sumptos esse; cf. etiam Beloch, *Die Bevölkerung der griech.-röm. Welt* p. 446. 7) Cf. Mommsen, Herm. XIX p. 40; p. 210.

Digitized by Google

et cohortes alasve ex iis conscriptas iuxta positas subscribam. Habemus igitur:[1])

a) civitatem Apamenam — coh. Apamenorum;
civitates Vasconum et Vardulorum — coh. Vasconum, coh. Vardulorum;
b) civitatem Remorum — coh. Nerviorum;
conventum Caesaraugustanum — coh. Bracaraugustanorum.

Exempla, quae hucusque rettuli, qui spectarit, perspiciet censui provinciali non modo civitates stipendiarias, sed etiam foederatas[2]) et liberas[3]) subiectas fuisse. Iam vero cum censitorem habeamus 'civium Romanorum coloniae Victricensis, quae est in Britannia Camaloduni'[4]), manifestum est civibus Romanis quoque, quicunque in provinciis sedes haberent, aeque atque ipsis provincialibus census deferendos fuisse. Nam si ne coloniae quidem liberatae erant, multo minus municipia cum civium Romanorum tum ea, quae Latino iure utebantur, excepta fuerint. Neque id mirum. Satis enim constat eis tributa ac vectigalia, quae provincialibus imposita erant, omnia pariter persolvenda fuisse.[5]) Contra de iis coloniis, quae iuris Italici erant, certum iudicium ferri nequit. Census provinciarum idcirco potissimum institutus erat, ut tamquam fundamenta agerentur ad tributa vectigaliaque iuste imperanda et ad dilectus militum recte habendos. Atqui iis coloniis, quibus ius Italicum datum erat, et tributum capitis remissum et solum immune redditum erat.[6]) Ad militiam porro civium Romanorum quod attinet, voluntariam fere eam

1) *a*) n. 17 et p. 193
n. 21 et p. 168
b) n. 22 et p. 174
n. 32 et p. 169. — Numeri secundo loco positi spectant ad numeros paginarum indicis a Mommseno in Eph. epigr. V p. 164 sq. perscripti.

2) n. 22: censor civitatis Remorum foederatae.

3) n. 17: civitas Apamena. Apamea in nummis *αὐτόνομος* dicitur iam primis imperii Augusti annis: cf. Eckhel, Doctr. numm. III p. 370.

4) n. 25. 5) Marquardt I² p. 87 sq.

6) Marquardt I² p. 90 sq.

Digitized by Google

fuisse aetate imperatoria notissimum est.[1]) Deest igitur idonea causa, cur census ad colonias quoque iuris Italici pervenerit, praesertim cum necessario tempore imperatoribus eae tabulae publicae censoriae praesto essent, quae quinto quoque anno a quinquennalibus perscribebantur i. e. ipsorum municipiorum coloniarumque censoribus. Quare quaerendum videtur, num singularis quaedam causa subfuerit, ob quam Q. Hedius Rufus Lollianus Gentianus censum Lugduni agere iuberetur[2]), quod iuris Italici fuisse Paulus nobilissimus ille Ictus secundo libro de censibus memoriae tradidit.[3]) Hedius autem Rufus, ut supra demonstratum est, censitor Lugduni fuit non multo, postquam Severus Albino devicto tota Gallia re potitus est. Tum in Lugdunenses, qui ab Albino stetissent, accepimus imperatorem victorem severissime animadvertisse, ut ex illo tempore urbs florentissima caput provinciae esse desineret et magis magisque dilaberetur.[4]) Quae cum ita sint, non vereor, ut nimis audacter colligam censum illum Lugduni plane singularem fuisse — id quod vel unica urbs praeter universam provinciam commemorata declarare videtur — eoque fortasse consilio factum, ut pro cognitis facultatibus pecuniae quam maximae poenae loco imperarentur: nisi forte imperator Galbae exemplum secutus[5]) omnes urbis reditus, quos pergrandes fuisse non sine causa conicere licet[6]), in fiscum vertere maluit.

Quod ad homines attinet, qui per singulas regiones census accipiebant, negotium, ut tituli evincunt, certe saeculo primo a praesidibus inter eos divisum est, qui in provincia militia aliqua equestri fungebantur.[7]) In eas autem provincias, in quibus legiones castra non habebant, iussu imperatoris tribuni et praefecti militum ex exercitibus provinciarum confinium deputati sunt.[8]) Qui viri equestri fere

1) Marquardt II² p. 539. 2) n. 12.
3) Dig. 50, 15, 5.
4) Cf. Schiller, *Röm. Kaisergesch.* I p. 717; Hirschfeld, *Lyon in der Römerzeit* (Wien 1878) p. 10.
5) Tac. hist. I, 65. 6) Seneca ep. mor. XIV, ep. 3, 10.
7) Cf. n. 17 et n. 21.
8) Cf. n. 20; cf. Plinius ep. ad Traian. 42; 61; 62; 77.

Digitized by Google

loco orti ad notam gradus, ut ita dicam, quem eo tempore obtinerent, addebant et verba 'ad census accipiendos' vel 'censor, censitor' et eam regionem, cui censendae operam dederant. Postea vero certe inde a Traiano ii assumpti sunt, qui militiis equestribus perfuncti procuraturas accipere vellent, ita quidem ut munus censitoris quasi transitum praebuisse videatur.[1]) Hoc fortasse propterea factum, quod hac in re facultas dabatur demonstrandi, quemadmodum ad res civiles et administrationes apti essent. Nescio, an officium censitoris, quae appellatio exinde sola usitata est, iam peculiaris aliquis quamquam infimus gradus fuerit procuratorii cursus honorum, cum plerumque antea praefectura equitum gesta sit, qua qui non senatorii essent militare desinebant. Ad extremum probabile est hos censitores quasi decessores fuisse eorum, qui postea inveniuntur, procuratorum ad census accipiendos.

Caput IV

Reliquum est, ut de repetitione censuum dicatur. Primum igitur quaerendum est, num per certa ac legibus praecepta intervalla census repetiti sint; deinde si hoc probatum erit, num illud temporis spatium ab eodem anno in omnibus provinciis perinde processerit, vel, id quod idem fere valet, num omnes provinciae uno semper tempore recensae sint.

Per se patet professiones censuales paullatim inanes factas, quod et hominum numerus diminuebatur crescebatve et possessiones commutabantur, emendatione semper eguisse. Praeterea vix fieri potuit, quin vitia in tabulas publicas censorias irreperent sive quod censitores falsis eorum, qui censebantur, professionibus in errorem inducebantur, sive quod ipsi munus sibi commissum non ea qua par erat aequabilitate adhibita

1) n. 22; 23; 25.

Digitized by Google

gerebant. Quas ob causas cum saepius imperatoribus necessitas obveniret codices censuales uniuscuiusque provinciae emendandi atque corrigendi, hoc ita fieri solebat, ut novus census ageretur [1]), quem quod ad proximum applicatum esse consentaneum est recensum merito possis dicere. Quaeritur autem, utrum is recensus habitus sit, quotiens eum haberi utique necesse fuerit, an ultro semper agendus fuerit certo quodam spatio interiecto. De hac re cum certum testimonium nullum reperiatur, dispiciendum est, num quae argumenta indagari possint, quae etiamsi non satisfaciant, at certe aliquid ad hanc quaestionem dirimendam conferant. Extat inter tabulas ceratas, quae e metallis aurariis Daciae prodierunt, cautio quaedam de domo empta a. 159 composita [2]), in cuius fine haec scripta sunt: ‘convenit inter eos (sc. inter venditorem et emptorem), uti Veturius Valens (sc. venditor) pro ea domo tributa usque ad recensum dependat.’ Haec clausula non apta videtur esse, nisi formula, quae est ‘usque ad recensum’, statutum annum significat. Tantum igitur abest, ut credam venditorem tantum onus in incertum retinuisse, ut contra inde colligendum mihi persuasum sit, a saeculo altero medio saltem provinciarum census certo semper annorum numero intermisso esse habitos.

Quae si vere disputata sunt, sequitur, ut, quot annorum illud intervallum fuerit, inquiratur. Atque Huschkius quidem in libello supra identidem citato (*Ueber den Census und die Steuerverfass.* p. 58 sq.) statuit primo provincias quinto, tum fortasse inde a Domitiano decimo quoque anno recensas esse. [3]) At argumenta, quae attulit, ut hanc quasi legem con-

---

1) Cf. Savigny, *Verm. Schr.* II p. 126.

2) C. I. L. III, 2 p. 944/5; cf. Marquardt II² p. 236 adn. 1; p. 245 adn. 4.

3) Decennium scilicet posuit secutus Savignium (*Verm. Schr.* II p. 126). Nam cum Ulpianus libro tertio de censibus (Dig. 50, 15, 4) dicat forma censuali caveri, ut arvum existimandum sit, ‘quod in decem proximos annos satum erit’, ut pratum ‘quod intra decem proximos annos sectum erit’, Savignius collegit Ulpiani temporibus intervallum censuale decem annorum fuisse. Attamen idem ille nobilissimus Ictus apertissimis

Digitized by Google

firmaret, non minus futilia sunt quam quibus communem imperii Romani censum stabilire studuit. Reipsa denique census secundum eam legem factos esse evincere adeo non potuit, ut ei concedendum fuerit licuisse census quinque vel etiam pluribus annis ante aut post annum constitutum haberi, si modo ea lex valuerit.[1]) At a principio, ut mihi videtur, pro certo affirmare licet spatium inter duos continuos eiusdem provinciae census maius quinque annis fuisse. Neque enim quidquam inde effici potest, quod liberae rei publicae temporibus Sicilia quinto quoque anno censebatur, neque in comparationem vocaverim lustrum census Romani, quod ultimis temporibus minime observatum esse constat.[2]) Sed imprimis respiciendum est, quantum inter census rationem interfuerit aetatis imperatoriae et liberae reipublicae. Nam cum professiones nova tum et insueta ratione ederentur[3]), census provinciae opus tam arduum tamque magnum fuit, ut ad ipsam census actionem, ad libros censuales perscribendos easque denique res conficiendas, quarum causa census omnino habebatur, sine dubio maius quam unius anni spatium necessarium esset. Deinde minime neglegendum videtur in permultis provinciis iisque maxime Caesaris, quae non ita pridem imperio adiectae essent, cum eiusmodi institutiones antea non fuissent, incolas census actioni pariter atque tributorum exactioni saepissime tantopere obstitisse, ut nonnisi armis ad obsequium redigi possent.[4]) Quare haud scio, an Romani nulla

---

verbis concessit fieri potuisse, ut quindecim annorum intervallum, de quo mox dicam, ab initio valuerit atque digestorum illud decennium per se constiterit: cf. l. c. II p. 121 adn. 1.

1) Huschke l. c. p. 60 adn. 120.

2) Prorsus illud quidem aetate imperatoria non abolitum est: cf. Marquardt II² p. 243 sq. Deinde et in censibus municipalibus certe ad saeculum tertium medium valuit (id quod data occasione demonstrare in animo habeo), et a plurimis collegiis ad annorum computationem adhibitum est. Sed in provinciarum quoque censibus id locum habuisse, eius rei quod sciam testimonium haud ambiguum non extat.

3) Cf. p. 52 adn. 1.

4) Cf. Cass. Dio 54, 36; Tac. ann. VI, 41; Liv. per. 139 etc.

Digitized by Google

re cogente saepius quam rei necessitate postularetur provincias sollicitare noluerint.

Sed alia quoque res adest, quae intervallum censuale maius quinquennio fuisse probet. Censum praesidi provinciae mandari supra demonstratum est insigni honori fuisse. Atqui si quinto quoque anno census acti essent, in provinciis Caesaris, cuius legati eundem locum per tres fere, haud ita raro etiam per plures annos obtinerent, saltem alternis legatis census habendus fuisset. Persuadere igitur mihi non modo non possum honorem, ad quem aditus tam multis patuisset, insigniorem fuisse, sed crediderim etiam vel ob id ipsum legationem ad census accipiendos tam honorificam fuisse, quod perpaucis modo pro numero praesidum census provinciae contingebat. Insuper vix aliter explicari potest, quod tam pauci adhuc censitores innotuerunt: e permultis provinciis ne unus quidem prodiit, cum haud pauci earundem provinciarum praesides noti sint.

Dixerit quispiam census mentionem, ipsa legatione aut proconsulatu minoris momenti rem, in titulis nonnumquam plane praetermissam esse. Sed qui observaverit, quantopere census actio in inscriptionibus praedicetur, absurde illud statui intelleget atque si aliud nihil, suo iure poscet, ut exemplis non ambiguis illud comprobetur.

Ad extremum dignus est, qui conferatur locus ille Frontini in strategematis (1, 1, 8), quo narrat Domitianum, cum Germanos rebellantes ipse, non per legatum, opprimere atque eos de hoc consilio celari vellet, census Galliarum causatum Roma profectum esse. Quod ei ex sententia evenire non potuisse iudico, nisi inter duos census multo plures quam quinque anni intermittebantur. Nam si quinquennium tum sollemne fuisset, certe non tanti fuit census actio, qua Domitianus profectionem suam obtegere posset, immo in summam suspicionem Germanis venisset sentientibus, quid illo obtentu imperator moliretur.

Quae cum ita sint, sententiam proponere liceat aliquanto, ut mihi videtur, probabiliorem: Accepimus Hadrianum a. 118,

Digitized by Google

cum ingentem pecuniam, quae fisco debebatur, remitteret, simul decrevisse, ut decimo sexto quoque anno tributa residua dispungerentur atque etiam remitterentur.[1]) Mommsenus[2]) igitur collegit hoc decreto fortasse factum esse, ut eodem intervallo ipsa tributorum descriptio cognosceretur. Profecto haudquaquam veri est dissimile huic cognitioni novum semper censum antecessisse, cum ex eo certe magnam partem pependerit, quatenus reliqua remitti possent. Neque vero video, quid obstet, ne ultra progredientes quaeramus, num tributorum illa recognitio certo tempore repetita inde omnino profecta sit, quod census eodem spatio intermisso redintegrari solerent. Nonne factum esse potest, ut Hadrianus illud quindecim annorum intervallum eam ipsam ob causam praeciperet, quod censuale intervallum totidem annorum esset? Iam videamus, quo iure hoc quaeri possit. Primo saeculo illud intervallum certe non constitit. Etenim provinciarum Gallicarum, quarum in hac re si non optimam, at satis bonam notitiam habemus, census acti sunt a. a. C. n. 27[3]) et 12[4]), inter a. p. C. n. 14 et 16[5]), a. 61[6]), a. 83.[7]) Quibus ex annis apparet certum quoddam intervallum nulla ratione computari posse. Secundo autem saeculo in Galliis censitores inveniuntur circiter a. 110[8]), 140[9]), 200[10]): ergo intervalla triginta et sexaginta annorum, quorum unum duplum, alterum quadruplum quindecennium est. Quamvis igitur omnis haec computatio non prorsus certis numeris utatur, tamen tam prope a veritate eam abesse existimo, ut concludere saltem liceat intervallum censuale inde ab ineunte saeculo altero quindecennale fuisse. Praeterea etiam in alia provincia indicia similis intervalli inveniuntur.

1) Cf. Cass. Dio 69, 8.
2) *Röm. Staatsr.* II² p. 976.
3) Cass. Dio 53, 22; Liv. per. 134.
4) Liv. per. 138; 139.
5) Tac. ann. I, 31; II, 6.
6) id. l. c. XIV, 46.
7) Front. strat. 1, 1, 8. — Non a. 84: cf. Asbach, *Westdeutsche Zeitschrift* III (1884) p. 17 adn. 7.
8) Cf. n. 2; 3; 22. 9) n. 7. 10) n. 11; 12.

Digitized by Google

Wilkenius enim in Aegypto saeculo secundo intervallum quattuordecim annorum animadvertit [1]), quod quin ad confirmandam meam opinionem afferri possit, non dubito. Nam etsi Aegyptus ab Augusto seposita et domi, ut est apud Tacitum, retenta e provinciarum numero quasi exempta fuit, tamen nihil est, cur in hac re comparari non possit, praesertim cum illud intervallum ibi non antiquitus tantum fuisse, sed inter primum et alterum demum saeculum propagatum esse videatur.[2]) Quod vero intervallum a Wilkenio demonstratum quattuordecim dumtaxat annorum est, nemo negabit fieri potuisse, ut ipsum hoc unum praeter consuetudinem quattuordecim, non quindecim annorum esset.[3]) Iure sane potest dubitari, num intervalla semper plane observata sint, immo perquam probabile mihi videtur in singulis provinciis saepius ex re et tempore necesse fuisse censum aliquanto ante aut post annum constitutum haberi. Sed ut in materie nimis tenui fieri non potest aliter, haec omnia fere, quae nunc proposui, vix ultra coniecturas progrediuntur. Neque eo secius — ne quis, cur tamen proposuerim, suo iure quaerere sibi videatur — ea propterea afferenda esse censui, quod, ut hoc ponam, facile fieri potest, ut unus etiam censitor Galliae inveniatur, cuius aetas accurate constituta in alterum saeculum incidat. Quo invento tota de qua agitur controversia iam diiudicata erit.

Veniamus nunc ad ultimum locum. Numquam fuisse communem censum imperii Romani, qui ad cives atque peregrinos, ad Italiam atque provincias aeque pertinuerit, Mommsenus, qua est admirabili doctrina, in libro de iure publico Romanorum (II² p. 408 sq.) evidenter exposuit. Mihi igitur

---

1) Cf. U. Wilken, *Arsinoitische Steuerprofessionen aus dem J. 189 p. C.* 'Sitzungsber. d. Berl. Akad.' 1883 p. 906 sq.; p. 917.

2) a. p. C. n. 68 quinquennale intervallum statutum fuisse videtur: cf. edict. Ti. Iulii Alexandri praef. Aeg. C. I. Gr. III n. 4957 l. 49.

3) Nonnulli viri docti quindecennium etiam in Aegypto probasse sibi visi sunt. At Wilkenius pluribus verbis contra eos ita disseruit, ut ipsum quindecennium non prorsus negaret, sed ut diceret testimoniis adhuc allatis id parum coargutum esse: cf. Herm. XXI p. 277 sq.

Digitized by Google

relinquitur, ut quantum potero, doceam ne provinciarum quidem census omnes uno tempore esse factos. Quaecunque enim de communi aliquo censu apud scriptores maxime ecclesiasticos leguntur, cum originem traxerint a Luca evangelista, qui verba, quae Iosephus de censu Syriaco Quirinii fecit, parum intellexit [1]), non magis persuadendi necessitatem habent quam Suidae ille locus, de quo supra dictum est. Rursus igitur a singulis censibus, quos compertos habemus, quaestionem proficisci oportet. Quorum numerus per se exiguus quamquam eo quoque imminuitur, quod permulti census, quorum memoria in censitorum titulis extat, adeo non determinari possunt, ut in hac re omittendi sint, tamen sufficit opinor ad id quod volo demonstrandum. Atque maximi momenti titulus quintus syllogae nostrae videtur esse, qui 'legatum Augusti pro praetore provinciae Galatiae Phrygiae Pisidiae Lycaoniae Paphlagoniae item ad census Paphlagoniae' memoriae prodidit. Nam si omnium provinciarum census simul acti essent, equidem non perspicio, qui fieri potuerit, ut e compluribus provinciis, quae sub unius legati imperio erant, una tantummodo recenseretur. — Deinde constat hunc Paphlagoniae censum a. 116/117 factum esse. [2]) Num igitur putemus Gallias, quarum census circiter a. 110 actos esse demonstratum est [3]), a. 116/117 denuo censas esse? Item omni probabilitate caret Hispaniae citerioris censum, qui primis imperii Septimii Severi demum annis habitus erat [4]), circiter a. 200, quo tempore Galliae recensae sunt [5]), repetitum esse.

Quid multa? perspicuum esse arbitror rerum gestarum monumentis minime demonstrari posse census provinciarum omnes uno tempore esse actos. Neque enim contra exempla allata quidquam probabitur, si forte duae provinciae eodem fere tempore censae inventae erunt. Consentaneum nimirum est, cum provinciae imperii Romani plurimae fuerint, nonnul-

1) Cf. Mommsen, R. g. d. Aug.[2] p. 175 sq.
2) Cf. p. 9.
3) n. 2; 3; 22.
4) Cf. p. 19 sq. 5) n. 11; 12.

Digitized by Google

larum certe census in idem tempus incidisse. Aliter vero de Galliis iudicandum est. Etenim ut vel inde concludere licet iis censum communem fuisse, quod ‘Gallicani census communis formula’ commemoratur [1]), ita cum annalibus tum titulis comprobatur eas uno semper tempore recensas esse. Ac primum apud Livium (per. 134) scriptum est, cum Augustus conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas pater vicerat, actos esse. Deinde ea quoque, quae Tacitus (ann. XIV, 46) de censibus a. 61 per Gallias actis narrat, sine dubio in hanc sententiam accipienda sunt. Tum ad inscriptiones quod attinet, iam vidimus censitores circiter a. 110 inveniri et in Aquitania et in Belgica et in Lugdunensi. Ad extremum, cum in Aquitania et in Lugdunensi circiter a. 200 census factos esse exploratum habeamus, vix dubitari potest, quin etiam Belgica eodem tempore recensa sit.

1) Incerti gratiarum actio Constantino Aug. c. 5 (Aem. Baehrensii Panegyr. lat. n. VIII).

Digitized by Google

I.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

pagina

L. Aemilius Carus . . . . . 11 sq.
L. Aemilius L. f. Cam. Karus . . . . . 11 sq.
C. Aemilius C. f. Gal. Fraternus 27
Q. Aemilius Q. f. Pol. Secundus 25
ala Moesica 'Felix Torquata' appellata 26
Ti. Antistius Fausti fil. Quirina Marcianus . . . . . 34 sq.
imp. Antoninus Pius ipse quoque bella gessit . . . . . 15 sq.
Arabiae legati statim ex hoc officio ad consulatum provecti sunt 12
T. Aurelius Calpurnianus Apollonides . . . . . 36 sq.
Brittones Anavionenses quam partem Britanniae incoluerint 30
cognomina ethnica Brittonum ad originem spectare videntur 31 adn. 3
T. Caesernius Statius Quinctius Macedo Quinctianus . . . 43 sq.
Calpurnius Macer . . . . . 5 adn. 2
'censitor provinciae' unde hic titulus originem traxerit . 57
Clodius P. f. Capito 45
T. Clodius C. f. Proculus 24
T. Clodius M. f. Pupienus Pulcher Maximus 21
cohortes I et II Asturum quo tempore in Britanniam pervenerint 33 adn. 2
imp. Commodus Hercules Romanus appellatus . . . . . 18 adn. 2
de communi imperii Romani censu quid statuendum sit . . . . . 52; 69 sq.
dilectus in regione Transpadana ante bellum Dacicum secundum habitus . . . . . 6 adn. 6
L. Egnatuleius P. f. Gal. Sabinus 40
'electus' pro 'missus' in titulis quando in usum receptum sit 22
T. Eppius T. f. Quir. Latinus 34
T. Flavius Sabinus 46
provinciae Galliae eodem semper tempore censae sunt . . . 70; 71
Galliarum censitores consulares fuerunt 58
Germaniae ex quo tempore separatim administratae et peculiares provinciae constitutae sint 9
T. Haterius .. f. Nepos 30

pagina

Hispaniae census primum a. 26/25 ab Augusto acti esse videntur 24
Histria una cum Dalmatia ab eodem procuratore administrata est 37
Q. Hedius L. f. Pol. Rufus Lollianus Gentianus 19
Iavolenus Priscus . . . . . 9 adn. 3
intervallum censuale quando certum statutum sit; quot annorum id fuerit . . . . . 65 sq.
D. Iulius D. f. Volt. Capito 29
C. Iulius P. f. Hor. Cornutus Tertullus 4
C. Iulius M. f. Volt. Proculus 5
coloniae, quae iure Italico utebantur, censui non subiectae fuerunt 62
ius omnes provincias censendi imperatori proprium ac peculiare fuit . . . . . 56 sq.
legio V Alaudae quo tempore perierit 28
legio VII Gemina primis imperii Hadriani annis in Germania castra habuit . . . . . 26 adn. 3
legio VIIII Hispana quo tempore perierit . . . . . 12 adn. 4
legatio legionaria non tertium suscipitur 42
Licinianus 15
Q. Lollius Q. f. Ani. Fronto 25
utraque Mauretania saepius ab uno procuratore administrata est 40
C. Mocconius C. f. Fab. Verus 28
P. Mucius P. f. Publil. Verus . . . . . 41; 42 adn. 2
Gn. Munatius M. f. Pal. Aurelius Bassus . . . . . 32 sq.
Torquatus Novellius P. f. Atticus 3
C. Octavius Pudens Caesius Honoratus . . . . . 39 sq.
Osrhoëne iam Severo imperante pars fuit imperii Romani . 39
P. Plotius Romanus 17
regiones censuales plerumque simul auxiliis conscribendis inservierunt . . . . . 60 sq.
...cius ... Secundus 42
L. Ste.... Hor..... 32
Terentius Gentianus 10
tribuni militum cui paruerint 24
M. Ulpius Senecio Saturninus 23
M. Valerius Bradua Mauricus 18
T. Visculanius Crescens 26

Ignoti 7; 16; 23; 38; 41

Digitized by Google

II.

INDEX TITULORUM ET LOCORUM
qui vel explicantur vel emendantur.

---

		pagina
C. I. L.	II, 4121	19
—	II, 4188	27
—	III, 338	25
—	III, 1153	11
—	III, 1415	11
—	III, 1463	10
—	III, 3925	34
—	V, 865: cf. add. V, 2 p. 1025	43
—	V, 7783	18
—	V, 7784	41
—	VI, 332	17
—	VI, 1333	11
—	VI, 1441	15
—	VI, 1463	28
—	VI, 1644: cf. add. p. 854	38
—	VI, 2018	5
—	VI, 3538	26 adn. 3
—	VI, 3842	42
—	VIII, 2754	16
—	VIII, 5355	32
—	VIII, 7070	41
—	VIII, 9370	39
—	VIII, 10500	40
—	X, 680	24
—	X, 3852	45
—	X, 5829	26 adn. 3
—	X, 6658	5
Eph. epigr. IV p. 538 = C. I. L. V, 1 n. *136		25
— —	V n. 1345	9
Orelli n. 364 = Mommsen, inscr. Helv. n. 175		7
—	n. 3659 = Wilm. n. 1164	4

Digitized by Google

	pagina
Henzen n. 6453	3
— n. 6512 = Wilm. n. 1219[a]	21
— n. 6944 = Wilm. n. 1269	34
— n. 6547 = Wilm. n. 1249[b]	30
— n. 6948	26
Herzog, Gallia Narbon. n. 510 = Wilm. n. 2246[d]	29
— — — n. 511 = Wilm. n. 2246[e]	29
Wilmanns, ex. inscr. lat. n. 1815	32
Brambach, C. I. Rhen. n. 334	11
Archaeol. epigr. Mitth. IX (1885) p. 246 n. 5	12
— — — IX (1885) p. 142	23
Bull. della comm. arch. com. di Roma 1883 p. 224	46
C. I. Gr. 3751	36
Archives des missions etc. ser. 3 t. 3 (1876) p. 144	23
Révue archéol. 1883 p. 207	36
Bull. de corr. épigr. V p. 325	31

Cassius Dio 53, 22, 5	24
— — 63, 27	47 sq.
Eusebius chron. ad a. ab Abr. 2015	53
Frontinus strateg. 1, 1, 8	67
Iosephus ant. Iud. 17, 13, 5	53; 57
— — 18, 1, 1	ibid.
Suidas s. v. *ἀπογραφή*	50 sq.
Tertull. adv. Marc. IV, 19	54

Digitized by Google

CONSPECTUS.

A

	pagina
I. Tituli censitorum senatorii ordinis	3—23
II. Tituli censitorum equestris ordinis	24—43
III. Tituli eorum qui perperam ad provinciarum census relati sunt	43—48

B

Cap. I. De praesidibus provinciarum censitoribus	48—58
Cap. II. de procuratoribus ad census accipiendos	58—59
Cap. III. de regionibus censualibus et censitoribus inferioris ordinis	60—64
Cap. IV. de repetitione censuum	64—71
Indices	72—75

Digitized by Google

DE

DIONE CHRYSOSTOMO CYNICORUM SECTATORE.

SCRIPSIT

ERNESTUS WEBER.

Digitized by Google

Quoniam praefationis munus secundum Lessingi peritissimi in his rebus arbitri iudicium hoc esse solet, ut enarretur, quo consilio ductus scriptor libelli ad eam rem tractandam quam sibi proposuit adgressus sit, haec nunc praemonere mihi liceat. Cum litterarum causa Tubingae essem, E. Rohde, qui ut se adirem, si consilio mihi opus esset, benevolentissime permiserat, cum alia utiliter praecepit et sollerter docuit tum mihi suasit, ut studia mea ad Cynicam philosophiam agnoscendam transferrem et inter subsidia etiam Ferd. Duemmleri 'Antisthenica', quae dissertatio paulo ante a. 1882 prodierat, indicavit. Qua re excitatus quo diutius in Cynicorum philosophia cognoscenda versabar, eo magis philosophi illi me adliciebant, qui nisi Socrates fuisset profecto sui tantum similes fuissent, praesertim cum, dum Graeciae civitates florebant et Romanum imperium salvum erat, numquam iterum tales viros exstitisse animadverterem aut iis oculis praeditos, quibus aequalium 'τῦφος' sive ut ait Montaigne 'vanas subtilitates' acrius perspicerent quam Cynici, aut eo salis acumine, ea constantia, eo veritatis amore ornatos, ut vitia quae perspexerant elegantius aut liberius aperirent. Accedebat, quod Zeller in philosophiae graecae historia ea in re errasse mihi videbatur, quod eas Cynicorum doctrinas quibus singula praecepta subiunguntur aut omisit aut in adnotationes relegatas nimis neglexit, deinde quod varii generis artificia, quibus Cynici philosophiam suam hominum multitudini quam maximae potuerunt tradere conabantur, levius quam pro rei gravitate tractavit; praeterea cum Cynici etiam artem poeticam ad homines docendos pro philosophiae ancilla adhibuissent, etiam de Cynicorum scriptis verba facere debebat.

Digitized by Google

Ad hanc scientiae quasi lacunam explendam ut subsidia quaedam pararem, quoniam in Dionis Chrysostomi orationibus Usener iam in 'quaestionibus Anaximeneis' Cynicorum vestigia tecta paucis aperuit (p. 15, 4), hoc viro docto adiuvante cum Duemmler orationem XIII ex Antisthenis Archelao haustam esse accuratius demonstrasset (p. 8—12), reliquarum quae Cynicam sapientiam prodere viderentur, brevem conspectum proposuisse satis habuisset (p. 72—74), eam quaestionem ab Usenero propositam amplius tractare constitui.

Postea cum Lipsiam me contulissem, opus ut volui adgressus sum, qua in re feliciter accidit, quod anno 1886 Rohde Tubinga huc vocatus advenit. Quo factum est, ut etiam de Dione eius doctrina mihi non deesset. Nam eam viam monstravit, quae, si de Dione Cynicorum sectatore disputare vellem, una relicta esset, quam cum ipse incerto pede procedens tentassem, ut longius sequerer et pro recta agnoscerem, quasi *μαιευτικῇ τέχνῃ* me adiuvit. Praeterea Lipsi et Ribbecki Lipsiensium, qui per totum tempus quo Lipsiae versatus sum summam benevolentiam in me contulerunt, consiliis instructus, eo usque propositum perduxi, ut Cynicae sapientiae vestigia ex iis Dionis orationibus colligerem, quae de Diogene Sinopensi sunt, deinde quae apud urbes habitae, postremo loco quae imperatori Romano dedicatae sunt, reliquas orationes prout res poposcit tractandas eligerem. Ceterum *τοιαῦτα — τὰ ἡμέτερά ἐστιν, οὐχ οἷα βούλεταί τις, φασὶν ἄνθρωποι ἑκάστοτε παροιμιαζόμενοι, ἀλλ᾽ οἷα δύναται* (Plat. Hipp. mai.).

Sed nunc ad propositum accedamus et primum de subsidiis verba faciamus, quibus ad quaestionem nostram solvendam sublevamur.

Omnino vero maiores quam exspectaveram difficultates quaestionem diligentius instituenti mihi oblatae sunt: dolemus enim omnium fere Cynicorum scripta temporum invidia perisse; relicta sunt tantum fragmenta; praeterea id quod ex eius philosophiae memoria deperiit parum expleri potest paucitate locorum, qui exstant hic et illic dispersi per continuam aliorum

Digitized by Google

scriptorum orationem. Quo fit, ut is qui de Dionis fontibus cynicis quaerit, eis auxiliis male egeat, quae si ipsas scriptorum copias non tenemus, e comparatione eorum qui illis copiis usi sint, colligere fere possimus.

Ac ne Stobaeum quidem, qui tot physica et ethica philosophorum praecepta servavit, ad Dionis auctores explorandos ullum subsidium praebere iam Duemmler in 'Antisthenicis' p. 72 vidit. Tres enim ii loci, quos Stobaeus *ἐκ τῶν Διογένους διατριβῶν* hausit, ita paene ad verbum cum Dionis orationum locis nonnullis consentiunt, ut Stobaei excerpta non e genuinis Diogenis disputationibus transcripta esse, sed ad Dionem redire putanda sint.[1]) Dubium esse potest, qua via a Dione ad Stobaeum venerint. Wesselingium quidem in Obss. lib. II cap. XIX p. 226 Dionis Chrysostomi has *διατριβὰς Διογένους* esse putasse ex Orellii opusculis Graec. sentent. et moral. (tom. II p. 574) cognovi. Sed cum Dionis biographi plane de tali eius opere taceant, multo verisimilius est, Dionis orationes ad Diogenem spectantes excerptas esse ab aliquo, qui Diogenis diatribas colligeret, et sic ad Stobaeum pervenisse, ut Duemmler l. c. suspicatus est.

Itaque ad Dionis fontes cynicos explorandos et ea invenienda, quae genuinam Cynicorum philosophiam produnt, iam ad Cynicorum fragmenta et ea, quae Epictetus, Lucianus, Iulianus, Themistius, Cynicorum epistulae suppeditant, reiecti sumus. Sed de Dionis fontibus nec Duemmlero nec mihi contigit, ut aliquid certius inveniretur; de fontium genere, quibus usus est, quae habeo postea exponam.

Aliam difficultatem ea res adfert, quod non omnes orationes ut tertia decima pari modo quasi uno sententiarum

1) Stobaei flor. excerptum XIII 18 *ἐκ τοῦ Διογένους διατριβῶν* cum Dionis or. IX p. 289 sq. consentit, Stob. XIII 19 lemmate *ἐν ταὐτῷ* instructum cum or. VIII p. 275; flor. XXXXIX 27 legitur in or. VI p. 214; flor. VIII 15 sub lemmate *Διογένους* ex or. VI p. 212 sumptum, iure a Mullachio in philos. graec. fragm. II p. 299 in *διατριβῶν* reliquias receptum est. Restat unum fragmentum Diogenis (apud Stob. IX 49 sub lemmate *Διογένους*) reliquis *διατριβῶν* fragmentis non dissimile, quod in Dionis orationibus reperire non possum.

Digitized by Google

vinculo continentur; immo Dio, ut erat graecarum litterarum et studiorum amantissimus et peritissimus, orationes fructibus, quos ex studiis suis perceperat, large copioseque ornavit et auctores contaminavit. Quo fit, ut saepe Cynicorum dicta sive praecepta ibi inveniantur, ubi non exspectes, et medias inter cynicas disputationes aliena inmisceantur. Cavendum igitur est, ne etiam aliena illa pro cynica sapientia vendamus.

I

Sed quo tandem iure cynicae philosophiae vestigia omnino a Dione quaerimus? Ac primum quidem Dio nonnullas orationes de Diogenis vita et philosophia scripsit: sunt autem IV—VI, VIII—X. Age igitur accuratius in eas inquiramus! qua in re inprimis id monendum est, ne quis credat Dionem fontes, quibus de Diogene usus est, tam arte secutum esse, ut vel epitomatoris officium sumpserit. Cui opinioni cum multae aliae res obstant tum ea, quae ipse orator de fontibus, qua indole fuerint et quo modo usus sit, confitetur.

Iam Duemmler in 'Antisthenicis' p. 73 recte animadvertit, non malis fontibus Dionem usum esse, quod multo propius ea Diogenis imago, quam Dio praebet, ab Antisthene absit, "quam scurra ille insanus, qui integrum diem in dolio procumbens adlatrat praetereuntes, qualem posterioribus fuisse Diogenem placuit." Inprimis de Alexandro Magno Diogenis fautore multi libri atque variae et inter se contrariae narrationes circumferebantur. Alia tradunt fragmenta, alia epistulae, alia Plutarchus, alia Dio Chrysostomus; Iulianus quoque talium scriptorum cognitionem prodit, cum in or. VI p. 203B haec dicit: *εἰ σμικρὰ τὰς βίβλους ἀνελίττων ἐμελέτας ὥσπερ ἡμεῖς οἱ πολιτικοὶ καὶ πολυπράγμονες, ἔγνως ἄν, ὅπως Ἀλέξανδρος ἀγασθῆναι λέγεται τὴν Διογένους μεγαλοψυχίαν*, nisi ipsum Dionem significat, quem de Alexandro or. VII 212C (cf. 264CD) citat. Dio ipse se illas narratiunculas non magni aestimare or. IV (I p. 144sq. R) ostendit: multos, qui de colloquiis, quae Alexander cum Diogene habuit, legerent et scriberent,

Digitized by Google

valde admiratos esse, quod rex praeclarissimus et praepotentissimus paupertatem illius adeo non contempsisset, ut propter ingenium et constantiam eum honoribus adficeret. *Ὥστε οὐ μόνον τἀληθῆ διηγοῦνται ὑπὲρ τῶν τοιούτων, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ πλάττουσιν ὑπερβάλλοντες, προσέτι καὶ τἄλλα ἀφαιρούμενοι τῶν φρονίμων, οἷον χρήματα καὶ τιμὰς καὶ τὴν τοῦ σώματος δύναμιν, ὅπως διὰ μόνην δόξωσι τιμᾶσθαι τὴν ξύνεσιν· ὡς δὲ εἰκὸς γενέσθαι τὴν συνουσίαν ἐκείνην, εἴποιμ᾽ ἄν.*

Fontes suos nominare videtur in or. LXXII (II p. 386 R), ubi haec dicit: *πυνθανόμενοι — καὶ περὶ Διογένους, ὅτι καὶ αὐτὸς πρὸς ἅπαντα εὐπόρει λόγου καὶ ἀποκρίσεως· τὰ μέν γε τούτου καὶ διαμνημονεύουσιν οἱ πολλοί, τὰ μέν τινα ἴσως εἰπόντος αὐτοῦ, τὰ δὲ καὶ ἄλλων συντεθέντων.* Apertius quidem ad quod litterarum genus Dionis fontes referendi sint, vix significari possit. Ea enim dicta, quae sub Diogenis nomine circumferri Dio narrat, chriae sunt. Sed cum Duemmler (Antisth. p. 69—71) de eiusmodi litterarum origine et indole sat multa exposuerit [1]), nil habeo quod adiciam, nisi illud, etiam Dionem Diogenis chriarum scriptores vel cognovisse vel usurpasse.

A chriis autem *ἀπομνημονεύματα*, quae dicuntur, tantum narrationum longitudine differunt. Nam Hermogenes in progymnasmatis c. 3 (apud Spengel. rhet. gr. II p. 6, 5) dicit: *διαφέρει δὲ χρεία ἀπομνημονεύματος μάλιστα τῷ μέτρῳ· τὰ μὲν γὰρ ἀπομνημονεύματα καὶ διὰ μακροτέρων ἂν γένοιτο, τὴν δὲ χρείαν σύντομον εἶναι δεῖ.* Sed *ἀπομνημονεύματα* etiam brevioribus narrationibus continentur, ut a chriis discerni non possint: nam *χρεία ἐστίν*, ut idem Hermogenes testatur, *ἀπομνημόνευμα λόγου τινὸς ἢ πράξεως ἢ συναμφοτέρου, σύντομον ἔχον δήλωσιν* (cf. Duemmler l. c. p. 71). E Dionis autem orationum, quae de Diogene sunt, ipsa indole eum praeter chriarum collectionem quandam, id quod Rose (Aristot. Pseudep. p. 612) putat, pro primario fonte *Διογένους ἀπο-*

1) Memorabilis locus de chriae natura exstat in grammat. lat. vol. VI p. 273 K.

Digitized by Google

μνημονεύματα' usurpasse apparet. Nam primum non ut in Diogenis Laertii 'Vita' Diogenis chriae et placita sine ullo ordine inter se conectuntur, immo plane contrario modo longiore et bene disposita oratione de Diogenis vitae consuetudinibus et philosophandi genere et disputationibus agitur. Deinde eodem more compositae sunt, quem apud alios quoque invenimus, qui praeclarorum virorum dicta et facta memoriae tradiderunt: praefatur enim Dio nonnulla de Diogenis moribus quibusdam et vitae usu, quae ut vera esse demonstret, postea disputationes, dicta, res gestas commemorat. Denique ita e cotidiana vita repetita quae dixerit et quae egerit narrantur, ut quo titulo aptius orationes illae significari possint quam *ἀπομνημονευμάτων*, nesciam. Quid tandem impedit, quominus talia scripta de Diogene quoque exstitisse credamus? nonne alii Cynici virtutum suarum praecones invenerunt? Cratetis *ἀπομνημονεύματα* scripsit Zeno eius discipulus (Diog. Laert. VII 4), Demonactis Lucianus (cf. Dem. vit. 67 *ταῦτα ὀλίγα πάνυ ἐκ πολλῶν ἀπεμνημόνευσα;* v. etiam 56), praeterea Sostrati Cynici cuiusdam idem, quos ipse vidit et valde admiratus est (Dem. vit. 1); porro Musonii, qui Stoicus nominatur, sed eodem fere iure pro Cynico esse potest, Pollio quidam (Suid. s. v. *Πωλίων* et Zeller in hist. phil. graec. III 1 p. 730 adnot. sub finem); ad idem litterarum genus ea Arrhiani scripta pertinent, quae sunt de Epicteto, ut Ciceronis verbis utar, Stoico paene Cynico; Epicteti *ἀπομνημονευμάτων* duo fragmenta in Stobaei flor. VI 58 et XXIX 84 leguntur.

Tali igitur scripto maxime usus Dio orationes suas de Diogene composuit, qua in re modo fontes omnino secutus est modo amplificavit vel ita mutavit, ut cynici philosophi res referret, quomodo eas factas esse maxime verisimile videretur, id quod se in Alexandri et Diogenis colloquio conscribendo fecisse ipse testatur. Quid quoque loco acciderit, accuratius inquirere nostrum est.

Quare nunc Dionis orationes illas ita perlustrabimus, ut semper primum videamus, num eadem apud alios quoque scriptores, qui non e Dione hauserint, de Diogene aut in uni-

Digitized by Google

versum de omnibus Cynicis legantur; ita si res sese habet, id accidit, quod primo loco commemoravi, nimirum Dionem nil aliud egisse nisi ut ea referret, quae in fontibus suis legit.

Sin autem haec testimonia desunt, cum Stoicorum doctrinae, quae ad mores pertinet, et Cynicorum praeceptorum summa similitudo sit, etiam Stoicorum sententiis apte comparatis ea, quae Dio sub Diogenis nomine praebet, tamquam germana Diogenis praecepta huic tribui possunt.

Sed si ne stoici quidem scriptores testimonia suppeditant, ea via relinquitur, quae quamquam paulo incertior et difficilior est, tamen quo tendimus nos ducit, qua perquirendum est, num ea, quae Dio tradit, Diogenis philosophiae et vitae rationi, qualem fuisse aliunde cognovimus, consentanea videantur. Hoc si comprobatur, nil aliud efficitur nisi Dionem in universum Diogenis veram et genuinam imaginem praebere, cuius de singulis, ut ita dicam, lineamentis et formis dubium est, utrum ita adumbrata sint, ut Diogenis persona qualis in vita fuit, referatur an qualis fuisse potuit vel *ὡς εἰκὸς ἦν γενέσθαι*. Porro saepissime inveniemus ea Diogeni ipsi dari, quae nunc quidem in tanta testimoniorum paucitate de solo Antisthene vel de iis traduntur, qui post Diogenem scholam cynicam exceperunt.

Quae cum ita sint, id consilium optime locum habet, quod Rohdium mihi dedisse dixi. Hic enim suasit, ut singulas Dionis doctrinas, quae cynicam sapientiam proderent, quantum fieri liceret, ad certum quendam Cynicum referre conarer, in universum autem omnia cynicae sapientiae vestigia per Dionis orationes sparsa collegisse et inlustrasse satis haberem, quatenus et omnino cynicae philosophiae rationi et indoli responderent et ipse Dio Cynicorum rationem et indolem imitatus esset; ita si quaestionem instituissem, futurum esse, ut etiam de Cynicorum scriptis, quae perissent eorumque indole et argumento nonnulla disci possent.

Ac primum in oratione VI Diogenes iocatur, se multo beatiorem vitam degere, multo ditiorem esse ipso Persarum

Digitized by Google

rege (— p. 200), serio autem quantum vitae felicitate ipse illum superet, longiore disputatione (p. 210—218) exponit; in iis autem, quae media intercedunt, vitam secundum naturam agendam commendat, quam si Persarum rex sequatur, futurum esse, ut omnibus malis liber fiat.

Prooemii igitur loco Diogenis παίγνια sunt. Dicere Diogenem solitum esse se Persarum regem imitari. Primum ut ille hieme Babylone et Susis commoretur, aestate illarum regionum fervidos aestus fugiat et sese Ecbatana conferat, item se Athenis hieme, aestate Corinthi versari. Quin etiam eas urbes multo pulchriores esse quam illas et, cum minus inter se distent quam regis oppida, hunc quidem hiemis et aestatis maximam partem in itinere terere, se paucis diebus inter regias suas commeare. *Ὥστε πλεονεκτεῖν βασιλέως καὶ μᾶλλον τρυφᾶν· ἄμεινον γὰρ κατεσκευάσθαι τὴν οἴκησιν* (p. 200).[1])

Idem Plutarchus Dionis aequalis (de prof. in virt. c. 6) narrat: *καὶ Διογένης τὴν εἰς Ἀθήνας ἐκ Κορίνθου, καὶ πάλιν ἐκ Θηβῶν μετάβασιν αὐτοῦ παρέβαλε ταῖς βασιλέως, ἔαρος μὲν ἐν Σούσοις καὶ χειμῶνος ἐν Βαβυλῶνι, θέρους δ' ἐν Μηδίᾳ διατριβαῖς.* Simile aliquid de Metrocle quoque Cynico idem refert (an vitios. c. 3): *Τύχη, πενίαν ἀπειλεῖς; καταγελᾷ σου Μητροκλῆς, ὃς χειμῶνος ἐν τοῖς προβάτων καθεύδων καὶ θέρους ἐν τοῖς προπυλαίοις τῶν ἱερῶν, τὸν ἐν Βαβυλῶνι χειμάζοντα καὶ περὶ Μηδίαν θερίζοντα Περσῶν βασιλέα περὶ εὐδαιμονίας εἰς ἀγῶνα προὐκαλεῖτο.* Quodsi quis reputaverit, saepissime accidisse, ut idem dictum duobus vel tribus Cynicorum adscriberetur, is non dubitabit, quin iam Diogenes se ipsum cum Persarum rege illa ratione comparaverit.

Quanta autem sui confidentia eum fuisse credamus, qui, etsi pauperrimus quisque mendicus ditior nominari poterat,

---

1) Verum non multum Diogenem Athenarum magnificentiam curasse Dioni facile credemus. Apud Lucianum in dial. mort. XXIV 3 Maussollo sepulcrum pretiosis lapidibus exstructum nil profuisse dicit et se ipsum ne scire quidem pergit, num corpus suum sepulcrum ullum habeat; *οὐδὲ γὰρ ἔμελεν αὐτῷ τούτου.* Crates interrogatus, quid ex philosophia lucratus esset, respondit: *θέρμων τε χοῖνιξ καὶ τὸ μηδενὸς μέλειν* (Diog. VI 86).

Digitized by Google

tamen non solum gloriaretur, quod domus suae magnificentia Persarum regem, quem omnes propter divitias celebrabant, superaret, sed etiam infelicissimum arbitrari auderet! Ne quis Dionem fabulari credat, audiat, quae apud Lucianum in vit. auct. 9 emptori perterrito respondet; si quis — inquit — ita vitam suam instituat, ut inopiam et labores tolerare possit, simplici et obvio primum facillimoque cibo contentus sit, matrimonium et liberos et patriam flocci habeat, beatiorem se Persarum rege putabit. Cf. Luc. dial. mort. XI 3, Iuliani or. VI p. 195 B. Quin etiam ut Epictetus (III 22, 60) tradit, Diogenes eo usque processit, ut suam felicitatem cum Persarum regis felicitate omnino conferri posse negaret. Quid? idem Dio nonne praedicat p. 210 verbis hisce: *ὥστε οὐκ ἔϑ' αὑτὸν ἠξίου τῷ Περσῶν βασιλεῖ παραβάλλειν· πολὺ γὰρ εἶναι τὸ μεταξύ.*

Sed dum iocatur Diogenes, se cum illo comparari patitur et summo gaudio adficitur, quod se etiam *πλεονεκτεῖν βασιλέως καὶ τρυφᾶν* viderit. Vix opus est admonere *τρυφᾶν* verbum apud Cynicos usitatissimum fuisse; id solum exponam, cur illo dicto iocum aliquem contineri dixerim. Nam qui delicate vivit et luxui se dat, ei e Cynicorum opinione summa stultitia exprobranda est, velut Antisthenes homine quodam vitae delicias laudante "inimicorum" inquit "filii delicate vivant" (Diog. Laert. VI 8). Diogenes autem ipse sibi maioribus divitiis frui videtur, quam quae Cynicum decent, et iis deliciis se dedisse, quibus uti ceteros tam atrociter vetare solebat. Simili modo apud Xenophontem in conv. IV 39 Antisthenes, etsi parvas res habebat, tamen se tales voluptates sibi comparare posse dixit, ut plus laetaretur quam sibi gratum esset; *οὕτω μοι*, ait, *δοκεῖ ἔνια αὐτῶν ἡδίω εἶναι τοῦ συμφέροντος.* Quid? quod Antisthenes eadem ratione iocatur atque Diogenes. "Cum domum" inquit "venio, muri mihi molles vestes videntur esse, tecta crassae chlamydes, lectum autem tam commodum habeo, ut vel opus sit expergisci."

Cuius philosophiae, quae mendicorum est, Diogenes quoque permulta specimina dedit. Dio enim, quod iocos illos in

Digitized by Google

orationem intulit, optime eam Diogenis consuetudinem significavit, qua in summa paupertate tamen se tantam animi hilaritatem sibi conservasse ostendebat, ut ipse de inopia sua iocari posset. *Ὅτε καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἔφασκε δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς στοὰν καὶ τὸ Πομπεῖον, αὐτῷ κατεσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι* (Diog. Laert. VI 22). Apud Hieronymum adv. Iovin. II 207 de domo gloriatur, quod portam prout venti flarent, conlocare possit et paene homericis laudibus baculum praeclarissimum in Orco ornat, quod Antisthenes habuerat admodum robustum et ab ipso ex oleastro pulchre confectum (Luc. dial. mort. XI 3). Quondam mure ad eius mensam subrepente "ecce" inquit "etiam Diogenes parasitos alit" (Diog. Laert. VI 40). Ita Diogenes praeter divitias in virtute positas, quae multo pluris aestimandae essent quam aurum et aliae divitiae, ne his quidem se indigere demonstrabat, modo de rebus suis et condicione recte iudicaretur. Quam rationem aliquo modo sophistarum illis artificiis similem esse, quibus illi idem leve et grave, bonum et malum, parvum et magnum evincebant, facile apparet, et quo modo Diogenes eum, qui Athenis nisi summis cotidianis sumptibus vivi non posse contenderat, primum ad unguentorum et eiusmodi deliciarum venditores secum traxit et ostendit, quam *πολυτελὴς* urbs Athenarum esset, deinde ad lupinorum et ficuum et myrtorum venditores duxit et cum audisset, quanti quaeque res esset, conclamavit: *εὐτελής γε ἡ πόλις* (v. Teletem Cynicum apud Stob. in flor. I p. 125, 28 sqq.), eodem modo Bion docuit, ut qua vi cuiusque sensu res aliqua acciperetur, eandem vim eam habere (ibid. p. 124, 18 sqq.).

Quare Diogenes cum persuasum haberet, ut ipse apud Dionem in or. VIII p. 282 dicit, *πενίαν — καὶ φυγὴν καὶ ἀδοξίαν καὶ τὰ τοιαῦτα μηδὲν ἡγεῖσθαι δεινὸν αὑτῷ, ἀλλὰ πάνυ κοῦφα καὶ πολλάκις παίζειν ἐν αὐτοῖς τὸν ἄνδρα τὸν τέλειον, ὥσπερ οἱ παῖδες τοῖς ἀστραγάλοις* [1]) (cf. Iuliani or. VI p. 201 B), praeterea cum in scriptis quoque, ut postea vide-

1) Ipse de exsilio suo apud Diog. Laert. VI 49 iocatur, de morte in epist. XXV et Menippus apud M. Aurelium VI 47.

Digitized by Google

bimus, tales iocos admitteret, 'παιγνίων' illorum auctor factus est, quae post eum Crates Thebanus, eius discipulus, tanta cum laude excoluit (v. Diog. Laert. VI 85, Bergk. poet. lyr. II[4] p. 366).

Crates enim, ut Plutarchus (de anim. tranq. c. 4) scribit, *πήραν ἔχων καὶ τρίβωνα, παίζων καὶ γελῶν ὥσπερ ἐν ἑορτῇ τὸν βίον διετέλεσε* et postremo eadem animi hilaritate diem supremum obiit (cf. Diog. Laert. VI 92 = fr. 14 Bergk). Cynicorum autem 'παίγνια' ab aliis eiusmodi scriptis, velut Erotopaegniis, eo differunt, quod seria cum iocis arta necessitudine inter se coniuncta erant. Hac enim seria hilaritate, quae quantum et in sermonibus et in scriptis patuerit, Welcker (praef. Theogn. p. XCV adnot. 146) breviter significavit, nuper Wachsmuth in Tim. Phlias.[2] p. 66—68, 69—85 iis exemplis, quae ad sillorum originem et indolem demonstrandam apta erant, accuratius exposuit, factum est, ut Cynici *σπουδογελοῖοι* nominarentur. Quo in genere etiam 'παίγνια' fuisse vel titulus prodit, quo Diogenes Laertius Monimum *παίγνια* scripsisse tradit: *γέγραφε δὲ* — ait — *παίγνια σπουδῇ λελῃθυίᾳ μεμιγμένα* (VI 83, cf. Wachsmuth l. c. p. 68).

Horum scriptorum natura e Cratetis paegniis, quorum duo fragmenta exstant, aliquo modo adumbrari potest. Nam cum Demetrius de elocut. c. 170, quo de Cynicorum serio iocandi consuetudine et vi et utilitate ad educandos homines verba facit, eo in genere totam Cratetis poesin versari exponat, eius *παίγνια* includit. Iam in eo fragmento, quod Diogenes VI 85 ex paegniis exscripsit, ioci vis manifesta est, quae eo continetur, quod non solum Homerum in ridiculum detorquet, sed etiam carminis mirum idque novum argumentum invenit: ad magnam enim multitudinem "rerum publicarum", quas philosophi scriptis suis fingere solebant, novam Cynicorum adicit, cui iocose nomen Perae imponit; sed in civitatis imagine describenda res in serium vertitur. Altero fragmento ex paegniis sumpto, quod apud Iulianum (or. VI p. 199 C) servatur, hymnus in Musas continetur. Sed quid in his versibus per se ludicrum sit, primo obtutu non apparet; immo carmen

Digitized by Google

totum pietatis erga deos et sapientiae cynicae plenum est. Sed altius hac veste tectus satyrus latet. Nam carmen pro parodia esse cognoscitur, si Solonis elegiae XIII vers. 1 seqq. conferantur, ut Bergk iam vidit, quam Crates plane in contrarium sensum detorsit: Solon divitias a Musis sibi precatur, abnuit Crates; ille amicis suavis esse vult, hic utilis non suavis; et cum ita semper Soloni obloquitur, id lucratur, ut cynicam philosophiam exponat. Quod si Lucianum tamquam Menippi aemulum Dialogus accusat, quod iniuriis ab illo adficiatur cum aliis tum quoniam prodigiosa quaedam argumenta agere cogatur (*ὑποθέσεις ἀλλοκότους ὑποκρινόμενος αὐτῷ* bis accus. 33), in hac potissimum argumentorum lepida inventione Cratetis quoque paegnion virtus constitisse videtur. Propterea, si graecum cum Germanorum aliquo satirarum scriptore conferre licet, maxime Rabenero similis fuerit.

Hoc si tenemus, Bergkio non hoc vel illud carmen paegnion appellatum esse, sed maiorem carminum Crateteorum partem ad idem genus pertinere facile concedemus. Carmine alio iterum in hymni similitudinem composito Crates *Εὐτελίην* in dearum coetum introduxit (fr. 2), sub Necyiae specie invectivas in philosophos scripsit (fr. 4—6: cf. Wachsmuth sillogr.[2] p. 72 sq.), epitaphium exhibet fragm. 12, quo notus titulus in Sardanapalli sepulcro inscriptus,

κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον κτλ.

ita in philosophiam cynicam transfertur, ut non tam divitias appetendas quam animi et ingenii virtutes comparandas esse doceatur. Porro celeberrima illa 'ephemeris' earum tabellarum vel commentariorum speciem prae se ferebat, qui ad rationes pertinentes in cotidiano hominum usu erant. Crates autem, ut homines turpi exemplo proposito a luxuria deterreret, ludicram suam ephemeridem in divitis alicuius et libidinosi, credo, hominis ephemeridis similitudinem ita instituit, ut ipse diviti illi tecta ironia haec mandata daret:

τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκ', ἰατρῷ δραχμήν,
κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλῳ καπνόν,
πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον (fr. 15),

Digitized by Google

et cum ephemeridibus etiam acta diurna mandari solerent, nescio an tale quid in Cratetis scripto fuerit: *ποσάκις Ἡδείᾳ καὶ Λεοντίῳ συνῆλθον, ἢ ποῦ Θάσιον ἔπιον, ποίας εἰκάδας ἐδείπνησα πολυτελέστατα* (v. Plut. non posse suaviter c. 4).

Nova argumenta vel *ὑποθέσεις* a Menippo inveniuntur, testamenta, epistulae e deorum personis compositae (Diog. Lacrt. VI 101), auctiones (Diog. VI 29), vetera retractantur. A Luciano autem hoc genus ad summum cultum perductum est. Sed nostrum non est exponere, quo iure etiam Lucianus in *σπουδογελοίων* numerum referendus sit. Cratetis exemplo demonstrare volui, artem poeticam et lusus pro inlecebris fuisse, quibus Cynici homines ad praecepta audienda invitarent.

Quid? apud Dionem nonne idem facit Cratetis magister, Diogenes? primum de potentia sua vel regia iocatur, deinde rem eandem in serium convertit, ut uno verbo dicam, Diogenes se *σπουδογελοῖον* Cynicum praebet.

Diximus de iocis Diogenis, nunc videamus, quae serio exponat. Disputationis argumentum his verbis proponitur: *ὅμως δὲ ἐνεδείκνυτο τὸν πλοῦτον τοῦ Πέρσου καὶ τὴν λεγομένην εὐδαιμονίαν, ὅτι οὐδέν ἐστι τῶν ἐκείνου πραγμάτων οἷον νομίζουσιν. τῶν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄφελος εἶναι, τὰ δὲ καὶ σφόδρα πένησιν ἐξεῖναι ποιεῖν* (p. 200).

Haec Diogenis sententia pertinet ad cynicae philosophiae *τόπον* saepissime tractatum, qui est de sapientis imperio. Eos enim, qui vulgo tyranni vel reges nominantur, servorum loco habent Cynici, quorum ex sententia soli sapientes sive philosophi cynici re vera imperium tenent. Epictetus enim (III 24, 67. 68, cf. Winckelmann. Antisth. fragm. p. 55 XXIII) de se ipse haec narrat: ex quo me Antisthenes liberavit, servire desii. Docuit enim me, quae mea essent, quae non mea. Res familiaris non mea est, item nec cognati neque affines aut amici neque fama, meus est tantum usus visorum (*φαντασιῶν χρῆσις*); hunc qui sibi retinuit, neque hominum imperio subditicius est neque rebus succumbit. *Οὔ τινος οὖν οὐχ ἡδονὴ κρείττων ἐστὶν, οὐ πόνος, οὐ δόξα, οὐ πλοῦτος, δύναται*

Digitized by Google

δ' ὅταν αὐτῷ δόξῃ, τὸ σωμάτιον ὅλον προσπτύσας τινὶ ἀπελθεῖν, τίνος ἔτι δοῦλός ἐστι; (cf. Iuliani or. VI 195 D — 196 C). Ea animi libertas, quae ita comparatur, proinde ac sempiternus principatus a Cratete his versibus laudatur:

ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀδούλωτοι καὶ ἄκαμπτοι
ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν ἀγαπῶσιν (fr. 9).

Quid autem de Diogene dicamus? Quanta audacia et superbia cum Alexandro versabatur, perinde atque ille mendicus esset, ipse dives et omnipotens! Quo tandem iure fretus? Nimirum quoniam persuasum habebat, illis subditorum consensu et humana lege (νόμῳ) imperium traditum esse, se ex sancto et inviolato ipsius naturae iure non solum unius nationis sed totius mundi civium regem et nominari et esse. A piratis enim interceptus et in Cretam insulam ut venumdaretur ablatus, cum a nonnullis emptorum insolenter interrogatus esset, quid calleret, respondit: "impero" inquit "hominibus." Quibus verbis Philo Iudaeus in libello 'quod omnis probus liber' II p. 465 M. rectissime ea explicans haec addit: ὡς ἔοικε τῆς ψυχῆς τὸ ἐλεύθερον καὶ εὐγενὲς καὶ φύσει βασιλικὸν ὑπηχούσης. Hoc sapientis imperium maxima potentia et firmissimo praesidio nititur:

οὐκ οἶσθα, πήρα δύναμιν ἡλίκην ἔχει
θέρμων τε χοίνιξ καὶ τὸ μηδενὸς μέλειν (Crat. fr. 16).

Sequitur, ut tyranni servi sint (Diogenes apud Plut. an seni c. 1 = fr. 260 Mull.), quin etiam servis vilissimis multo nequiores (Antisth. in Stob. flor. XXXXIX 47 = p. 49 XIV Winck.); cf. dial. mort. II 2, Diog. epist. XXIX 2.

Nescio an nulla alia philosophiae pars tanta ira et studio a Cynicis tractata sit. Antisthenis scriptorum tituli, quae huc pertinent, hi a Diogene Laert. VI 16 nominantur: περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας, Κῦρος, Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας, et § 18, si quidem hi libri recte ei tribuuntur [1]), Ἡρακλῆς ἢ [2]) Μίδας, Μενέξενος ἢ περὶ τοῦ ἄρχειν, Ἀρχέλαος ἢ περὶ βασιλείας.

1) Suspicionem movit Susemihl in Fleckeis. annal. 135 (1887) p. 209.

2) Melius καὶ scribitur cum Welckero (v. opusc. II p. 482 sq.), quem secuntur Mueller, de Antisth. Cyn. vita et scriptis p. 41 et Susemihl l. c.

Digitized by Google

Praeterea Pseudodiogenis aliquot epistulae feruntur, quae ad reges datae sunt [1]), quibus omni timore abiecto acerbissimis verbis in tyrannos saevit. Eadem ira, qua Diogenes etiam Menippus in tyrannos flagrabat et risus suos et convicia effudit (cf. Luc. dial. mort. XX 2. 6. II 1. necyom. 12). Maxime autem ita rem tractasse videtur, ut cum in Orco *ἰσοτιμία* omnium mortuorum esset et pari loco reges et mendici haberentur, ne Croesi quidem divitias ad hominum felicitatem quidquam valere demonstraret (Luc. in necyom. 13. 15. 17; cf. dial. mort. I 2. XXIV 3). Haec Menippi ratio ita et in necyom. et dial. mort. a Luciano semper tenetur, ut pro genuina accipiamus, praesertim cum Lucianum necyomantia Menippi *νέκυιαν* imitatum esse credibile sit. Adde quod idem reges pro exemplis sunt, quae iam ab Antisthene et Diogene proponi solebant. Ea enim erat Cynicorum consuetudo, in qua tota eorum philosophia, quae de moribus est, constituta erat, ut efficacissima ad hominum animos permovendos exempla esse rati turpia vitiorum exempla, virtutum praeclara et aemulatione digna proponerent, illud scilicet consilium secuti, quod Demonax his verbis dat: *ἐν ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παίδευε σαυτὸν καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ* (Anton. I 10 p. 12, 42 ed. Gesn. = Maxim. 2 p. 165, 28 ed. Gesn.).

---

1) Ad Alexandrum ep. XXIII, XXIV, XXXX, ea, quae fragmento 258 Mull. ex Epicteti diss. IV 1, 30. 31 sumpto continetur, ad Dionysium epist. XXIX, ad Perdiccam et Antipatrum XXXXV. V; IV. XIV. XV.— Ceterum epistulas cum Dione conferre et pro testimoniis adhibere licet, primum quod, si in singulis cum Dione consentiunt, sententiarum nexus et ordo tam diversi sunt, deinde in universum omnia vestigia desunt, quibus Dione epistolographos anonymos usos esse demonstrari possit, ut hos et illum ex iisdem fontibus hausisse verisimile sit. Velut epistularum ad reges missarum ex. c. in ep. XXXXV Diogenes Perdiccae respondet: *τοῦτο γὰρ ἀξιοῖς καὶ λόγοις μὲν ἅπτεσθαί μου οὐκ ἀναβάλλῃ, ἀπειλεῖς δὲ ἀπειλὴν καυθαρίδος, ἀποκτενεῖν.* Ex eodem fonte Diogenis Laert. VI 44 haec verba originem duxerunt: *Περδίκκου ἀπειλήσαντος, εἰ μὴ ἔλθοι πρὸς αὐτόν, ἀποκτενεῖν, ἔφη "οὐδὲν μέγα· καὶ γὰρ κάνθαρος καὶ φαλάγγιον τοῦτ' ἂν πράξειεν."* De origine epistularum illarum vide Duemmler. in Antisthenicis p. 71 sq.

Digitized by Google

Itaque pro perditorum regum exemplis nominantur Philippus propter insatiabilem aviditatem (Diog. apud Diog. Laert. VI 43, Menipp. apud Luc. in necyom. 17), Midas et Croesus propter avaritiam a Diogene (fr. 276; cf. dial. mort. II 1. XX 2, Musonium apud Stob. in flor. LXXXXV 23) Antisthene praeeunte, qui de Mida singularem illum libellum (*Ἡρακλῆς καὶ Μίδας*) scripsisse fertur, Maussollus propter nimiam sepulcri magnificentiam (dial. mort. XXIV, necyom. 17), Sardanapallus propter luxuriam (Crat. fr. 12 Bergk., eiusdem epist. XIII; Epict. III 22, 30; dial. mort. II 1. XX 2). Quibus opponitur regum bonorum multo minor numerus: Cyrus ab Antisthene et ut suspicor Hercules ab eodem (v. infra).

De Xerxe autem tamquam malo rege cynicos fontes secutus Themistius *περὶ ἀρετῆς* (in mus. rhen. XXVII 450 sq.) disserit, quocum Menippi verba apud Luc. in dial. mort. XX 2 conferri possunt: *εἶτα σὲ* (Xerxem), *ὦ κάθαρμα, ἡ Ἑλλὰς ἔφριττε ζευγνύντα μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διὰ δὲ τῶν ὀρῶν πλεῖν ἐπιθυμοῦντα;*

Praeter hos locos Diogenis disputatio apud Dionem in or. VI 210—218 servatur, quam de Persarum regis servitute esse iam dixi. Hanc qui legat, ex iis quae de sapientis imperio exposui e cynicis fontibus sumptam esse, statim videbit.

Quid? quod eam Epicteti diss. III 22, 60. 61 comparata ad Diogenem ipsum redire evincitur. Is enim quondam haec dixit: *πῶς συνέκρινε* (scil. Diogenes) *τὴν εὐδαιμονίαν τὴν ἑαυτοῦ τῇ μεγάλου βασιλέως; μᾶλλον δ' οὐδὲ συγκριτὸν ᾤετο εἶναι. ὅπου γὰρ ταραχαὶ καὶ λύπαι καὶ φόβοι καὶ ὀρέξεις ἀτελεῖς καὶ ἐκκλίσεις περιπίπτουσαι καὶ φθόνοι καὶ ζηλοτυπίαι, ποῦ ἐκεῖ πάροδος εὐδαιμονίας; ὅπου δ' ἂν ᾖ σαπρὰ δόγματα, ἐκεῖ πάντα ταῦτα εἶναι ἀνάγκη.* Haec omnia ad Diogenem redeunt et resonant eiusdem epist. XXXX 3 et fr. 276, sed ita cum Dioneo Diogenis sermone consentiunt, ut Dio ex eadem disputatione, ex qua Epictetus sua hausit, pro suae orationis argumento quaedam selegisse videatur.

Primum enim apud eum Diogenes verba facit de timoribus, quibus vario modo reges exagitantur, timentes in tanta

Digitized by Google

auri copia paupertatem, timentes morbos, consternati ad mortis memoriam, existimantes omnes sibi struere insidias, etiam liberos et fratres (p. 210). Porro armatos habent suspectos, quorum custodiae sese crediderunt, et cibum potumque, quorum praegustatores habent (p. 211). Mortis pavor semper socius est regibus pariter noctes et dies, comedentibus et sacrificantibus, in amatarum complexu et per symposia.[1]) Sed ne totam dissertationem transcribam, ipse sis legas p. 212—216.

Tum Dio sic pergit: hoc ex timore *ταραχαὶ* exsistunt. Modo enim rex sobrius concupiscit ebrietatem, modo ebrius factus putat se perisse, cum sibi ipse succurrere non possit. Praeterea vigilans dormire cupit, ut timoris obliviscatur; dormiens autem subito expergiscitur somniis exagitatus. Cum inermes timeat, credit se armatis; ab his fugit ad inermes, et adversus multitudinem a satellitibus custoditur, adversus satellites ab eunuchis (p. 210 sq.). Has animi titubationes Epictetum verbo *ταραχαὶ* significasse ex ea re apparet, quod ipse Diogenes apud Dionem in or. IV p. 148 eandem Alexandri regis inconstantiam eodem nomine vituperat: *ὁ οὖν Διογένης καταμαθὼν αὐτὸν τεταραγμένον ἐβουλήθη μεταβαλεῖν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν ὥσπερ οἱ παῖδες τοῖς ἀστραγάλοις* (cf. p. 164): nam Alexander quando laudatur, gaudet; dolore adficitur, quando vituperatur (p. 148 sq. 158).

Porro item ut Epictetus Dio omnium hominum vehementissime reges luctu vexari p. 214 exponit, et ea quoque in re consentit, quod Diogenem dicentem inducit, cum maximam in invidiam is veniat, qui plurima quamquam iure possideat, neminem maiore invidia laborare tyrannis (p. 214). Neque desunt *ζηλοτυπίαι* apud Dionem; *μόνοις δὲ* — ait — *τοῖς μονάρχοις τῶν μὲν εὖ παθόντων οὐδεὶς οἶδε χάριν· οὐδέποτε γὰρ ἡγοῦνται τῶν ἱκανῶν τυγχάνειν· οἱ δὲ μὴ τυγχάνοντες ὧν βούλονται, πάντων μάλιστα μισοῦσιν αὐτούς* (p. 214).

Itaque Dio ipsius Diogenis diatriben ad orationem suam

1) Cf. Stob. flor. LXXXVI 19 (= fr. 61 Mull.) *Διογένης πυνθανομένου τινός, τίνες τῶν ἀνθρώπων εὐγενέστατοι· οἱ καταφρονοῦντες εἶπε, — ζωῆς — ὑπεράνω ὄντες — θανάτου.*

Digitized by Google

adhibuit. Etsi etiam singulares nonnullas sententias ei debere videtur [1]), multo saepius alios Cynicos praeter Diogenem cum Dione consentire invenio, ut de his locis dubium sit, utrum ad Diogenem ipsum redeant an aliis Cynicis debita inter Diogenea intermixta sint [2]); deinde non pauca restant plane *μετ-*

1) Quod enim Dio p. 217 prius ab altoribus saevos leones dilectum iri quam tyrannos a ministris exponit, Diogenis dictum aliquod apud Diog. Laert. VI 75 imitatus esse potest: *οὐδὲ γὰρ τοὺς λέοντας δούλους εἶναι τῶν τρεφόντων, ἀλλὰ τοὺς τρέφοντας τῶν λεόντων.* — De regum adsiduis satellitum timoribus cf. Diog. epist. XXIX 1 ad Dionysium tyrannum datam: . . . *φόβων καὶ δειμάτων, ἐν οἷς ὢν οἶει κτλ.*, cf. epist. XXXX 4. De timore v. Antisthenem in Stob. flor. VIII 14 (= p. 58 IX Winck.): *ὅστις — ἑτέρους δέδοικε, δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν.* — Porro verba p. 213 R *οἱ δὲ τύραννοι τὰ μέγιστα κακὰ ἔχοντες ἐν τοῖς μεγίστοις νομίζουσιν ἀγαθοῖς εἶναι* cf. cum epist. XXIX 4: "omnia" scribit Diogenes "facis, quaecunque homo furiosus faciat, *ἀλλ' οὔτε οἱ συνόντες ὁρῶσιν ὅσον τὸ κακὸν ἔχεις, οὔτε αὐτὸς αἰσθάνῃ, οὕτως ἐκ πολλοῦ τέ σου καὶ σφόδρα ἥπται ἡ νόσος.*"

2) p. 210 R rex Persarum omnium infelicissimus nominatur, cum in tantis thesauris paupertatem timeat. Similia Antisthenes apud Xenoph. conv. IV 35 sq. — Verbis Dionis *τῶν νοσερῶν ἀπέχεσθαι μὴ δυνάμενοι* (scil. tyranni) respondet Antisthenes apud eundem l. c. § 37: *τούτους* (tyrannos) *μὲν οὖν ἔγωγε καὶ πάνυ οἰκτίρω τῆς ἄγαν χαλεπῆς νόσου· ὁμοῖα γάρ μοι δοκοῦσι πάσχειν ὥσπερ εἴ τις πολλὰ πίνων καὶ πολλὰ ἐσθίων μηδέποτε ἐμπίπλαιτο.* — Deinde ne Cynici quidem disputationibus suis Xerxis auream platanum *πολυθρύλλητον* deesse voluerunt: quae a Dione commemoratur p. 211, eodem modo apud Themistium (in mus. rhen. XXVII p. 452), redit apud Iulianum in or. VI 194 A, quocum consentit Aelianus in v. h. II 14; uterque enim omnem pretiosum ornatum, quem Xerxes ex ea suspendisset, quidquam momenti ad eius pulchritudinem addidisse negat, quoniam naturam eius non sublevasset aut roborasset. Aelianum ex cynico fonte hausisse etiam initio loci illius excerpti apparet: nam quod Xerxes in irrisionem trahitur, quod nova itinera et insolitam navigationem sibi paraverit, mari et terra, quae Iovis sint opera, spretis et, ut ipsa verba adscribam, *ἐδεδούλωτο — πλατάνῳ καὶ ἐθαύμαζε τὸ δένδρον*, Cynicorum terminos technicos et doctrinam agnosco. Cf. Aeliani v. h. IX 39; similem Stoicorum doctrinam v. apud Diog. Laert. VII 85. — Porro reges eo magis mortem timent, quod magnos thesauros relinquere coguntur (p. 214 R). Haec sententia a Luciano in dial. mort. II pro argumento supposita est. Croesus enim, Midas, Sardanapallus apud Platonem Menippum accusant, quod quando plorent istarum rerum me-

Digitized by Google

ἑωρα. Si addas, quod multa a Dione, ut solet, paulo copiosius dicta sunt, suspicio non abest, quin ipse Dio genuinam illam Diogenis diatriben amplificaverit et immutaverit. Nam ea, quae Diogenes de regis magni infelicitate et iocans et serio disputat, vitae secundum naturam agendae laudibus (p. 200—210) discinduntur. Transitio autem, qua illud encomium inducitur, non apta est nec lacuna, qua sententiarum conexus hiat, verbis *οὐδὲ γὰρ ὡς ἐνόμιζον ἔνιοι τῶν ἀφρόνων* etc. expletur. Quid igitur est? videtur Dio duas diversas disputationes contaminasse. Quod ut suspicemur, aliae res accedunt. Diogenes ubi de Persarum regis servitio verba fecit, id quod res per se poscit, suam vitae libertatem opponit, quae paupertate et inprimis victus frugalitate sublevetur: *ἱκανὰ δέ μοι τροφὴν παρασχεῖν καὶ μῆλα καὶ κέγχροι καὶ κριθαὶ καὶ ὄροβοι καὶ τὰ εὐτελέστατα τῶν ὀσπρίων — ὑφ' ὧν ἀντέχει τρεφόμενα καὶ τὰ μέγιστα θηρία* (in orat. fine). Similia iam antea p. 202 sq. exposita sunt. Deinde p. 203 prorsus cum p. 206 consentit; haec exstant p. 203: *τοὺς δὲ πόδας οὐδέποτε ἔσκεπεν· οὐ γὰρ ἔφη τρυφερωτέρους εἶναι τῶν ὀφθαλμῶν καὶ τοῦ προσώπου*, quae Dio repetit p. 206: *ἐπεδείκνυε δὲ τῶν ἀνθρώπων αὐτῶν τούς τε ὀφθαλμοὺς καὶ τὸ πρόσωπον οὐδὲν δεόμενον σκέπης*. Item p. 204 sq. de bestiis repetuntur, quae p. 202 iam erant dicta.

Quae cum ita sint, eius Diogenis diatribes hanc mihi indolem fingo. Primum Diogenem iocantem, deinde serio de Persarum regis servitute verba fecisse verisimile est, si quidem concedantur, quae de Cynicorum iocandi genere antea exposui, tum ipsius vitae libertatem regiae sorti opposuisse et ad naturam sequendam adhortatum esse. Nam si ita vitam instituas, libertatem secuturam esse non solum apud Dionem exponit (p. 210, cf. 217 sq.), sed etiam apud Diog. Laert. VI 71.

---

mores, quae supra adfuerunt, Midas auri, Sardanapallus multae luxuriae, Croesus thesaurorum, ille semper irrideat et convicietur. Neque aliter Diogenes ac satelles regum vestigia urguet eosque iocis et obiurgiis fatigat (dial. mort. XXIV 3. necyom. 18).

Digitized by Google

Eam autem partem, quae de vita secundum naturam agenda erat, Dio amplificasse videtur (p. 200—210), ita ut de Diogenis moribus nonnulla adiceret.

II

Hanc partem nunc tractaturis pauca de ea Cynicorum doctrina nobis praefanda sunt, qua in omnibus rebus naturam sequendam esse statuebant.

Sophistarum doctrinae primum, quo reliqua omnia redeunt, praeceptum esse *τὰ μὲν φύσει εἶναι, τὰ δὲ νόμῳ* satis constat. Verum Cynicos quoque eandem doctrinam in suam philosophiam non solum recepisse, sed etiam per singulas partes persecutos esse parum perspexerunt, qui de eorum secta scripserunt. Zeller in phil. graec. hist. sola adnotatione (II 1 p. 276, 2, cf. 272, 3) de notionibus *φύσει* et *νόμῳ* disputavit, sed multo latius quam putavit, haec doctrina in philosophia et Antisthenis et eius sectatorum patet. Nec vero solum ad ipsius cynicae vitae rationes, sed etiam ad praescripta physica, ethica, politica, ad verborum interpretationem utpote *φύσει* natorum et rerum explicationem, quibus quodque nomen impositum est [1]), ad Homeri interpretationem notiones illae maximum valent. Hoc etsi Zeller l. c. maximam partem animadvertit, multo subtilius quam adhuc factum est per singula dicta et doctrinas vestigia et indicia earum notionum persequenda sunt, quod si feceris, invenies credo ex illa notione cynicam quoque philosophiam maxime originem duxisse. Id ita se habere, cum ipse suspicatus essem, eam opinionem firmavit mihi Rohde.

Hanc ad rem explicandam Iulianum adire necesse est, qui et optime cynicam philosophiam intellexisse et praeclaris fontibus usus esse mihi videtur. [2]) Is p. 187 C sq. quaerit, quis

1) Cf. Duemmler. in 'exercitat. grammaticae specim.' Bonnae 1881 ed. p. 54 sq.

2) Quam docte disputat de Cynicorum *παιγνίοις* (or. VI 186 BC) et quamquam falso de Diogenis tragoediis in or. VI 186 B sq., VII 208 C sq.

Digitized by Google

princeps Cynicorum sit et ad eum disputationis finem pervenit, ut cynicam philosophiam iam ante Herculem Cynicorum patronum a nonnullis et inter Graecos et barbaros traditam fuisse dicat; ait enim *αὕτη γὰρ ἡ φιλοσοφία κοινή πως ἔοικεν εἶναι καὶ φυσικωτάτη καὶ δεῖσθαι οὐδ' ἡστινοσοῦν πραγματείας. — ἀλλὰ ἀπόχρη μόνον δύο ταῦτα τοῦ Πυθίου παραινοῦντος ἀκοῦσαι, τὸ 'Γνῶθι σαυτὸν' καὶ 'Παραχάραξον τὸ νόμισμα'* (p. 187 D, 188 A); illud *'Γνῶθι σαυτὸν'* etiam ceteris hominibus deum praecepisse, Diogeni autem maxime alterum [1]) mandasse. Quod Iulianus in or. VII 211 BC sic explicat: *τί δὲ εἶπεν ὁ θεὸς ἆρ' ἴσμεν; ὅτι τῆς τῶν πολλῶν αὐτῷ δόξης ἐπέταξεν ὑπεροράν καὶ παραχαράττειν, οὐ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ τὸ νόμισμα.* Vocabulum *νόμισμα* et consuetudinem et opinionem significat (v. Menag. ad Diog. Laert. IX 44) et ita Cynicos usurpasse e Iuliani or. VII 208 D, 209 A apparet: *ἐκεῖνο γὰρ ἀφίημι τέως, ὅτι τῷ Κυνικῷ τὸ νόμισμα παραχαράττοντι τῇ*

---

210 C. 212 A. Videtur Plutarchi quoque Cratetis Cynici vitam habuisse, quam in or. VI 200 B citat; Oenomao auctore VI 187 BC. 199 AB, VII 209 B – 210 D utitur, aliis scriptis de Alexandro Diogenis fautore p. 203 BC, Dionis Chrysostomi or. IV in or. VII 212 C, Diogenis epistulis p. 212 D, Cratetis hymnis VI 199 AD, VII 213 A; et ita semper certis quibusdam fontibus nisus (cf. or. VI 197 BC. 199 C — 200 B) non sine arte critica utitur, velut non immerito de Dionis fide VII 212 C dubitat, quamquam negari non potest eum in fontium usu, sive quod ipse coniecturas faciebat sive quanta vis fontium memoriae tribuenda esset diiudicabat, saepius a recta via aberrasse.

1) De hoc praecepto vide etiam Diogenem Laert. VI 20. 21 cum Menagii adnot., Luciani Demon. 5, Goettling. opusc. I p. 238 sq. Ipse Diogenes in eo libro, quem *πόρδαλος* inscripserat, dixisse fertur se monetam falso signasse (*παραχαράξαι τὸ νόμισμα*), quo sententiarum nexu nescimus. Ceterum *πόρδαλος* cum *πέρδω, πορδή, πορδαλέος*, quo verbo Luc. Lex. 10 utitur, cohaeret. Iam cum notum sit Diogenem naturalia non turpia esse et ubique pedere *ἀδιάφορον* putasse (Diog. Laert. VI 48. 94, Iulian. VI 197 C) ita, ut *πόρδωνες* ii Cynici, qui Diogenem imitabantur, ab Epicteto nominarentur, de hac fortasse re *πόρδαλος* erat. Videtur hoc verbum ita ridicule formatum esse, ut nominis *πόρδαλις* masculinum sit: cf. Aristoph. fr. 478 apud Polluc. VII 202 servatum:

τὴν πόρδαλιν καλοῦσι τὴν κασαλβάδα.

Digitized by Google

συνηθείᾳ προσέχειν οὐδαμῶς προσήκει, τῷ λόγῳ δὲ αὐτῷ μόνῳ, καὶ τὸ ποιητέον εὑρίσκειν οἴκοθεν, ἀλλ᾽ οὐ μανθάνειν ἔξωθεν.

Itaque contra consuetudines et opiniones Diogenes atrociter pugnabat, naturam, quae illis contraria est,

ἦ νόμων οὐδὲν μέλει

φησὶν Εὐριπίδης (Aelian. de nat. anim. IV 54), semper sublevabat: *ἔφασκε δ᾽ ἀντιτιθέναι τύχῃ μὲν θάρσος, νόμῳ*[1] *δὲ φύσιν, πάθει δὲ λόγον* (Diog. Laert. VI 38). De hac notione optime Iulianus in or. VI p. 193 D sq. disputat: *τῆς κυνικῆς δὲ φιλοσοφίας σκοπὸς μέν ἐστι καὶ τέλος, ὥσπερ δὲ καὶ πάσης φιλοσοφίας, τὸ εὐδαιμονεῖν, τὸ δὲ εὐδαιμονεῖν ἐν τῷ ζῆν κατὰ φύσιν, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὰς τῶν πολλῶν δόξας.* Quodsi Zeller l. c. II 1 p. 269 scripsit: "Der Grundgedanke des Cynismus ist die Selbstgenügsamkeit der Tugend", ex illo Iuliani loco ea opinio corrigenda est, quo hic virtutis *αὐτάρκειαν* propterea homines sequi oportere demonstrat, quod id humanae naturae habitu poscatur. Audias quaeso, quomodo Iulianus felicitatem naturali vita constare coarguat. Ut plantae et animalia sese bene habere non possunt, nisi ad eum finem perveniant, quem cuique natura destinavit, ut porro deorum felicitas ea re constat, quod suam naturam secuntur, item hominis felicitas non aliunde exspectanda, sed ipsa humana natura definita est. Quomodo igitur non ridiculum est, quod homines divitias et nobilitatem et eiusmodi cetera tanti aestimant, quanti eos aestimare videmus, cum haec omnia nullo pacto ad eorum naturam pertineant? Laudandum id studium esset, si humana ut animalium natura simplici ex corpore composita esset. At nunc quoniam di, quo corporis debilitatem praeclaro dono compensarent, animae spiritus nobis inflarunt,

---

1) Nam verbum '*νόμος*' iam dudum a primaria significatione aberraverat et non solum earum legum significationem susceperat, ex quibus civitates administrantur, sed etiam *ἀγράφων* illarum, quae hominum consuetudine et tacito consensu inveteratae et stabilitae sunt. Transiit igitur in '*νόμισμα*' verbi significationem (v. Menag. ad Diog. Laert. IX 44) et consuetudinem et opinionem significat. Vide Wilamowitz in quaest. philol. I (1880) p. 47 sqq., de *νόμοις ἀγράφοις* Dissen in opusculis disseruit.

Digitized by Google

τὴν εὐδαιμονίαν ἐνταῦθα θετέον, ἐν τῷ κρατίστῳ καὶ σπουδαιοτάτῳ τῶν ἐν ἡμῖν. σκόπει δὴ ταύτης εἰ μὴ μάλιστα τῆς προαιρέσεως ἦν Διογένης. Inde igitur factum est, ut Antisthenes virtutem ad vitam beatam sufficere doceret (Diog. VI 11); inde, ut Diogenes concluderet duplicem esse exercitationem, alteram animi, corporis alteram, sed adderet corporis exercitationem nullum usum praebere, nisi ad animum corroborandum institueretur, quam sententiam qui tradidit, Diog. Laert. VI 71 his verbis praeclarissime explicat: *τοιαῦτα διελέγετο καὶ ποιῶν ἐφαίνετο, ὄντως νόμισμα παραχαράττων, μηδὲν οὕτω τοῖς κατὰ νόμον ὡς τοῖς κατὰ φύσιν διδούς.*

Sed quis scire potest, quae animo, quae corpori apta sint, nisi ipsam hominis naturam cognoverit? (cf. Iulian. VI 190 AB). Quare ut Cynismi principiorum trias expleatur, accedere oportet illud *'Γνῶθι σαυτόν'* vel ut Cynici interpretati sunt 'Cognosce naturam tuam.' Hoc praeceptum, ut Iulianus in or. VII p. 211 CD exponit, ea ratione una cum altero illo *'Παραχάραξον τὸ νόμισμα'* a deo ita datum est, ut huius quasi species sit. Nam is, qui ea, quae vulgo magna putantur, contempsit et ad ipsam virtutem processit, etiam eas, quae de ipso circumferuntur opiniones, pro nihilo putabit et iis fidem habebit, quae vera sunt. Itaque se ipsum cognoscere philosophandi initium est [1]), unde si egressus eris, ad eum finem pervenies, ut dis similis fias, sive ut imperator Romanus p. 225 D dicit, eum, qui Cynicus esse vult, omnes opiniones neglegere oportet, et primum ad se ipsum, deinde ad deos animum intentum advertere. Hoc si fecerit, homines prae ceteris animalibus dis cognatos esse intelleget (v. Muson. apud Stob. in flor. I p. 286, 8 coll. cum Diogene apud Diog. Laert. VI 105), propterea scilicet, quod anima humana ortu divino constat. [2]) Quare is, qui se ipsum noverit, eam vitae simplicitatem imitabitur, qua

1) Demonax in Stob. flor. XXI 8 (= fr. 8 Mull.): *Δημ. ἐρωτηθείς, πότε ἤρξατο φιλοσοφεῖν 'Ὅτε καταγιγνώσκων' ἔφη 'ἐμαυτοῦ ἠρξάμην'.* Cf. Menipp. apud Luc. in dial. mort. II 2. Ceterum vide Zeller. II 1 p. 248 sq.

2) Iulianus VI p. 196 D *τῷ ἐν ἡμῖν θεῷ, τοῦτ' ἔστι τῷ νῷ·* cf. 197 B, VII 226 C.

Digitized by Google

di *ξεῖα ζώοντες* gaudent (Diog. Laert. VI 105), aurum pari loco habebit atque arenas et in universum *τὸ αἰσχρὸν ἢ καλὸν οὐκ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις ἢ ψεγομένοις τίθεται, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει* (Iulian. VII 226 A). Natura autem cum anima corpore praestantior esset, Cynici animae principatum tribuerunt, cui illud subditum esse volebant. *Φαίνονται δὴ οὖν ἀρετὴν ἐπιτηδεύσαντες* (Iulian. VII 190 B). Porro illo *'Γνῶθι σαυτὸν'* etiam propterea maxime Cynico opus est, quod ceteros homines vitiis liberare sibi proposuit. Quomodo autem hoc facere potest, nisi antea compertum habuerit, num ipse vitiis liber sit? (cf. Iulian. VI 200 C, 201 A—C). His causis factum est, ut semper Cynici Socratis exemplo homines adhortarentur, ut perquirerent,

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται

(cf. Diog. Laert. VI 103, Musonium in Stob. ecl. II 31, 126 p. 245 W.).

Quae cum ita sint, quoniam secundum has primarias eius philosophiae rationes totius illius sectae historia conscribenda est, opus est eam historiam, qualis nunc est, *παραχαράττειν* et ab illa triade vel potius illo *'Παραχάραξον τὸ νόμισμα'* initium capere. Diogenes enim Laertius VI 64 Diogenem theatro egredientibus obviam isse narrat et cum interrogatus esset, quo consilio id faceret, responsum dedisse "hoc in tota vita facere mihi proposui." Hoc igitur ei propositum erat, omnibus opinionibus et moribus et rationibus hominum obviam ire et adversari. Est idem illud, quod poeta dicit:

Er ist der Geist, der stets verneint.

Et profecto, si singula dicta et placita Diogenis perlustrabis, invenies illum singularem virum, exsulem et mendicum, tamen ausum esse omnia, quae eo tempore apud Graecos praeclara et magna et honesta et appetenda putabantur, pedibus calcare: cadunt maiorum di, tolluntur civitatum leges, evertuntur funditus omnes civitates, contemnuntur divitiae, regia potestas, pulchritudo, irridentur omnes hominum consuetudines et opiniones; una ex tota strage servata escendit philosophi cynici virtus omnibus aliis opibus carens et tantum per se vigens,

Digitized by Google

solae incolumes stant naturae, quam Cynici intellegunt, leges sanctae et inviolatae.

Litterarum studia inter Graecos maxime sophistarum opera et disciplina instaurata esse apud omnes constat. Haec prima fulsit lux et claritudo Graecorum eruditioni et humanitati. Sed magnum erat periculum, ne obscuraretur et exstingueretur ab iis, qui sophistarum doctrinis et in universum omni litterarum studio inimicissimi erant, a Cynicis. Hi enim novam et multo splendidiorem salutis lucem, quam quidem putabant, hominibus se adlaturos esse confidebant, si eos inutili illa eruditionis mole et antiqui cultus vinculis per tot saecula communi omnium opera et coniunctis viribus comparati liberarent et iam, ut est in nostro proverbio, quasi tabula rasa ad Saturnii regni simplicitatem et sinceritatem, quae re vera erat horrida morum feritas et barbaries, reducerent. Sed temporum favore factum est, ut Graeci non quo Cynici eos ducere studebant sequerentur, quod si fecissent, ipsi litterarum suarum florem et gloriam delevissent.

III

Iam ut ad Dionem revertamur, nescio, utrum casu factum sit an dedita opera, ut illa praeceptorum trias, ad quam totus Cynismus redit, etiam Dionis orationibus inlustraretur: in or. enim VI p. 200 sqq. Diogenes monet, ut homines secundum naturam vivant, in orr. VIII et IX, ut illud '*Παραχάραξον τὸ νόμισμα*' sequantur, in or. X, ut se ipsum quisque cognoscat.

Ac primum quidem ut nobis proposuimus ad orationis VI p. 200—210 transeamus. Sententiarum ut vidimus conexu interrupto Dio haec fere narrare incipit. *Οὐδὲ γὰρ ὡς ἐνόμιζον ἔνιοι τῶν ἀφρόνων, ἀμελὲς ἦν αὐτῷ περὶ τοῦ σώματος.* Sed illi cum eum viderent frigus pati, sub divo dormire, sitim tolerare, eum corporis valetudinem non curare putabant. Quamquam non solum multo meliore valetudine utebatur, sed etiam iucundiorem vitam degebat, quam ii, qui magnis di-

Digitized by Google

vitiis usi omnes vitae delicias sibi parare poterant (p. 200—202), iucundius in sole apricabatur cibumque sumebat, quando satis frigus et famam toleraverat. [1])

Maxime vero etiam anni temporum plus quam alii mutationibus gaudebat. Atque aestate appropinquante delectabatur, quando iam coelum serenum lucebat, neque desinente aegre ferebat, quippe cum nimio calore liberaretur. *Ταῖς δὲ ὥραις ξυνεπόμενος* [2]) *καὶ κατ' ὀλίγον αὐτῶν πειρώμενος ἀλύπως πρὸς ἑκατέραν τὴν ὑπερβολήν.* [3]) Hoc modo et ipse naturam sequebatur, et cum alios tempestatis vicissitudinibus occurrere videbat, eos probris puniebat. Raro igne [4]) vel umbra vel tegumentis [5]) utebatur; ceteros homines vituperabat, quod opportunitatem praeoccupantes si vel modicum frigus sentirent, aufugerent et ignes accenderent, aestate autem e sole decedentes domos subirent et quantum liberet vino se recrearent; quo fieri, ut corpora ad frigora et calores perferendos aeque impotentia haberent et *ἄπειροι — τοῦ διψῆν κατὰ φύσιν* essent.

Huc usque ea, quae sub Diogenis nomine a Dione proferuntur, cum iis consentiunt, quae Cynicus apud Lucianum in Cyn. 17 exponit: *κἀγὼ μὲν ἱκανὸς καὶ ῥίγους ἀνέχεσθαι καὶ θάλπος φέρειν καὶ τοῖς τῶν θεῶν ἔργοις μὴ δυσχεραίνειν, διότι ἄθλιός εἰμι, ὑμεῖς δὲ διὰ τὴν εὐδαιμονίαν οὐδενὶ τῶν*

---

1) Cf. Bionem apud Teletem (Stob. I p. 124, 1 Mein.), apud quem Paupertas haec de se praedicat: *ἦ οὐχ ὁ πεινῶν ἥδιστα ἐσθίει καὶ ἥκιστα ὄψου δεῖται; καὶ ὁ διψῶν ἥδιστα πίνει καὶ ἥκιστα τὸ μὴ παρὸν ποτὸν ἀναμένει;*

2) Item Iulianus Diogenem VI 195 C laudat, quod non contra deorum dona pugnare audeat, sed quaecunque illi mittant, pro bonis accipiat, nisi forte Iulianus hoc e Dione sumpsit. Cf. Teletem in Stob. flor. I p. 124, 11: *ἀλλ' ἡμεῖς πάντα μᾶλλον αἰτιώμεθα ἢ τὴν ἑαυτῶν δυστροπίαν καὶ κακοδαιμονίαν, τὸ γῆρας, τὴν πενίαν, τὸν ἀπαντήσαντα, τὴν ἡμέραν, τὴν ὥραν, τὸν τόπον.*

3) Diog. VI 23: *καὶ θέρους μὲν ἐπὶ ψάμμου ἐκυλινδεῖτο, χειμῶνος δ' ἀνδριάντας κεχιονισμένους περιελάμβανε, πανταχόθεν ἑαυτὸν συνασχῶν·* cf. 34.

4) p. 205. 206, de qua re infra dicemus.

5) v. Zeller. II 1 p. 271, 2.

Digitized by Google

γινομένων ἀρέσκεσθε καὶ πάντα μέμφεσθε καὶ τὰ μὲν παρόντα φέρειν οὐκ ἐθέλετε, τῶν δὲ ἀπόντων ἐφίεσθε, χειμῶνος μὲν εὐχόμενοι θέρος, θέρους δὲ χειμῶνα, καὶ καύματος μὲν ῥῖγος, ῥίγους δὲ καῦμα.

Sed totus locus, qui p. 200—202 continetur, aptus est, quo Diogenis Laert. VI 71 inlustretur. Is enim diatriben Diogenis refert, quae de duplici exercitatione, altera corporis, altera animi erat, et § 71 exponit, prorsus nil in vita humana sine exercitatione perfici, illam autem omnia impedimenta superare posse. Nam etiam voluptatis contemptum exercitatione iucundissimum fieri et sicut ii, qui iucunda vita assuefacti sint, vix permoveri possint, ut contrariam subeant, item eos, qui in molestiis perferendis exercitati sint, etiam voluptates facillime contemnere. *Δέον οὖν ἀντὶ τῶν ἀχρήστων πόνων τοὺς κατὰ φύσιν ἑλομένους ζῆν εὐδαιμόνως, παρὰ τὴν ἄνοιαν κακοδαιμονοῦσιν.*

Mirum quantum Dio consentit. Nam Diogenes quidem laboribus, quos natura hominibus praescribit, exercitatur, cum friget, famem sitimque naturalem admittit, sub divo [1]) dormit. Contra divites, cum numquam veros et genuinos labores experiri velint (*ἄπονοι δὲ καὶ ἀργοὶ τὰ σώματα* [2])), machinantur sibi prava alimenta et balnea, indigent uno eodemque die saepenumero refrigeratione, indigent vestitu, indigent simul nive [3]) et igne; concupiscunt id quod omnium absurdissimum est, famem et sitim [4]); ut uno verbo dicam, inutiles et irritos,

1) Cf. Luc. vit. auct. 9; Diogenes emptori dicit: *μετὰ δὲ πονεῖν καὶ κάμνειν καταναγκάσω χαμαὶ καθεύδοντα καὶ ὕδωρ πίνοντα καὶ ὧν ἔτυχε πιμπλάμενον.*

2) Cf. Diogenis tragoed. frg. incert. 1 apud Nauck. poet. trag. frg. p. 628:

οἱ τῆς ἀνάνδρου καὶ διεσκατωμένης
τρυφῆς ὑφ' ἡδοναῖσι σαχθέντες κρέαρ
πονεῖν θέλοντες οὐδὲ βαιά.

3) Cf. Bionem apud Teletem in Stob. flor. I p. 124, 4 sq.: *ἢ πεινᾷ τις πλακοῦντα ἢ διψᾷ χιόνα; ἀλλ' οὐ ταῦτα διὰ τρυφὴν ζητοῦσιν οἱ ἄνθρωποι.*

4) Cf. Musonium apud Stob. in flor. I p. 287, 4: *ὅθεν ὥσπερ ὁ ἀχρεῖος σίδηρος συνεχῶς δεῖται στομώσεως, οὕτω καὶ οἱ ἐκείνων στόμαχοι ἐν*

quos Laertius nominat, labores subeunt. Nam ‘*ἄχρηστοι πόνοι*’ non solum ii sunt, quos suscipiunt, qui musicae, geometriae, astrologiae operam impendunt (Diog. VI 73), sed etiam ii, quos Iulianus (VI 198B) intellegit verbis ‘*τοῦ σώματος ἕνεκα πόνοι.*’ Corporis autem causa iis frustra laborandum esse, qui voluptatibus et luxuriae se dent, Diog. epist. XII exponitur: *καταλήψεται γὰρ αὐτοὺς ζῶντας οὐκ εἰς ὃν ἡμᾶς διαβάλλουσι πόνος, ἀλλ᾽ οἱ μείζονες, δι᾽ οὓς πάσῃ περιστάσει δουλεύουσιν αἰσχρῶς.* Neque abhorret epistolographus a genuina Cynicorum doctrina, ex qua plurimis molestiis ii vexantur, qui plurimis rebus indigent (cf. Zeller. II 1 p. 274, 3). Hanc esse divitum condicionem, quippe qui indomitis cupiditatibus ad quidlibet appetendum incitentur (Teles apud Stob. in flor. LXXXXVII 31). Contra qui parce vivunt et iis rebus contenti sunt, quae naturae humanae necessariae sunt, et cum ipsa natura benigne et large providerit, facillime comparari possunt, omnibus molestiis liberati negotiis gravioribus et humanae naturae magis consentaneis vacant (cf. Telet. apud Stob. in flor. LXXXXV 21).

Porro p. 202 Dio ea re Diogenem a divitibus differre dicit, quod illi, cum libidinosi sint, nullam a Venere voluptatem capiant, Diogenes autem fame et siti ante cenas uti solitus et hoc aptissimum et acerrimum obsoniorum arbitratus sit. Qua re ei contigisse, ut panem (*μᾶζαν*) iucundius comederet quam alii lautissimos cibos et aquam ex fonte haustam [1]) iucundius biberet, quam alii vinum Thasium.[2])

Sed quid naturae hominis consentaneum sit, Diogenes apud Dionem ex iis, quae ferae agunt, concludit. Pecudes enim

---

τῷ ἐσθίειν συνεχὲς στομοῦσθαι θέλουσιν ἢ ὑπὸ ἀχράτου ἢ ὑπὸ ὄξους ἢ ὑπὸ βρώματός τινος στρυφνοῦ.

1) Crates in epist. XIV: *ἐθίζεσθε ἐσθίειν μᾶζαν καὶ πίνειν ὕδωρ.*

2) Cf. Antisthenem apud Xenoph. in conv. IV 41: *καὶ πολὺ πλεῖον διαφέρει πρὸς ἡδονὴν ὅταν ἀναμείνας τὸ δεηθῆναι προσφέρωμαι ἢ ὅταν τινὶ τῶν τιμίων χρῶμαι ὥσπερ καὶ νῦν τῷδε τῷ Θασίῳ οἴνῳ ἐντυχὼν οὐ διψῶν πίνω αὐτόν,* cuius loci Dio videtur meminisse.

Digitized by Google

cum sitiunt, numquam fontes aut pura fluenta praetereunt. Quo igitur iure homines fontes aspernantur et Chium vel Lesbium bibere malunt? Item bestiae cum esuriunt, non abstinent a tenerrimis foliis et herbis, quae cuiusque naturae aptae sunt (p. 203). Propter eandem rationem maxime notabilis est illa disputatio, quae exstat p. 204—210. Diogenes, ubi initio repetivit, quae (p. 203) de bestiis dixerat, aliis exemplis, quantum ferae homines prudentia et vitae simplicitate superent [1]), demonstrat. Plurimae bestiarum nudae incedunt nec domos subeunt neque igne utuntur et tantum temporis bene valentes vivunt, quantum cuique natura dedit neque medicinae indigent. Contra homines propter mollitiem miserius vivunt, quam bestiae. Nam etsi vitae tam amantes sunt [2]), ut ad mortem arcendam omne genus artium et machinationum excogitent, tamen propter luxuriem hominum multitudo morbis interimitur, pauci ad senectutem perveniunt [3]) (p. 205). Quare ne a Chirone quidem aut Aesculapio ipso vel Asclepiadarum ullo sanari nec vatum responsis aut sacerdotum purgationibus [4]) adiuvari possunt. Sed cum nonnulli dixissent homines ferarum ratione vivere non posse, quoniam humana corpora per naturam suam ferarum carnis firmitate et tegumentorum robore inferiora essent, contra dicebat ranas et multa alia hominibus teneriora animalia non solum aeris, sed etiam aquae frigus media hieme tolerare posse et in universum demonstrabat nullum animal ullo loco nasci, in quo vivere non posset (p. 206). [5]) Qua ratione factum est, ut a negotiis, contentioni-

1) Musonius in Stob. floril. I p. 286, 18: *νῦν δὲ ἔφη* (Muson.) *πολὺ χεῖρον ἡμεῖς τῶν ἀλόγων ζῴων τρεφόμεθα·* vide quae secuntur.

2) Stultos appellavit Iulianus (VI 181 AB) eos, qui id, quod Diogenes iterum ac saepius docebat, credere nollent, mortem malum non esse.

3) Diogenes in Stob. flor. VI 4 (= fr. 18 Mull.): *καὶ δὴ σώματα τὰ πολλὴν τροφὴν δεχόμενα καὶ νόσους πολλὰς ἐφέλκεσθαι.*

4) Diog. Laert. VI 42: *ἰδών τινα περιῤῥαινόμενον ἐπεῖπεν* (Diogenes) *„ὦ κακόδαιμον, οὐκ ἐπίστασαι, ὅτι ὥσπερ τῶν ἐν γραμματικῇ ἁμαρτημάτων περιῤῥαινόμενος οὐκ ἂν ἀπαλλαγείης, οὕτως οὐδὲ τῶν ἐν τῷ βίῳ;“*

5) Diog. epist. IV.

Digitized by Google

bus, bellis, seditionibus longe remotus fuerit [1]) *καὶ μάλιστα ἐμιμεῖτο τῶν θεῶν τὸν βίον· ἐκείνους γὰρ μόνους φησὶν Ὅμηρος ῥᾳδίως ζῆν* [2]) (p. 208). Adeo deos aequabis, si feras imiteris.

Ac nescio, an a nullo priorum temporum philosopho ferae tantis laudibus ornatae sint, sed talia Diogenes dicebat re vera *νόμισμα παραχαράττων*, cum exempli causa animalia proponeret. Itaque ad hunc quoque cynicae philosophiae *τόπον* illud Demonactis, quod iam supra commemoravi, dictum pertinet: *ἐν ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παίδευε σαυτὸν καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ.*

Sed opus est, ut Dioni hac de re fidem paremus, paucis exponere, quae de animalium usu in cynica philosophia facto aliunde comperta habeamus. Ac primum quidem nomen *Κυνικοὶ* non sine causa huic sectae inditum est nec sine causa, id quod saepissime factum est, contumeliae causa inventum pro honore acceptum. Nam Diogenes canibus similis esse volebat et dedita opera eos imitabatur. Eorum enim convicia, a quibus 'canis' appellabatur, modo iocose modo serio aut ita in bonum vertebat, ut iisdem virtutibus gloriaretur, quibus canes cetera animalia superant, aut propterea falsa esse demonstrabat, quod iis canum vitiis, quae sibi tribuerentur, liber esset. Eius generis sunt ea dicta, quae Diog. Laert. VI 45 et 61 coll. cum Apostolio XIII 23 habet. Dio autem in or. IX p. 291 narrat haec: *τινὲς δ' ἐλοιδόρουν* (scil. Diogenem in Isthmo ludorum causa versantem), *οἱ δὲ προπηλακίζειν ἐπεχείρουν ὀστᾶ ῥιπτοῦντες πρὸ τῶν ποδῶν*, quocum Diog. Laert. VI 46 conferendus est: *ἐν δείπνῳ* (sic!) *προσ-*

---

1) Lucian. Cyn. 15: *χρυσοῦ δὲ καὶ ἀργύρου μὴ δεηθείην μήτ' οὖν ἐγὼ μήτε τῶν ἐμῶν φίλων μηδείς. Πάντα γὰρ τὰ κακὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐκ τῆς τούτων ἐπιθυμίας φύονται καὶ στάσεις καὶ πόλεμοι καὶ ἐπιβουλαὶ καὶ σφαγαί.* Vide Cratetem apud Athen. IV p. 158 B coll. cum Plut. de sanit. tuend. c. 7 (= fr. 42 Mull.).

2) *ἔνιοι γοῦν* (Cynicorum scil.) *καὶ βοτάναις καὶ παντάπασιν ὕδατι χρῶνται ψυχρῷ σκέπαις τε ταῖς τυχούσαις καὶ πίθοις καθάπερ Διογένης, ὃς ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι, τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων τὸ ὀλίγων χρῄζειν* (Diog. Laert. VI 105, cf. 51; Luc. Cyn. 12).

Digitized by Google

ἐῤῥίπτουν αὐτῷ τινες ὀστάρια ὡς κυνὶ his verbis adiectis: *καὶ ὃς ἀπαλλαττόμενος προσεύρησεν αὐτοῖς ὡς κύων.* Neque aliter atque canes eos, qui petenti dederunt, adulatur, eos autem, qui nil dederunt, adlatrat. Esuriens blandulus est ut Melitaeus canis, satur mordax et asper ut Molossus, et ut multi canes robustos laudant, sed una cum illis ad venationem ob laborem egredi non audent, item ne se quidem homines ob dolorum metum sequi velle vociferabatur (Diog. Laert. VI 55). Iterum similia Diogenem apud Dionem in or. VIII p. 278 sq. de se gloriari videmus, nisi quod hoc loco cum cane Laconico sese comparat: *τῶν δὲ ξένων ἦσαν οἱ προσιόντες, καὶ τούτων ἕκαστος βραχύ τι εἰπὼν ἢ ἀκούσας ἀπῄει, φοβούμενος τὸν ἔλεγχον. Διὰ δὴ τοῦτο ἔφη ὁ Διογένης προσεοικέναι τοῖς κυσὶ τοῖς Λάκωσι· καὶ γὰρ τούτους, ὅταν στῶσιν εἰς τὰς πανηγύρεις, πολλοὺς μὲν εἶναι τοὺς καταψήχοντας καὶ προσπαίζοντας, μηδένα δὲ ὠνεῖσθαι ῥᾳδίως διὰ τὸ μὴ ἐπίστασθαι χρῆσθαι* (cf. etiam Diog. Laert. VI 33). Porro Diogenis in Antonii Melissa p. 250 (= fr. 33 Mull.) haec exstant: *ὁ Διογένης ἔλεγεν ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι κύνες τοὺς ἐχθροὺς δάκνουσιν, ἐγὼ δὲ τοὺς φίλους, ἵνα σώσω* (v. Zeller. l. c. II 1 p. 242, 9, Chappuis. Antisthène p. 130).

Inprimis scholia David. ad Aristot. p. 23a 41 sqq. digna sunt, quae memorentur. In his cum aliae causae tum illae *ἀπὸ τοῦ τρόπου τῆς ζωῆς* numerantur, quibus Cynicorum nomen ortum sit. Harum quattuor recensentur: prima *ἀδιάφορον ζωῆς*, altera *ἀναίδεια*, tertia *φρουρητικόν*, denique *διακριτικόν*. Quid? si hae similitudines non ab aliis nominis et conviciorum causa inventae sunt, sed fortasse quoniam nomen canis iis placebat, ab ipsis Cynicis investigatae. Ac *τὸ φρουρητικὸν* quidem Diogenes apud Dionem in or. IX 288 sq. ipse sibi adscribit, cum iis, qui propter saevitiam et mordacitatem canem eum appellaverunt, iocans haec respondet: *τοὺς γὰρ κύνας ἔπεσθαι μὲν εἰς τὰς πανηγύρεις, μηδένα δὲ ἀδικεῖν τῶν ἐκεῖ γιγνομένων, ὑλακτεῖν δὲ καὶ μάχεσθαι τοῖς κακούργοις καὶ λῃσταῖς, καὶ ὅταν οἱ ἄνθρωποι μεθυσθέντες καθεύδωσιν, αὐτοὺς ἐγρηγορότας φυλάττειν.*

Digitized by Googl

Age audias etiam ea, quae Lucianus in fugit. 16 Philosophiam apud Iovem de Cynicorum degeneratione querentem faciat: *τοιγαροῦν ἐμπέπλησται πᾶσα ἡ πόλις τῆς τοιαύτης ῥᾳδιουργίας, καὶ μάλιστα τὸν Διογένη καὶ Ἀντισθένην καὶ Κράτητα ἐπιγραφομένων καὶ ὑπὸ τῷ κυνὶ τασσομένων, οἳ τὸ μὲν χρήσιμον, ὁπόσον ἔνεστι τῇ φύσει τῶν κυνῶν, οἷον τὸ φυλακτικὸν ἢ τὸ οἰκουρικὸν ἢ τὸ φιλοδέσποτον ἢ μνημονικὸν οὐδαμῶς ἐζηλώκασιν, ὑλακὴν δὲ καὶ λιχνείαν καὶ ἁρπαγὴν* et alia vitia accurate imitari laborant. Inde igitur quid discimus? Pseudocynici illi se Diogenem imitari aiunt, quod sub canis signis militent; sed re vera eius virtutem adsequi non possunt, quoniam *τὸ φυλακτικὸν* et *τὸ οἰκουρικὸν*, quod ille canis a fratribus suis didicit, hi omittunt.[1])

Sed etiam canis *τὸ διακριτικὸν* Cynici sibi vindicabant. Quod ad demonstrandum a schol. Dav. vel potius a Philopono p. 35a 5—15 exeundum est, qui sua vice Cynicorum nominis explicationem explet. *Τὸ διακριτικὸν* enim vel *ἐλεγκτικὸν* canis in eo est, quod notos ab ignotis discernit, quoquo habitu adeunt. Item illi eos, qui ad philosophandum apti erant, amicos putabant et amore amplexi sunt, quos non aptos cognoverant, propellebant perinde atque canes adlatrantes.[2]) Atque cum etiam quae recte se haberent, quae non recte quaererent, ut Philoponus dicit, hoc nimirum ad Cynicorum artem criticam pertinet; cum autem, id quod idem addit, ea, quae recta agnoverant, summa libertate pronuntiarent, *τὸ παῤῥησιαστικὸν* quoque cum canibus commune habebant.[3]) Quodsi Antisthenes librum *περὶ τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης καὶ περὶ τοῦ κυνὸς* scripsit (Diog. Laert. VI 18), non dubium est, quin Argus Ulixis

---

1) Etiam *τὸ μνημονικὸν* canum Cynicos laudavisse et imitatos esse is sibi persuadebit, qui memor erit, quanti memoriam certam et firmam Cynici aestimaverint (cf. Diog. Laert. VI 7. 31, Lucian. Dem. 4).

2) Cf. Antisthenem apud Diog. VI 4 (= p. 56 fr. III Winck.).

3) De cane dialecticis virtutibus praedito vide praeter Platonis Gorgiam, quem scholiastae Aristotelis citant, etiam Sext. Emp. hyp. I 63 sqq. et adv. math. VIII 270, Porphyrium de abstin. III 6. Cf. O. Apelt. in mus. rhen. XXXIX p. 27 sq.

Digitized by Google

canis significetur (v. Ad. Mueller. de Antisth. Cyn. vita et scriptis p. 53). Itaque maxime *τὸ διακριτικὸν* canis ab Antisthene laudatum esse suspicor, qui, cum Penelope ne adsidentem quidem et secum colloquentem coniugem ipsum esse crederet, primo obtutu dominum post tot annos redeuntem et sordida veste indutum tamen agnovit.[1]) Quare ipsum quoque Antisthenem eam virtutem, quam in cane laudabat, in laude posuisse verisimile est, *νὴ τὸν κύνα*.

Sed satis de cane dictum est; ne reliqua quidem animalia, quid facere solerent, observare Cynici omittebant. Diogenes, cum iam in eo esset, ut horridam et acerbam vitam, quam sibi imposuerat, se perferre posse desperaret, muris exemplo circa mazae suae micas versantis animum recreavit et se ipse vituperavit, quod a tam parvulo animali vitae frugalitate et simplicitate superatus esset (Diog. Laert. VI 22. 40; cf. Mullach. ad fr. 262). Quam narrationem Chrysippus in quinto libro *περὶ φύσεως* denotaverat, *εἰπὼν ὅτι οἱ κόρεις εὐχρήστως ἐξυπνίζουσιν ἡμᾶς καὶ οἱ μύες ἐπιστρέφουσιν ἡμᾶς μὴ ἀμελῶς ἔκαστα τιθέναι* (Plut. de Stoic. rep. c. 21). Porro Hercules Cynicus barbam et comam alere et ut erat vir, ita etiam videri volebat, quoniam barbam viri decus esse putabat ut equorum iubam et leonum barbam (Luc. Cyn. 14, cf. 15 et Diog. ep. 4). Apium civitate pro exemplo utuntur Epictetus (III 22, 29) et Musonius (apud Stob. in flor. III p. 5, 2 sq. ed. Mein.).

A Cynicis igitur haec animalium aemulatio ad Stoicos pervenit. Velut Musonius apud Stob. in flor. II p. 11, 3 coturnices et gallos, cum acres pugnas inter se committant et victoriae causa quidvis periclitentur, homines ad labores suscipiendos excitare posse exponit; admiratur idem in Stob. flor. I p. 157, 30, cur tandem crines hominibus molesti putentur neque item avibus alae. Cf. ibid. p. 156, 23 et IV p. 88, 1.

Quae cum ita sint, dubium non iam erit, quin Dio, cum Diogenis nomine animalia pro exemplis hominibus proponit,

1) De hoc cane rem ita tractatam esse a Sexti Emp. hyp. I 68 compertum habemus.

Digitized by Google

consuetudinem iam a cynicae sectae primordiis inveteratam secutus sit; quam si quis inlustrare velit, ei non sine fructu, quae aliunde de hac re comperta habemus non ita multa, ex Dione licebit explere.

Restat ut de loco p. 202—204 dicam. Deridebat Diogenes, ut ait Dio, homines, quod multo insipientiores bestiis essent, cum pro nutrimentis, domibus, vestitu, Venere maxima negotia haberent plurimasque pecunias expenderent, quamquam haec omnia multo facilius et melius parari possent. Quare Diogenes iis contentus, quae maxime in promptu erant, vinum suum ex fontibus hausit [1]), domicilia in templis et gymnasiis habebat [2]), hieme et aestate unum et eundem vestitum gestabat [3]), pedes omnino non tegebat [4]) (p. 202 sq.). Sed cum de Venere verba facit, iterum *παλγνια* sua profert.

Ac primum quidem p. 203 sq. idem, quod antea facetiarum genus exercet, lepidum et festivum, quod mendicorum *παλγνια* nominavimus. Dicit enim nusquam sibi eundum esse ob rem veneream, sed ubique sibi Venerem gratis adesse. Iam cum vulgus his verbis, quae dedita opera, ut eius consuetudo fuisse videtur, obscurius dicta erant, quo intentiores hominum animos faceret, fidem habere nollet, ipsam rem in aperto ante omnium oculos ostendit.

Itaque non iam *παίζει*, sed *καταπαίζει*. Hoc enim verbo Iulianus in or. VI p. 202 B utitur; dicit enim: *ἐπεὶ καὶ ταῦτα τῆς Διογένους ἐστὶ φιλοσοφίας οἰκεῖα· πατείτω τύφον, καταπαιζέτω τῶν τὰ μὲν ἀναγκαῖα τῆς φύσεως ἔργα κρυπτόντων ἐν σκότῳ*. Diogenes enim non omnem pudorem abiecerat et saepius impudicos, qui erubescere dedidicerant, vituperasse fertur (cf. Iuliani or. VI p. 197 C), sed duplex

1) Bion apud Teletem (Stob. flor. I p. 123, 28 sqq.) Paupertati haec verba dat: *πλήρεις δὲ αἱ κρῆναι ὕδατος*.

2) v. Zeller. II 1 p. 274, 3.

3) v. Zeller. p. 271, 2.

4) Cf. Luc. Cyn. 4, Diog. VI 34: *γυμνοῖς ποσὶ χιόνα ἐπάτει*.

Digitized by Google

impudentiae genus discernebat [1]), alterum, quod pudore deterius est, alterum, quod melius est et verbo illo: ‘naturalia non sunt turpia’ continetur (schol. Dav. ad Aristot. p. 23 b 5). Quare cum negotia, quae natura humana poscit, celare stultitiae esse putaret, homines, quos hac dementia omnes captos esse videret, ei ioco et ludibrio fuerunt, et quaesita superbia et lasciva quadam petulantia eorum animos offendere studuit: ad tantum hominum contemptum pervenerat (cf. etiam Zeller. l. c. II 1 p. 274, 3).

Apud Lucianum in vit. auct. 10 Diogenes praecipit: *καὶ τῶν ἀφροδισίων αἴρου τὰ γελοιότερα*: ipse exsequitur apud Dionem. Dicebat enim iocans hanc Venerem a Pane Mercurio eius patre suadente inventam esse, cum Echo amatam comprehendere non posset et cupiditate incitatus per montes dies noctesque pererraret. Quam cum didicisset, eum miseria liberatum esse.

Est enim in fabulis Pana ira in Echo incensum esse, quia illi canendi peritiam invidebat et insuper amore captus repulsam tulerat; ea de causa eum furorem opilionibus caprariisque immisisse, hos autem Echo dilacerasse (Longus III 23 v. Preller., *griech. Myth.* I³ p. 597).

Quam foede hanc fabulam Diogenes detorquet! Sed ne hoc quidem paegnion genus a viri audacia ad quidvis prompta abhorret.

Primum enim Tertullianus in Apolog. c. 14 Diogenem aliquid in Herculem lusisse tradit, se tamen nescire quid fuerit. Cum autem Diogenes tragoediam ‘Herculem’ scripserit (Diog. Laert. VI 80), hanc Tertullianum significare Oehler ad Tertulliani l. c. et Nauck in trag. graec. frgm. p. 628 prudenter suspicati sunt. Quomodo Diogenes fabulam herculeam in ridiculum detorserit, sciri potest et postea docebo. At eius tragoedias nonnulli spurias esse tradiderunt (Diog. VI 80. 73, Iulianus or. VI p. 186 C, VII 210 C. 212 A). Audio, sed his testibus alii obstant, qui Diogenem auctorem esse crediderunt, in his etiam

1) Cf. Eurip. Hippol. 384 sq.: *αἰδώς τε. δισσαὶ δ' εἰσίν· ἡ μὲν οὐ κακή, ἡ δ' ἄχθος οἴκων.*

Digitized by Google

Philodemus (cf. Duemmler. in Antisth. p. 67 sq.). Sed sint spuriae et a Philisco vel Pasiphonte quodam scriptae, certe inter omnes constabat eas a cynico aliquo philosopho scriptas esse (Iulian. VII p. 210 C). Cum autem in illa tragoedia Hercules iocose descriptus sit, sequitur, ut usitatus ille mos, quo fabulae in ludicrum detorqueri solebant, etiam apud Cynicos acceptus fuerit. Quem Dio secutus est, cum Diogenem de Panis amoribus iocantem induxit.

Age rem hoc modo tractemus. Iuliani oratio septima contra Heraclium philosophum cynicum scripta est, qui Iuliano praesente apud magnam auditorum coronam cum multa alia sordida et nefanda de Diogene tum fabulas protulerat (p. 204 A) vehementissimis deorum contumeliis refertas (p. 204 D), optimum autem deum (Solem fortasse, cf. p. 208 A et quae statim dicam) tali nomine appellaverat, quod, ut ait Iulianus, ille reticere debebat, ipse non audire. Fabulas autem Heraclius ita invenerat, ut hominum cogitationes in deos conferret. Nam Iulianus, qui oratione sua illum docere vult, quomodo cynicus philosophus fabulas adhibere debeat, quod homines non rebus ipsis demonstratis doceantur, sed tecte per speciem alienorum nominum ad Aesopi fabularum similitudinem, hoc non solum ignaviae et cynica libertate parum dignum, sed etiam ne ullo quidem usu hominibus esse exponit (p. 207 D, 208 A). Apparet Iulianum hoc non dicturum fuisse, nisi Heraclius declamatione sua tales fabulas finxisset. Sed Iulianus p. 208 A sic pergit: *ἀλλ᾽ ἀντὶ τοῦ μὲν δεῖνος τὸν Φαέθοντα* ⟨*τί*⟩ (add. Reiske) *δέον ὀνομάσαι;* ⟨*τί*⟩ (scrips. Reiske) *δὲ χαίνειν οὐκ εὐαγῶς τὴν ἐπωνυμίαν τοῦ βασιλέως Ἡλίου; τίς δὲ ὁ Πὰν καὶ τίς ὁ Ζεὺς τῶν χαμαὶ ἐρχομένων ἀνθρώπων ἄξιος καλεῖσθαι, ἵν᾽ ἐκεῖθεν ἐπ᾽ αὐτοὺς μεταθῶμεν ἡμῶν τὰς διανοίας;* et ex p. 234 CD Heraclium Panis titulo Iulianum irrisisse, Iovis partes ipsum agere voluisse cognoscimus.[1]) Neque dubito, quin etiam alterum deorum par, Phaethontis

1) *τὸ παρὰ σοῦ δὲ πεποιημένον, τίνα βούλει τὸν Πᾶνα, τίνα δὲ εἶναι τὸν Δία, εἰ μὴ τοῦτο* (sic Hertlein, *τοῦτον* codd.), *ὡς ἐσμὲν ἐγώ τε καὶ σὺ, σὺ μὲν ὁ Ζεύς, ἐγὼ δὲ ὁ Πάν.* v. quae seq.

Digitized by Google

et Solis, in eius fabulis locum habuerit. Quare convicia illa, quae Iulianus illi exprobravit (p. 204), eo fabularum argumento contineri videntur, quo hominum quaeque nefanda ad illorum innocentia capita contulit. Quam licentiam Homeri exemplo excusasse videtur, si quidem id concludi potest ex verbis p. 210A his: *φησὶ γοῦν ὁ καθ' ὑμᾶς μὲν ποιητὴς καὶ μυθολόγος, ὡς δὲ ὁ Πύθιος λῃσταῖς χρωμένοις ἀνεῖλεν, ἥρως καὶ δαίμων*, scilicet qui certior Homero poeta nequissimo testis sit, *ὑπὲρ τῶν λῃζομένων τὴν θάλατταν*

οἷά τε λῃστῆρες etc.

Exstitit igitur novus mythographus, qui fabulas finxit cum Luciani deorum dialogis et Menippi epistulis ex deorum personis compositis comparandas.

Sed quaeris, quid hoc ad Dionem pertineat. Quid? ut Diogenes apud Dionem fabulam antiquam aliis rebus adaptat et in ludicrum vel, ut Iulianus dixisset, si de hac fabula verba fecisset, in deorum convicia detorquet, nonne idem fecit Heraclius? Ipse enim Iulianus p. 226D 227A haec dicit: *ἐπεὶ τό γε νῦν ὑπὸ σοῦ πεποιημένον οὐ μῦθός ἐστι σὸς ὡς ἔφης. — Ἀλλ' ὁ μὲν μῦθος* (scil. quem tu pro argumento elegisti) *μῦθός ἐστι παλαιός, ἁρμόσας δὲ αὐτὸν σὺ πράγμασιν ἑτέροις. — Πλουτάρχου δὲ εἰ τὰ μυθικὰ διηγήματα τῶν σῶν εἴσω χειρῶν ἀφῖκτο, οὔποτ' ἂν ἐλελήθει σε, τίνι διαφέρει πλάσαι τε ἐξ ἀρχῆς μῦθον καὶ τὸν κείμενον ἁρμόσαι πράγμασιν οἰκείοις.*

Sed nunc hac via lubrica longius procedere debemus. Iulianus enim p. 208CD ea, quae contra disputationem suam de fabularum usu dici possint, refutare conatur. Dixerit enim quispiam: 'Etsi Cynicum fabulis uti non decere recte disputatum est, tamen per consuetudinem a Diogene inceptam et a Cratete et tota secta continuatam ei facere licet, quod fieri sana ratione vetatur.' Ad hanc sententiam refutandam praeterquam quod Iulianus cynicum philosophum nulla consuetudine teneri dicit, sola ea causa relinquitur, quam his verbis conclusit: *οὐδὲν οὐδαμοῦ παράδειγμα τοιοῦτον εὑρήσεις.* Quid? si tamen exempla inveniri possunt?

Digitized by Google

Nam Iulianus p. 211 A — res autem est de Oenomai tragoediis — haec dicit: *καὶ εἰ μὲν ἐκ τούτων τις ἀξιοῖ τὸν Κυνισμὸν ὁποῖός τίς ἐστιν, ἡμῖν ἐπιδεῖξαι, βλασφημῶν τοὺς θεούς, ὑλακτῶν πρὸς ἅπαντας, ὅπερ ἔφην ἀρχόμενος* (p. 204 D), *ἴτω, χαιρέτω, γῆν πρὸ γῆς, ὅποι βούλοιτο.* His verbis Heraclius significatur, quem Iulianus p. 204 D statim initio vituperaverat, quod dis conviciatus esset. Tune ergo, Heracli, Iulianus quaerit, eum re vera Cynismum esse credis, quem Oenomaus tragoediis suis prae se fert? Cum autem Heracli deorum convicia fabulis sordidis inclusa fuerint, suspicio non abest, quin Heraclius praeter ea, quae de Diogene ex Oenomai scriptis bona fide [1]) accepta didicerat, etiam fabulas suas ex illius tragoediarum exemplo finxerit.

Porro Iulianus quod nullum talium fabularum, quales Heraclius protulerit, apud Cynicos exemplum inveniri contendit, etiam certis argumentis demonstrare cupit. Ut alia omittam, eodem modo quo Oenomai tragoediis fidem et verum Cynismum abrogat, Diogenes quoque tragoedias in suspicionem trahit (p. 210 CD) et monet, ne quis inde aut ex Oenomai scriptis concludat, qualem Diogenes in deos et homines sese praestiterit (p. 211 D, 212 A)? Num is praeterquam quod fulmina irrisit (p. 212 B) et Eleusiniis mysteriis se initiari noluit (p. 238 A), ut Heraclius narrasse videtur, etiam in tragoediis suis deos fabulis contumeliosis adfecit? Num e Dio-

---

1) Cf. p. 211 D 212 A. Scripsit autem Oenomaus *περὶ κυνισμοῦ, περὶ Κράτητος καὶ Διογένους καὶ τῶν λοιπῶν* (Suid. s. v. *Οἰνόμαος*). Haec scripta Heraclius cognovisse videtur; deinde tragoedias eius legit (Iulian. l. c.). Praeterea nil Oenomai legit vel potius Iulianus eum legisse negat (p. 209 B). 'Nam' inquit 'si Oenomai *αὐτοφωνίαν* [quo in titulo Antonini *Εἰς ἑαυτὸν* et alia huius generis scripta a Martha (les moralistes sous l'empire romain[2] p. 173 sq.) enumerata, deinde et Socratis et Diogenis colloquia, quae secum ipsi habere solebant, in memoriam tibi revoces] et *κατὰ χρηστηρίων* et alia omnia, quae vir ille scripsit, curasses, plane aliud de illo iudicium cepisses neque tam facilis fuisses ad fidem omnibus contumeliis habendam, quas ille in Diogenem mentitus est.' Hoc enim est argumentum et consilium totius disputationis inde a p. 209 A usque ad p. 212 A.

Digitized by Google

genis tragoediis Heraclius ius suum fabulas sordidas conscribendi sibi sumpserat, Iulianus autem id irritum facere vult, cum illas spurias esse exponit?

Iam si recte argumentatus sum, quam speciem illae fabulae habuerint, Dionis Chrysostomi narratione de Panis amoribus inlustrari potest. [1])

Sed nunc ad Dionis orationem revertamur. Vidimus Diogenem ad vitam secundum naturam commendandam maxime ex iis, quae animalia facere solent, argumenta repetisse; novum adiecit a primorum hominum condicione ductum.

Omne enim animalium genus a natura in eo terrarum tractu et in eo loco positum est, qui pro cuiusque vi ac natura ad vitam degendam aptus est, et iis viribus et corporis et animi institutum est, quae per se solae ad vitam beatam sufficiant. Nam si res aliter se haberet, quomodo primigeni homines conservari potuissent, quippe qui neque igne nec domibus nec vestitu neque ullo alio cibo uterentur, nisi quem terra per se fertilis iis praebebat. Postea autem sagacitate male ad laetitias comparandas usi non laetitias, sed labores et mala in mundum intulerunt, *καὶ δοκοῦντες προμηθεῖσθαι σφῶν αὐτῶν κάκιστα ἀπόλλυσθαι διὰ τὴν πολλὴν ἐπιμέλειάν τε καὶ προμήθειαν. Καὶ οὕτω δὴ τὸν Προμηθέα δικαίως λέγεσθαι δεδεμένον ἐν πέτρᾳ κείρεσθαι τὸ ἧπαρ ὑπὸ τοῦ ἀετοῦ.* Nam ignis, quo antea animalia et homines *ἀεῖα ζώοντες* carebant, omnium, quae in mundum irrepserunt, vitiorum initium erat et ansam praebebat (p. 205 sq.). Diogenes ergo ea opinione ductus homines tum a falsis vilium rerum studiis recessuros esse, si ipsae opes, quae ad vanitatem

---

1) Etiam Chrysippus Stoicus fabulam de Iunone et Iove sescentis versibus scripserat, turpissimam et scortis magis convenientem, qua picturam aliquam *ἀλληγορικῶς* et *φυσικῶς* interpretatus est (Diog. Laert. VII 187. 188. v. Baguet. de Chrysippo Stoico p. 347 sq.). — Ceterum quae Diogenes apud Dionem VI p. 204 de piscibus dicit, ea argumentatione constant, quae similis est illi, qua Zeno Stoicus apud Sext. Emp. hyp. III 246 (= adv. math. XI 191) utitur: redeunt igitur ad ipsum Diogenem.

Digitized by Google

pellicerent, ademptae essent, ad illam simplicitatem et integritatem morum, qua primi homines floruissent, hominibus ferrei aevi ut redirent persuadere et in eam civitatem eos cogere conatus est, quae civibus utilior, omnibus, quae tum erant, civitatibus multo melior, naturae magis consentanea esset.

Huius Cynicorum sententiae pauca vestigia in ipsorum fragmentis exstant. Plutarchus aq. an ign. util. c. 2 (p. 1170, 40 Duebn. cf. p. 1217, 49) Diogenem igne usum non esse testatur, qui etiam polypum crudum deglutisset; [1]) ipse Diogenes in epist. XXXII sub finem ad Aristippum in Dionysii aula versantem data scribit: *καλὰ γὰρ τὰ παρὰ Διονυσίῳ μέχρι λόγου, ἐλευθερία δὲ ἡ ἐπὶ Κρόνου καὶ ἡ ....* — quae sequuntur quasi verborum monstra, cum emendare nequeam, omitto. Id saltem satis apparet, hoc loco Diogenem eam vitam praedicare, quam Saturno regnante felicem hominibus fuisse contendit.

Sed accedit, quod illius aetatis instituta et mores, qualia fuisse a Graecis putari solebant, maxime cynicae philosophiae consentanea erant. Erat enim inter philosophos vetus et nunquam soluta lis de hominum origine inter se disceptantes [2]), quorum alteri, ut Plato et Dicaearchus et Stoici, genus humanum antiquitus quam maxima felicitate usum esse putabant, quo autem longiore temporis spatio a Saturni aurea aetate remotum esset, eo maiora damna et mala pravitate et versutia ingravescente in mundum irrepsisse; alteri, ut Theophrastus et Epicurei, primorum hominum ingentem ferocitatem, sordidam paupertatem, agrestem simplicitatem detestantur; ab hac paulatim homines ad vitam cultiorem legibusque temperatam deductos esse, quod idem Lucretius (V 928 sq.) declarat hisce versibus:

multaque per caelum solis volventia lustra
volgivago vitam tractabant more ferarum.

Contra ii, qui ex altera parte stabant, tantis laudibus

1) Cf. de Zenone Diog. L. VII 26: *ἦν δὲ καρτερικώτατος καὶ λιτότατος ἀπύρῳ τροφῇ χρώμενος.*

2) v. Rohde, *d. griech. Roman* p. 201, 2.

Digitized by Google

prisci aevi homines ornaverunt, ut eos dis maxime propinquos fuisse crederent.

Huius opinionis longe lateque diffusae satis larga testimonia exstant. Primum Hesiodum laudo, qui op. et d. v. 108 ed. Goettl. tertiae haec habet:

ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,

et vide locos, quos interpretes attulerunt, e quibus eligo Pindari Nem. VI 1:

ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν
ματρὸς ἀμφότεροι.

Etiam Phaeaces haec iactant apud Homerum Od. VII 206 sq.:

ἐπεὶ σφισιν (θεοῖς scil.) ἐγγύθεν εἰμέν,
ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

Eandem sententiam Plato in Philebo p. 16C expressit. Cf. Iuliani or. VII p. 236AB, Ciceronis leg. II 11, 27, qui in Tuscul. disp. I 12, 26 haec scripsit: "omni antiquitate, quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat" (v. etiam Stallbaum. ad Phileb. l. c. et illius opinionis miram interpretationem apud Dionem Chrysostomum in or. XV p. 449). [1])

Sed postea mala in mundum irruerunt, quibus homines longe a necessitudine, quae iis cum dis intercesserat, remoti sunt. Huius opinionis fontem rectissime Preller in Philol. VII p. 35sq. et adnot. 87 indicat, cum dicit: "Bei jener Ansicht liegt der Glaube zu Grunde, dass jede Existenz, namentlich der Mensch, soviel näher er seinem Anfange (*ἀρχή*) gewesen, auch so viel besser, vollkommner und der Gottheit verwandter und vertrauter gewesen sei."

Exempla multa et ubique dispersa exstant. Dicaearchum (apud Porphyrium de abstin. IV 2) commemoro, *ὃς τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς Ἑλλάδος ἀφηγούμενος τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν φησι γεγονότας, βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν γένος νομίζεσθαι παρα-*

1) Cf. Eichhoff. in annal. paedag. Fleckeis. CXX (1879) p. 581 et Graf in Lips. stud. tom. VIII, quibus nonnullos locos debeo.

Digitized by Google

βαλλομένους πρὸς τοὺς νῦν. Poetae porro antiquissimi posteris meliores ab ipsis Musis artem suam didicerunt (cf. Iulian. VII p. 236 AB). Nec solum homines, sed etiam pecua multum de pristina virtute perdiderunt: v. eiusdem Dicaearchi frgm. apud Varronem de re rust. II 1 (Mueller. fr. hist. graec. II p. 235 fr. 4) et Dionis or. LXXII (II p. 388), ubi de Aesopicae ululae prudentia dicit et exponit haec: *ἡ μὲν γὰρ ἀρχαία γλαὺξ τῷ ὄντι φρονίμη τε ἦν καὶ ξυμβουλεύειν ἐδύνατο· αἱ δὲ νῦν μόνον τὰ πτερὰ ἔχουσιν ἐκείνης καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὸ ῥάμφος, τὰ δὲ ἄλλα ἀφρονέστεραί εἰσιν τῶν ἄλλων ὀρνέων.* Vide eundem de pulchritudine hominum minuta (or. XXI p. 500); idem in or. XXXI p. 607 haec dicit: *τούς τε γὰρ σφόδρα ἀρχαίους ἡμιθέους ὄντας ἐπιστάμεθα καὶ τοὺς μετ' αὐτοὺς οὐ πολὺ ἐκείνων χείρονας· ἔπειτα τοὺς ἐφεξῆς ἐλάττονας ἀεὶ κατὰ τὸν χρόνον καὶ τέλος τοὺς νῦν, ὁποίους ἡμᾶς αὐτοὺς οἴδαμεν.* Cf. p. 610, Lucian. rhet. praec. 9, Themist. or. XXII p. 281 A. Etiam fides priscorum maxima erat (Aristot. rhet. I 15 p. 1376 a 17), cf. Plat. leg. X 886 C. De omnibus autem rebus, quas mundus fert, Seneca in epist. LXXXX 44 haec dicit: "Non tamen negaverim, fuisse alti spiritus viros et, ut ita dicam, a dis recentes. Neque enim dubium est, quin meliora mundus nondum effetus ediderit." Plane similiter Lucretius II 1157 sqq.

Quodsi Diogenes sapientem numinis divini imaginem nominat, ipse oleribus et aqua tantum frigida utitur, quovis tecto contentus est, quoniam dis esse proprium nullius rei indigere, eos vero, qui dis similes esse vellent, minimis egere credit (Diog. Laert. VI 105, cf. Iulian. VI 195 B et huius libelli p. 108), quid agit aliud, nisi ad pristinam aureae aetatis felicitatem et virtutem, quam homines luxurie effeminati perdiderunt, redire vult?

Age comparemus, quae Dicaearchus apud Porphyr. de abst. IV 2 vel Plato leg. libro tertio de aureae aetatis virtutibus praedicant, cum ea vitae ratione, quam Cynici instituunt. Illis igitur priscis temporibus homines frugibus vescuntur, quas sua sponte terra gignit: nonne idem Diogenes adhortatur apud

Digitized by Google

Dionem in or. VI p. 206. 218, apud Diog. Laert. VI 105? Deinde laudat Dicaearchus *τὸ λιτὸν τῶν πρώτων καὶ αὐτοσχέδιον τῆς τροφῆς*: item Diogenes victum simplicem apud Diog. Laert. VI 21 et corporis animique *λιτότητα* epist. XV. Quare, ut pergit Dicaearchus, neque otium in victu parando consumunt neque bellis aut discordiis vexantur (cf. Plat. leg. III p. 678 E): de Cynicorum simili sententia vide Luciani Cyn. 15, Cratet. apud Athen. IV p. 158 B (= fr. 42 Mull.), de Diogenis otio Maximum Tyrium in or. XXXVI (II p. 190 R.) coll. cum Luc. Cyn. 8—10.

Sed quid multa? cum Maximi diss. XXXVI tota fere in eo versatur, ut Diogenis vitae rationem cum Saturni aetatis securitate et simplicitate ita conferat, ut prior pars in aureae aetatis laudem composita sit, quacum comparatur Diogenis vita in parte altera (c. 5 sqq.). Is enim adhibito in consilium Apolline omnibus se vitae necessitatibus exuit, id quod exemplis probatur p. 190 sq., ut graeca verba apponam, *τὰς περιστάσεις*[1] *πάσας ἀπεδύσατο* totamque terram liber et sui potens, non secus atque avis ratione praedita circumiit, eodem modo, quo homo ille aetatis aureae aequalis, quem Maximus *λόγου ἕνεκα* denuo exstitisse fingit, tanquam *γυμνός, ἄοικος, πάσης τῆς γῆς πολίτης*[2] praedicatur (p. 186), cuius vita *καὶ ἀπερίστατος καὶ ἐλευθερίας ἐπήβολος* nominatur (p. 185). Porro Diogenes tyrannorum timore non perturbatur (p. 190), quem ne aurea quidem aetas novit (p. 184).

Sed Maximum in disputationem intuli, non quo eius testimonio Diogenem ad Saturni simplicitatem redire voluisse demonstrarem, sed quia illum, cum aureae aetatis vitam, qualis fuisse vulgo putabatur, a vitae ratione per Cynicos instituta nullo modo differre perspexisset, de hac re pro me verba facere volui. Nam plurima, quae exponit, Dioni debet[3], etsi

---

1) Hoc verbum ipse Maximus p. 193 ita explicat: *ἢ ἄλλο τι ἡγούμεθα εἶναι τὴν περίστασιν ἢ χρῆσιν πράξεως οὐκ ἀνθαίρετον τῷ ἔχοντι.* Cf. Teletis disputationem *περὶ περιστάσεων* in Stob. flor. CVIII 82.

2) Idem etiam Diogenes audit apud Luc. vit. auct. 8 et Dion. or. IV p. 147.

3) Nam p. 192 hoc exponit: *καὶ κατεγήρα* (Diogenes) *εἰς τὸ ἀκρό-*

Digitized by Google

negari non potest, Maximum ampliorem cynicae philosophiae cognitionem etiam illa oratione prodere et quae ex Dione excerpsit, cum libertate quadam pro suo ingenio et consilio commutata protulisse. Itaque verisimile videtur esse, eum etiam ad illud inventum suum eo Dionis loco adductum esse, quem supra commemoravi, quo Diogenes de primis hominibus loquitur.

Quae cum ita sint, Diogenes in doctrina de aureae aetatis felicitate excolenda ab opinione vulgari non longe recessisse putandus est; tum vero Diogenem contra hominum opinionem in hac quidem re non dixisse, rem, quae notetur, dignam esse puto.

Sed eo ab omnibus differt, quod auream aetatem non iam

τατον, μηδὲν φαρμάκων δεηθεὶς, μὴ σιδήρου, μὴ πυρὸς, μὴ Χείρωνος, μὴ Ἀσκληπιοῦ, μὴ Ἀσκληπιαδῶν, μὴ μάντεων μαντευομένων, μὴ ἱερῶν καθαιρόντων, μὴ γοήτων ἐπᾳδόντων, quae paene ad verbum cum Dionis or. VI p. 205 consentire iam Reiske adnotavit. — Maximus p. 187 comparatione aliqua lepide exculta miseram ferreae aetatis hominum vitam cum captivorum angusto et obscuro carcere confert, Dionis or. VI p. 216 verbis usus his: *ἔστιν οὖν ὁ βίος* (tyrannorum scil.) *ὅμοιος, ὥσπερ εἴ τις κατείρξειέ τινα ἐν εἱρκτῇ μικρᾷ.* — Quid? quod etiam personarum fictiones, quas Dio in or. IV p. 166 infert, imitatus est? Ac Dio quidem tres deos tanquam imagines earum vivendi rationum, quibus quisque praeest, verbis depingit. Secundum hoc exemplum Maximus unum aliquem utriusque aetatis et Saturni et ferreae hominem ex inferis elicit, quo facilius et clarius de utriusque aetatis dignitate sententiam dicere possit. — Porro cum p. 180 verbis his *τὸ δὲ σῶμα αὐτῶν* (scil. primorum hominum) *ἔστω λεπτόν* cf. Dionis or. I p. 63 et VIII p. 279. — Deinde Maximus, quod homines aetatis ferreae pedes pellibus munisse dicit et cum iucunditatem sectarentur, in miserias incidisse, Dionis orationem VI p. 203 et 207 sequitur. — Praeterea Diogenem tyrannos non timuisse narrat, id quod Dionis or. IV probari invenerat, et regis securi liberique vitam degisse, etsi hieme Babylone, aestate in Media non versaretur, sed ex Attica Isthmum, rursus relicto Isthmo Athenas pro anni tempestate peteret, id quod e Dionis orationis sextae initio habet. — Verba *βασίλεια δ' ἦν αὐτῷ τά τε ἱερὰ καὶ τὰ γυμνάσια καὶ τὰ ἄλση* iam Reiske cum Dionis or. IV p. 147 contulit. — Quae sequuntur, de Diogenis divitiis maximis et omni Lesbio Chioque melioribus, a Dionis or. VI p. 202 sumpta sunt. — Postremo quae p. 191 sq. de Diogenis aestus et frigoris patientia proferuntur, ad Dionis or. VI p. 200—202 redeunt.

Digitized by Google

pridem effugisse nec unquam redituram credidit aut, ut philosophorum Hecataeus Abderita et alii fecerunt [1]), fabulosis et fictis narrationibus nusquam priorem virtutem et felicitatem inveniri nisi in ignotis et longe remotis aditu difficili regionibus demonstrasse satis habebat, sed re vera in ipsa hominum propinquitate et concursu restituere voluit; quo consilio permotus ʻcivitatemʼ suam scripsisse videtur, qua vitam omnis fere cultus et humanitatis expertem commendabat et summam legem in natura sequenda ponebat. [2])

Idem studium in Stoicorum disciplina permansit, e quibus Zeno et Chrysippus perinde ac Diogenes in ʻcivitateʼ, quam uterque scripsit, solas naturae leges inviolatas reliquerunt (v. Rohde l. c. p. 201, 2 sub fin.). Musonius Rufus cum Diogene eo usque consentit, ut homines, quam maximam adsequi possint, domorum et nutrimentorum (v. Stob. flor. I 84, XVIII 38, XVII 43) et supellectilis (ibid. LXXXV 20) simplicitatem sequi iubeat, quae si faciant, ad eam similitudinem eos perventuros esse, quae a natura iis cum dis intercedat (ibid. I p. 186, 8—11); tamen longe a Diogenis atrocitate et ferocitate abest: permittit enim, ut igne homines utantur (v. Stob. l. c. I p. 285, 31), ut domos aedificent (ibid. I p. 38, 13), dummodo simplices sint et necessitatem tantum sublevent neque maiorem apparatum postulent quam spelunca praebere possit; multa alia permittit, quae Diogeni nimiae luxuriae esse videbantur. Musonius igitur exoptatum ab omnibus Saturni regnum restitutum iri plane desperavit.

Attamen unum mortalibus aerumnarum propugnaculum relictum esse putabat. Sed hanc felicitatem frustra in urbium tumultu et inlecebris quaeri (Stob. flor. II p. 339, 21 sq.), foris inter pecudes et per agros inveniri posse. Quare sapienti suadet, ut ex agro colendo quaestus faciat vel, id quod praestet, vitae pastorali sese dedat; sic enim eum simul ruris otio et quiete frui posse, et cum non nimio labore fatigetur,

1) Cf. Rohde, *d. griech. Roman* p. 208 sqq.

2) v. Athen. IV 159 C et Gomperz. in annal. gymn. Austriac. XXVII (1878) p. 254, 255.

Digitized by Google

philosophiae et cogitationibus vacare (Stob. flor. LVI 18, v. Rohde l. c. p. 508, 2).

In vitae rusticae laudes Dio quoque, Musonii aequalis, praeclaram illam orationem, *λόγον Εὐβοϊκόν*, scripsit. Cuius de consilio cum Rohde ibid. p. 509 sq., quae opus erant, exposuerit, ipse pauca habeo, quae addam.

Etsi enim haec oratio ad homiliarum genus a Cynicis inventum et excultum pertinet, ut infra videbimus, tamen nihil magis a cynica philosophia abhorret, quam haec, quae in ea inest, vitae rusticae laudatio. Atque otio quidem Cynicis non minus opus est, quam aere, quo vivitur, idque sibi ita comparare studebant, ut iis negotiis sese liberarent, quibus alii homines multum temporis impendebant. Cynici enim, cum suam quemque felicitatem non aliorum gratia aut auxilio neque aliis thesauris adsequi posse putarent nisi ipsius animi et virtutis sempiternis divitiis, aliis civitatem administrandam, artes liberales excolendas, quaestus faciendos relinquebant, omnia vincla et officia, quibus lege et consuetudine vincti in hominum et civium communi societate tenemur, dissolvebant et quod libertate recuperata lucrati erant, otio utebantur, ut se ipsos cognoscerent et meliores redderent.[1]) Appropinquat iam nova ea aetas, quam Alexandrinam vocamus, qua homines eas voces disiunctas, quae Socrate praeeunte novum illud praeceptum '*τὰ ἑαυτοῦ πράττειν*' hic illic excitatae erant aliis multis tamen discrepantibus, paene uno concentu exceperunt; quo factum est, ut ea humana negotia et studia, quae antea unius labore et opera comprehendi solebant et poterant, in singulas provincias separatim a multis administrandas dividerentur (v. Rohde l. c. p. 15).

Sed quamquam Cynici ad se ipsos refugium ab hominum voluptatibus et negotiis petebant, tamen neque id studium habebant, quo ruris silentium et naturalem simplicitatem ab

---

1) v. Demonact. in Stob. ecl. II 1, 11 (II p. 5 Wachsm. = fr. 5 Mull.) et Diogenem l. c. II 31, 61 (II p. 212 Wachsm.): *ὅταν ἄλλου τινὸς φροντίζῃς, τότε ἀμελεῖς σαυτοῦ.*

Digitized by Google

Alexandrinis poetis et posterioris aetatis philosophis ut Musonio et Dione laudibus ornatam (v. Rohde p. 505—508) quaererent, neque eo quasi animi ardore inflammati erant, quo proavi nostri et huius ineuntis et XVIII saeculi ducti in loca deserta, ab omni strepitu adspectuque hominum remota sese abdere cupiebant; hoc enim saepius apud poetas nostrates legitur. Nonne omnium *ὁ δραματικώτατος*, Henricus de Kleist in Helvetiam refugit, ut eam vitae felicitatem, quam in hominum turba et concursu frustra per magnos errores quaesiverat, ipse sibi pararet? In hoc solitudinis studio a proavis nostris Cynici differunt, quos in aliis rebus cum iis consentientes invenies. [1])

---

1) Cynici, cum naturam sequendam esse docerent, quid naturae consentaneum esset, etiam ex barbarorum moribus repetebant. Ac profecto idem de aetatis illius indole et voluntate bene valet, quod Seume significat in notissimo carmine:

'Ein Canadier, der noch Europens
Übertünchte Höflichkeit nicht kannte',

quod carmen ita concludit:

'Seht, wir Wilden sind doch bessre Menschen.'

Atque illa quoque huc pertinent. Montaigne, qui barbarorum Brasilianorum nonnulla carmina popularia edidit (quod in scholis nuper notavit R. Hildebrand), primus demonstravit, quid incultorum hominum natura etiam incorrupta et rudis posset ("die Volkspoesie, ganz Natur, wie sie ist, hat Naivetäten und Reize, durch die sie der Hauptschönheit der künstlich vollkommensten Poesie gleichet" apud Herderum 'Stimmen der Völker' ed. Hemp. p. 4). Mox Herder cum 'gentium voces' undique colligeret, sexto libro ferarum gentium carmina comprehendit et in praefatione carminum Madagassorum haec scripsit: "diese Fürsten (scil. Madagassorum) führen unaufhörlich gegen einander die Waffen, und der einzige Endzweck aller dieser Kriege ist, Gefangene zu machen, die sie an die Europäer verkaufen können. Ohne uns würden also diese Völker friedlich und glücklich leben." Sed consilium, quo ductus Herder haec carmina coegit, erat hoc, ut poetis nostris exempla simplicis et legibus non impeditae poeseos proponeret, quae si sequerentur, eos nunquam a naturae veritate aberraturos esse. Eo enim libello, qui inscribitur 'über Ossian und die Lieder alter Völker', haec habet: "Wissen Sie also, dass, je wilder, d. i. je lebendiger, je freiwirkender ein Volk ist (denn mehr heisst dies Wort doch nicht!), desto wilder, d. i. desto lebendiger, freier, sinnlicher, lyrisch handelnder müssen

Digitized by Google

Cuius rei complures erant causae; prima quidem, quod *ἀναχώρησιν* hominibus nullo usu esse persuasum habebant. Dio enim in oratione XX, qua, quid *ἀναχώρησις* sit, exponit, refugere quosdam in deserta loca dicit, ut vitam ab hominum necessitudine remotam et vitiorum inlecebris securam degerent. Quam nusquam eos adsecuturos esse, quod cupiditates, quoquo refugiant, tamen non sedentur, et in ipsa solitudine homines insipientes multas stultas et pravas cogitationes concipiant. Sapientem autem refugium apud se ipsum quaesiturum esse et media in hominum turba et urbium tumultu otium, quod ad philosophandum opus sit, inventurum esse: hoc esse verum refugium et firmum receptaculum. Quare cum antea Essenos eorumque urbis in desertis prope mare mortuum occultae felicitatem laudasset, eosdem hac oratione, si Casaubono ad or. XX fidem habere velis, vituperat. Cum autem Seneca epist. LVI, ut idem vir doctus vidit, cum Dione de refugii notione consentiat [1]), uterque ex stoico fonte hausisse videtur, sed non valde aberrabimus, si hanc sententiam ad Cynicos redire putemus.

Altero loco accedit, quod Cynici non ita suam quisque animi salutem curabant, ut generis humani salutem neglegerent; sed id potissimum officium susceperunt, ut homines, quos in vitiorum et opinionum turpi captivitate teneri viderant, his vinclis liberarent, quin etiam, si ita fieri potuisset, Herculis exemplo totum genus humanum ex morum pernicie servare cupiebant (hac de re infra accuratius dicturi sumus). Quare non ut ceteri philosophi hortorum recessus philosophandi causa petebant, sed per urbes, vias, templa, gymnasia vagantes [2]) novam

---

auch, wenn es Lieder hat, seine Lieder sein!" Porro illud Apollinis praeceptum: '*Παραχάραξον τὸ νόμισμα*', quod Diogenes acceperat, et illi ipsi et nostris saeculi superioris hominibus agendi norma erat, apud quos hoc studium ad litterarum quoque speciem et indolem conformandam multum valuit.

1) Nam § 5 scribit: 'quid prodest totius regionis silentium, si adfectus fremunt?'

2) Cf. Rohde l. c. p. 505 et Wachsmuth. in Sillogr.² p. 68.

Digitized by Googl

suam doctrinam profiteri solebant. Quomodo igitur ita Cynici officio deesse potuerunt, ut in ruris aut desertorum solitudines aufugerent?

Dixi supra (p. 125 adn. 1) Cynicos ea, quae humanae naturae consentanea essent, etiam e barbarorum moribus repetisse. Huius doctrinae quoniam etiam apud Dionem nonnulla vestigia inveniuntur, non alienum videtur esse, quomodo Cynici *νόμιμα βαρβαρικά*, quae dicuntur, ad philosophiam suam adhibuerint, paulo accuratius exponere.

Erat Graecorum opinio, quae non solum apud poetas, sed etiam apud philosophos atque historiarum scriptores saepe exstat, qua pristinam Saturni felicitatem in terra relictam esse, sed non penes Graecos, non in ipsa Graeciae vicinitate, sed apud barbaros et remotissimum quemque populum inveniri putabant. [1])

Sed de barbaris idem videre licet, quod de aurea aetate iam cognovimus: tantum aberat ut omnes de barbarorum virtute consentirent, ut plurimi contra ab hac philosophandi ratione abhorrerent, scilicet quod in barbaris omnino nil laudabile esset. Alteri, in his primus Hesiodus, Homerum secuti, qui Hippemolgos et Abios tanquam omnium iustissimos homines carmine praedicaverat (Il. N 5. 6), Scythas, quos Homerum significasse crediderunt, omnibus laudibus propter vitae et morum simplicitatem efferebant (cf. Riese l. c. p. 10) [2]), alteri Homeri locum a multis interpretibus tentatum ita accipiebant, ut Homerum non de Hippemolgis et Abiis verba facere, sed de Hippemolgis *ἄβιοι* adiectivo usum esse enuclearent, quod idem atque vocabulum *κακόβιοι* valeret (v. Apollon. lex. hom. p. 3, 26 Bekk.). Porro Herodotus IV 46 Scytharum ea quidem instituta et mores laudat, quibus eorum libertas constet; *'τὰ μέντοι ἄλλα'* inquit *'οὐκ ἄγαμαι'*, quibus verbis aperte contra

1) v. Rohde l. c. p. 201—203. A. Riese, 'die Idealisirung der Naturvölker des Nordens in der griech. und röm. Litteratur.'

2) In iis, quae de barbarorum vituperatione et laudatione exposui, plurima exempla et locos Riesio debeo.

Digitized by Google

hominum opiniones, quae vulgo de Scythis circumferebantur, dicit (v. Riese p. 15). Strabo autem, qui quodammodo illas contrarias sententias inter se conciliare studebat (cf. Riese p. 29), XI p. 513 C et Scytharum et aliorum barbarorum vitam simplicem quidem esse exponit, sed pravam, feram, bellicosam; eos autem homines esse bonae fidei et fraude vacuos.

Illos autem, qui barbarorum mores laudabant et commendabant, si animum advertere velis, eam felicitatem et eas virtutes iis tribuisse invenies, quas etiam aureae aetatis homines habuisse vulgo putabantur: barbari summa pietate deos colunt (ut Aethiopes apud Nicol. Damasc. fr. 142 in Muelleri hist. graec. fr. III p. 463), id quod Hesiodus op. et d. v. 135 ed. Goettl.[3] de aurea aetate praedicat, "parumque venerati opes, veluti optimarum alumni virtutum" (Mela III 85 de Aethiopibus), quae etiam aureae aetati ignotae erant (Plat. leg. III p. 679 BC). Inter barbarorum virtutes inprimis splendet iustitia (Herodotus IV 26 de Issedonis, Ctesias apud Steph. Byz. de Dyrbaeis s. v. *Δυρβ.* et alii) magis ingeniis culta quam legibus (Iustin. II 2 de Scythis): de aureae aetatis iustitia eadem praedicant Plato l. c. p. 679 E et Ovidius in met. I 90. Quo fit, ut illi populi nec finitimis bella inferant (Aristeas de Hyperboreis apud Herod. IV 13) neque ipsi iniuriis vexentur (ut Argempaei, qui sacri audiunt et inviolati, v. Herod. IV 23): eadem pax inter primos homines erat (cf. Dicaearch. apud Porphyr. de abstin. IV 2 p. 230, 2—6 Nauck.[2]). Eadem barbari securitate gaudent, qua primi homines (Vergil. georg. III 376 de Scythis, Dicaearch. l. c. p. 68, 37 et Ovid. met. I 91. 93. 100). Quare barbari, cum generis humani priscam virtutem et morum sinceritatem servasse viderentur, ea auctoritate erant, quae omni antiquitati attribui solet.

Alia accedebant, quae ad illam augendam plurimum valebant. Primum enim barbari pro certissimis testibus erant, quae naturae humanae apta et consentanea essent, quoniam tantum ab omni vitae cultu et mollitie abesse, quantum incorruptae naturae propinqui esse putabantur. Velut Iustinus animo acriter permotus de Scythis II 2, 11—14 haec vociferatur: "atque

Digitized by Google

utinam reliquis mortalibus similis moderatio abstinentiaque alieni foret; profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur, — prorsus ut admirabile videatur hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina praeceptisque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultae barbariae conlatione superari."

Adde, quod etiam profundior supra quam natura docere posset sapientia nonnullis barbarorum gentibus adscripta est. Quid? quod barbari philosophiam invenisse a multis et philosophis et historiarum scriptoribus dicebantur, quorum opiniones Diogenes Laertius in prooemio collegit.[1])

Atque Aegyptiorum sacerdotum sapientiae summa eius gentis antiquitas certum quasi pignus esse videbatur, sed etiam Gallorum Druidae, Persarum Magi, Indorum Brachmanes et Gymnosophistae, Babyloniorum Chaldaei propter philosophiam et sapientiam longe lateque percrebuerunt[2]); quare et Graecorum viri sapientes ad eos commeant, ut philosophiam ediscant, et illorum ad Graecos proficiscuntur et clari fiunt.[3])

Paulatim totae gentes philosophia imbutae exsistunt. Iam diu antequam Pythagoras erat, Hyperborei secundum Hellanicum Pythagoreorum ratione carne abstinent (v. Riese l. c. p. 13 sq.; Graf. l. c. p. 13 sq.) et propterea evenit, ut iustissimi essent. Eadem sententiarum ratio apud Dicaearchum (Porphyr. de abstin. IV c. 2 p. 159, 18—21 Nauck.) invenitur, apud Ephorum

1) Vide etiam Frid. Schaefer., quid Graeci de origine philosophiae a barbaris ducenda existimaverint, secundum Laert. Diog. prooemium exponitur, diss. inaug. Lips. 1877.

2) De qua re v. Schaefer. l. c., qui tamen memorabilem quendam locum omisit. Lucianus enim Fugit. 6—8 Philosophiam, quo itinere ad Graecos profecta esset, narrare iussit.

3) Pythagoras (Zeller phil. graec. hist. I[4] p. 274 sq.), Plato, Empedocles, Democritus (Schaefer l. c. 31. 32 sq.) ad barbaros profecti esse dicuntur; ad Graecos Anacharsis Scytha venit, Solonis amicus celeberrimus, sub cuius persona a nonnullis Scytharum simplicitas et probitas et innata sapientia Graecorum cultui et effeminatis moribus opposita sunt. Operae pretium est, qua ratione de hoc viro a veterum et recentiorum temporum scriptoribus actum sit, accuratius exponere et comparare.

Digitized by Google

fr. 76 Muell. de Scythis et saepius apud Porphyrium ipsum, qui vario modo *νόμιμα βαρβαρικὰ* ad Pythagorae illam doctrinam confirmandam adhibuit, sive propterea, quod animalium sacra dis fierent, non continuo effici demonstrabat, ut eorum carnem comedere liceret (II c. 26. 27. 33. 47. 53—57), sive, id quo tota disputatio tendit (cf. IV c. 15 p. 176, 17 sq. Nauck.), carnis abstinentiam naturae lege sancitam esse (II 61). Gravissimum autem argumentum ex ea re petivit, quod gentium magna copia carne abstineret (IV 2—18).

Ut hi barbarorum nonnullos populos philosophiam Pythagoricam, item Ephorus apud Nicol. Damasc. fr. 123 Muell. Scythas philosophorum Graecorum illam sententiam et ipsos invenisse credidit [1]), qua eam civitatem optimam esse persuasum habebant, in qua res familiaris et mulieres communes essent. Quin etiam Abii secundum Ammianum Marcellinum XXIII 6, 53, qui pietate excellunt, prorsus cynico contemptu 'calcare cuncta mortalia' solent. Aelianus autem in var. hist. II 31 scribit: *καὶ τίς οὐκ ἂν ἐπῄνεσε τὴν τῶν βαρβάρων σοφίαν*, quod nemo eorum usque eo prolapsus est, ut in dubium vocaret, essent di necne, et curarent res nostras necne.

Quare ex iis, quae magis significavi quam accuratius exposui, non mirum est, quod omnium fere temporum philosophi barbarorum aut consensu [2]) aut singularum gentium institutis, moribus, legibus pro testimoniis usi sunt iisque magnam vim et auctoritatem attribuerunt. Cuius consuetudinis initium fecerunt sophistae [3]), hos secutus est Plato, qui saepius in minoribus dialogis eo argumento utitur (cf. Lach. p. 191 A.

1) V. Riese p. 19—21.

2) Zeller l. c. III 1^3 p. 505.

3) Multa exempla sophista Platonis aequalis anonymus — nomen enim equidem non satis constare puto — congerit apud Mullach. frgm. phil. graec. I p. 545b sqq. Cf. Rohde in recensione Bergkii libri, qui inscribitur 'Fünf Abhandlungen zur Gesch. d. griech. Philos. u. Astronomie' in 'Gött. Gel. Anz.' 1884, fasc. 1 p. 29, 3. Similia inveniuntur hic et illic dispersa apud Sophoclem et Aristophanem, multo largiora apud Euripidem, genuinum sophistarum discipulum. Sed haec omnia, cum adnotatiuncula aliqua comprehendi non possint, nunc omitto.

Digitized by Google

Conv. 182 A. Euthyd. 299 D) et in civitatem quoque suam praeter Atheniensium, Cretensium, Lacedaemoniorum leges etiam barbarorum quorundam instituta recepit (Leg. I p. 637 DE 638 E. II 674 A. III 693 AD 694 A — 698 A). Sed mitto nunc de hac re verba facere, mitto dicere de aliis philosophis, qui *νόμιμα βαρβαρικὰ* vario modo adhibuerunt, velut de Stoicis, Academicis Scepticisque, omitto etiam illos et philosophos et historicos, qui *νόμιμα βαρβαρικὰ* collegerunt, velut Chrysippum, Nymphodorum, Nicolaum Damascenum, *θαυμασίων* et *παραδόξων* scriptores, taceo, quem locum barbari in rhetorum praeceptis habuerint (v. Quintil. inst. V 10, 12 sq. 11, 36, Crameri anecd. Paris. IV p. 412, 13); tantum de Cynicis verba faciam.

Nam ne iis quidem *νομίμων βαρβαρικῶν* usum ignotum fuisse Rohde me docuit, qui apte Antisthenis Cyri fr. I p. 17 Winck. (*ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων*), si quidem genuinum est [1]), contulit, quo Alcibiades vituperatur, quod et cum matre et cum sorore et cum filia concubuisset, ut Persae facere solerent. Antisthenem hunc Persarum morem commendasse ex iis, quae Susemihl l. c. disputavit, credibile non est; at certe commendavit Diogenes secundum Dionem or. X p. 305. Hoc loco, quem Duemmler l. c. significavit, mihi Rohde indicavit, Diogenes haec exponit: *ἔπειτα ἠγανάκτει* (Oedipus) *καὶ ἐβόα μεγάλα, ὅτι τῶν αὐτῶν πατήρ ἐστι καὶ ἀδελφός, καὶ τῆς αὐτῆς γυναικὸς ἀνὴρ καὶ υἱός. Οἱ δὲ ἀλεκτρυόνες οὐκ ἀγαναχτοῦσι ἐπὶ τούτοις οὐδὲ οἱ κύνες οὐδὲ τῶν ὄνων οὐδεὶς οὐδὲ οἱ Πέρσαι· καίτοι δοκοῦσι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἄριστοι.* Hic cum Persae eodem loco a Diogene habeantur, quo galli et canes, etiam eodem modo barbaris, quo animalibus, Cynicos in philosophia usos et eos secutos esse verisimile est, quia barbarorum vitam maxime ad naturam accommodatam esse putabant. Haec Cynicorum ratio disertis fere verbis apud Iulianum legitur, qui cum Cynismum etiam Herculis aetate superiorem esse exposuerit, ita pergit: *πείθομαι καὶ πρὸ τούτου τινὰς οὐκ ἐν Ἕλλησι μόνον, ἀλλὰ καὶ βαρβάροις ⟨οὕτω*

1) Suspicionem Susemihl movit in Fleckeis. annal. tom. CXXXV (1887) p. 210 sqq.

Digitized by Google

φιλοσοφῆσαι vel tale quid deesse Reiske sensit⟩. *Αὕτη γὰρ φιλοσοφία κυνική πως ἔοικεν εἶναι καὶ φυσικωτάτη.*

Ut alia exempla adferam, Diogenes in Thyesta fabula secundum Diog. Laert. VI 73 (= Nauck. trag. poet. frg. p. 628) fas esse exposuit carne humana vesci, *ὡς δῆλον ἐκ τῶν ἀλλοτρίων ἐθῶν* [1]) (cf. Diog. epist. XXVIII 3). Eodem modo Diogenes, ut se, ubi sepeliretur, omnino non curare ostenderet, dixit, *ὅτι ἂν μὲν κύνες αὐτὸν σπαράξωσιν, Ὑρκανία ἔσται ἡ ταφή, ἂν δὲ γῦπες, Βακτριανή* [2]), *ἂν δὲ μηδεὶς προσέλθῃ, ὁ χρόνος καλὴν ποιήσει τὴν ταφὴν διὰ τῶν πολυτελεστάτων, ἡλίου καὶ ὄμβρου*, quod dictum a Stob. adfertur in flor. CXXIII 11 (= fr. 76). Teles autem apud Stob. in flor. II p. 70, 3—6 Graecos vituperat, quod ridicula religione mortuorum corpora et videre et tangere vereantur, cum alii propinquorum cadavera exsiccata in domibus pro ornamentis conservare soleant et quasi rerum bonarum pignora arbitrentur. [3]) Idem ibid. III p. 213, 14—17 haec dicit: *ἢ τί διαφέρει μὴ ἔχειν τροφὴν ἢ τοιαύτην ἔχειν, ἧς οὐ μὴ γεύσηται, ... ἰχθῦς καὶ περιστέρια, ἢ Αἰγυπτίῳ κύνα ἢ Ἕλληνι κρανίον ἀνθρώπου;* Lacunam verbo *Σύρῳ* explendam esse censeo coll. Xenoph. anab. I 4, 9 (*πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων οὐδὲ τὰς περιστεράς*, cf. Porphyr. de abstin. II 61). Deinde Peregrinus Brachmanas imitatus igne se in rogum coniectum concremavit (Luc. Peregr. c. 25. 39). Apud eundem Lucianum in Cyn. 20 Cynicus ille

---

1) Eadem opinio etiam apud Stoicos invenitur (Sext. Emp. hyp. III 207. De Chrysippo v. Diog. Laert. VII 188, Sext. hyp. III 247 sq., adv. math. XI 192 sqq. Cf. Zeller. III 1³ p. 281, 2).

2) *Βακτριανὴ* Menagius scripsit; traduntur haec: *ἂν δὲ γῦπες ἅπτεον* vel *ἁπτέωνται*. Mullach. *Ἰνδικὴ* corr., alii aliter (v. Menag. ad Diog. Laert. VI 79), Goettling (opusc. I 271, 3) *ἂν δὲ αἰγυπιοί, Αἴγυπτος·* scite quidem, sed cum talis Aegyptiorum mos non traditus sit, vix recte.

3) Populi alicuius nomen excidisse vidit Wilamowitz (quaest. philol. IV p. 305, 18), sed explere nondum potui. Nicol. Damasc., qui similes populorum mores commemorat (v. fragm. 128 Muell.), Colchos narrat vita defunctos non in terra condere solitos esse, sed ab arboribus suspendere (fr. 124).

Digitized by Google

anonymus, cum ab eo, quocum colloquitur, propter corporis habitum vituperatus sit, barbam et capillos promittere deos ipsos consuesse respondet, quod ii in imaginibus non solum a Graecis sed etiam a barbaris barbati fingantur. Ceterum de variis et inter se contrariis populorum consuetudinibus quae Cynici et Stoici exposuerunt, ea "plurimum haud dubie augeri possent, si exstarent Chrysippi in omni memoria (ut ait Cicero in Tusc. I c. 45) curiosi viri sex libri *κατὰ τῆς συνηθείας* [*πρὸς Μητρόδωρον* [1]) Diog. Laert. VII 198] in quibus Stoici iactabant plura esse in medium allata quam omnes usquam Academici adversus consuetudinem et sensuum iudicium disputassent" (Fabric. ad Sext. Emp. hyp. I 148, cf. Plut. de Stoic. rep. c. 10). Eiusdem *λόγους παρὰ τὰς συνηθείας α'* Diog. Laert. VII 192 commemorat, neque ad hanc quaestionem inutiles essent, si servati essent libri septem, quos pro consuetudine Chrysippus ad Gorgippidem scripsit (Diog. Laert. VII 198, cf. Cic. acad. II 24, 75).

Haec quae de barbaris exposui, hunc locum tenere volui, quia ab iis secerni non posse videbantur, quae de aurea aetate Cynici docebant. Sed nunc ad Dionem redeo.

Oratione sexta Dio ostendit, quo modo Diogenes naturam sequendam esse docuerit, orationibus VIII et IX, quomodo Apollinis illud '*Παραχάραξον τὸ νόμισμα*' secutus sit. In utraque oratione Diogenem, dum Isthmia celebrantur, Corinthi morantem invenimus; etiam in singulis multa similia leguntur, ut in or. IX multa ex altera sumpta fuisse videantur. [2])

In ea orationis VIII parte, quae est ab initio usque ad p. 279, nonnulla de Diogenis moribus et vita praemittuntur. Diogenes, postquam exsul factus Sinope fugit, Athenas profectus et ab Antisthene in discipulorum numerum receptus est. Postea Antisthene mortuo cum Athenis neminem dignum

1) Metrodorus Epicureus *περὶ συνηθείας* scripsit: v. Baguet. de Chrysippo in Annal. acad. Lovan. 1820/21 p. 146 sq.

2) Or. IX 288 consentit cum or. VIII 276; p. 289 variantur, quae p. 278 sq. exponuntur; p. 290 cf. cum p. 287, p. 291 cum p. 284.

Digitized by Google

invenisset, cuius scholas adiret, Corinthum se contulit, propterea quod illuc plurimos undique convenire et urbem maxime stultitiae et luxuriae plenam esse cognoverat. Oportere autem medicum, ubi multi aegrotarent, illuc auxilio venire (p. 276). Itaque Diogenes, quasi medicus esset, hominibus mederi eosque stultitia tanquam morbo liberare studebat, id quod omnes Cynicos sibi proposuisse iam Zeller. l. c. II 1³ p. 285, 3 multis exemplis demonstravit. Hac ipsa causa commotus cum Isthmiorum tempus venerat, illuc cum reliqua multitudine contendebat: εἰώθει [1]) γὰρ, ait Dio, ἐπισκοπεῖν ἐν ταῖς πανηγύρεσι τὰς σπουδὰς τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰς ἐπιθυμίας καὶ πρὸς ἅτινα ἀδημονοῦσι καὶ ἐπὶ τίσι μέγα φρονοῦσιν (p. 276 cf. IX p. 288). Contra Iulianus in or. VII p. 212 B 238 D ea de causa Diogenem ludos Isthmios visisse adfirmat, ut dis iustum ac debitum honorem redderet. Sed Iulianus haec ex coniectura ad Heracli in Diogenem contumelias refutandas profert. Veram causam solus Dio tradidit. Nam cum Diogenes hominibus mederi secum constituisset, nonne eum hominum morbos accurate cognitos habere oportuit?

Optime autem Dio hoc quoque fecit, quod Diogenem generis humani maxime despicientem fuisse demonstravit et hunc morem omnibus orationibus, quibus de Diogene agebat, vario modo expressit. Ipsa octava oratione p. 277 Diogenes admiratur [2]), quod homines corporis morbis impliciti medicos consultantes adeant, contra cum se ipsum illos ignorantia et pravitate et intemperantia liberaturum esse professus sit, si sibi morem gerant, neminem se sanari sinere aut animum attendere velle, etiamsi insuper pecuniam accepturus sit, quasi animi morbi leviores corporis essent morbis aut nil referret homines animum suscipere — audias, quantum vitiorum re-

---

1) Haec narrationis forma etiam apud Diog. Laert. VI 38, 44 redit et a Dione ex fontibus recepta est.

2) Similia apud Diog. Laert. VI 27 leguntur: σπουδαιολογουμένῳ ποτὲ ὡς οὐδεὶς προσῇει, ἐπέβαλε τερετίζειν· ἀθροισθέντων δὲ ὠνείδισεν ὡς ἐπὶ μὲν τοὺς φληνάφους ἀφικνουμένων σπουδαίως, ἐπὶ δὲ τὰ σπουδαῖα βραδυνόντων.

Digitized by Google

censeat catalogum — insipientem imperitum ignavum impium voluptarium illiberalem iracundum luctui obnoxium ad omnia scelera promptum. [1]) Irridet sophistas, scriptores, poetas, deinde praestigiatores miracula ostentantes [2]), oratores, qui undique crebri in Isthmum convenerunt. Porro homines ab eo dicuntur *ταραττόμενοι* (or. VI 209), *ἄθλιοι* et *ἀνδράποδα* (VIII 284. IX 291), *μεθυσθέντες* (IX 289. 291), *μαινόμενοι* (IX 291), uno verbo *ἀνόητοι* (IX 288. X 300; cf. Diog. Laert. VI 71). Haec epithetorum collectio facile augeri potest. Quid? pluris homines is aestimare potuit, qui se homines unquam inventurum esse desperaret, etiamsi lanterna accensa quaereret? Eiusdem contemptus et tristitiae plena ubique multa dicta leguntur (v. Diog. Laert. VI 27. 32. 40. 60).

Sed propterea quoque Dionem laudo, quod suum Diogenem quasi alterum Timonem aut Heraclitum [3]) esse noluit, neque adeo generis humani despicientem, ut homines plane neglegeret, sed etiam tanta humanitate et cura in hos com-

---

1) Haec sunt hominum vitia, quae semper omnium Cynicorum vituperationes experta sunt: *ἀφροσύνη* (Diog. Laert. VI 71; Crat. in Stob. floril. IV 52 = fr. 30 Mull.), et *ἀμαθία* (v. Zeller. II 1³ p. 268, 1), *δειλία* (Iulian. VI 190 B), *θρασύτης*, cui contraria est *εὐλάβεια* scil. erga deos (Iulian. VII 212 A coll. VI 199 A), *φιληδονία* (Diog. VI 71), *ἀνελευθερία* (Iulian. VI 190 B), *ὀργή* (ibid. p. 197 C), *λύπη* (Diog. fr. 276 Mull.).

2) Contra eosdem disputat apud Diog. Laert. VI 24, contra oratores apud eundem VI 28. 47. Postremo loco haec leguntur: *τοὺς ῥήτορας καὶ πάντας τοὺς ἐνδοξολογοῦντας τρισανθρώπους ἀπεκάλει ἀντὶ τοὺς τρισαθλίους*. Cf. etiam Wachsmuth. in Sillogr.² p. 66 sq.

3) Diogenes epist. 28 vehementissime in Graecos propter eorum stultitiam invehitur, quin etiam in fine eos barbaris multo deteriores esse scribit. Hanc epistulam ex fontibus genuinis haustam esse Bernays, Heracliti celeberrimus sospitator, libello suo, quem "Lucian u. d. Kyniker" inscripsit, p. 97 propterea negat, quod philosophiae Heracliteae vestigia in illa invenisse sibi videtur. Sed dubito, num recte in suspicionem vocaverit. Equidem nil inesse puto, quod non etiam ex cynica philosophia explicari possit; certe primum id quaerendum erit, cum Antisthenes de rebus physicis Heraclito saepius usus sit (v. Duemmler. Antisth. p. 37 sq.), num omnino negari debeat, Diogenem, quippe qui in hominum contemptu Heraclito similis fuerit, cum hoc viro necessitudine aliqua coniunctum fuisse.

Digitized by Google

motum fuisse narrat, ut, id quod erat, hominum servator fieret (VIII 276 sq. IX 288 sq. X 295. IV 164). Sed hoc nunc indicasse satis habeo, postea accuratius exponam.

Haec maxime de vita commemoranda erant; age transeamus ad Diogenis orationem, quam eum in consessu Isthmia celebrantium habuisse Dio in or. VIII p. 279 sqq. refert. Atque earum orationum, quas Diogenes, quando Olympiae vel in Isthmo ludorum tempore versabatur, habere solebat, praeter pauca dicta [1]) ne ullum quidem frustulum apud alios scriptores servatur. Attamen eum multitudinem, quae ad ludos visendos convenerat, saepius adlocutum esse ex Diogenis epist. XXXVIII 3 cognoscimus, cuius fides ea re confirmatur, quod § 1 cum Diog. Laert. VI 39, § 5 cum Diog. VI 32 consentit. In § 3 autem Diogenes haec scribit: *καὶ πολλάκις μὲν διαλεγομένου μου περὶ καρτερίας ἐπακολουθοῦντες ἐπηρῶντο* scil. homines, qui Olympiam convenerant. Quare non casu, sed ex Diogenis more factum est, quod ambarum orationum Isthmiacarum, quas Dio in or. VIII et IX tradidit, altera de laboribus perferendis erat. [2])

Age videamus, quae Diogenes apud Dionem exponat. Cum ab homine aliquo interrogatus esset, num ipse quoque venisset ad certamina spectanda, se ipsum certaturum esse respondit. Illo rursus quaerente, quosnam antagonistas haberet, *ὥσπερ εἰώθει ὑποβλέψας* [3]) "difficillimos" inquit "et vix expugnabiles. Primum enim contra labores pugno dies noctesque." Tum autem Apollinis illud *'Παραχάραξον τὸ νόμισμα'* secutus ad tantam audaciam processit, ut eos labores, quos homines omni virium contentione ludorum et gloriae causa susciperent, nullo usu esse exoneret, porro ut eos, qui victo-

1) V. Diog. Laert. VI 43. 60, Aeliani v. h. IX 34 (= fr. 266 Mull.), Epictet. III 22, 58.

2) De his Cynicorum praeceptis omnia, quae opus sunt, Zeller l. c. II 1³ p. 261, 2 exponit.

3) Cf. or. IV 150 et Luc. vit. auct. 7: *Δέδια τὸ σκυθρωπὸν αὐτοῦ* (Diogenis) *καὶ κατηφὲς — οὐχ ὁρᾷς ὡς — συνέσπακε τὰς ὀφρῦς καὶ ἀπειλητικόν τι καὶ χολῶδες ὑποβλέπει;*

Digitized by Google

riam reportassent et qui ob eam causam summis laudibus efferri et honoribus ornari solerent, insipientes et inutiles homines appellaret [1]), coronam autem victoriae pretium vile et magis capreis quam hominibus dignum. *Ὁ δὲ ἀνὴρ ὁ γενναῖος* [2]) *ἡγεῖται τοὺς πόνους ἀνταγωνιστὰς μεγίστους* neque singulos, sed omnes deinceps provocabit, famem, sitim, frigus, deinde paupertatem, exsilium [3]), contemptum [4]), alia (v. IX p. 291), quin etiam, si ita oportuerit, se virgis caedi aut secari aut uri patietur. [5]) Quare cum admiratus esset, quod homines fodiendi et calcitrandi exercitatione se ad Olympiacos agones pararent, nemo autem curaret, ut vir bonus fieret, ipse pugnam illam, quae quidem vulgo ita diceretur, sed in-

1) Similiter saepe athletas propterea irridebat, quod corporis labores neque animae educandae neque bonae valetudinis causa, sed vanae gloriae adsequendae susciperent, id quod *ἀθλητικῶς ἄγειν* apud Diog. Laert. VI 30 nominat; v. etiam VI 61 sq. Cum Dionis p. 279 sq. verbis his: *ἢ σὺ οἴει τοίτων τι ὄφελος εἶναι τῶν τὰς μεγάλας κοιλίας ἐχόντων, οὓς ἐχρῆν περιαγαγόντας καὶ περιχαθάραντας ἐκβαλεῖν, μᾶλλον δὲ καταθύσαντας καὶ κατατεμόντας εὐωχεῖσθαι* conferri possunt ea, quae Diogenes oratori pingui et obeso dixit: *ἐπίδος καὶ ἡμῖν, ἔφη, τοῖς πτωχοῖς τῆς γαστρός· καὶ γὰρ αὐτὸς κουφισθήσῃ καὶ ἡμᾶς ὠφελήσεις* (Diog. Laert. VI 57); cf. ibid. 49. De ventris impudicitia vide Diog. Laert. VI 51.

2) Huius vocis usus Dioneus cynicus est. Redit autem ad illud praeceptum, quo mendici illi non eum virum nobilem esse docebant, qui antiqua gente ortus esset, sed eum, qui animi nobilitate praeditus esset (Diog. Laert. VI 10: *τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους*· v. Zeller. II 1³ p. 259, 6, praeterea Diog. Laert. VI 1. 4. 96. 105. IV 46 [de Bione, cf. Stob. flor. LXXXVI 13] Iulian. or. VI 194 B). De verbi '*γενναῖος*' usu vide Luc. vit. auct. 7, Iulian. or. VII 204 A VI 187 C. Iam Plato eum usum denotat, cum in re p. II p. 372 B, quo loco eum contra Cynicos tecte disputare Zeller II 1³ p. 278, 4 demonstravit, *μάζας γενναίας* praedicat: nam *μᾶζα* ad Cynicorum victum pertinet (v. p. 106 adnot. 1).

3) *Φυγὴν* malum non esse demonstrat Diogenes etiam apud Diog. Laert. VI 49, Plut. de inimic. util. c. 2. Ceterum hic est cynicae philosophiae locus communis a multis tractatus, velut a Telete in Stob. flor. XXXX 8, a Musonio ibid. 9.

4) Cf. Iuliani or. VI 197 CD, Diog. epist. V. X.

5) Apud Lucian. in vit. auct. 9 eadem exponit: *ην μαστιγοῖ δέ τις ἢ στρεβλοῖ, τούτων οὐδὲν ἀνιαρὸν ἡγήσῃ.* Vide etiam Iulian. or. VII 214 D et Plut., an vitios. c. 2. 3.

Digitized by Google

utilem sublatam esse voluit novumque eius loco et verum certamen instituendum esse censuit, in quo pro praemio victori felicitas et virtus proponeretur. Cf. simile dictum apud Epictet. III 22, 58.

Hunc vocabuli ‘*μάχη*’ et derivatorum usum et translationem mere cynicam paucis explicare opus est. Cynici enim multis verbis aliam atque ceteri Graeci eamque translatam significationem attribuere solebant. Etsi hoc non mirum est, quod Cynici ut aliae philosophorum sectae suis terminis et sua oratione ad philosophandum utebantur, tamen quomodo hoc fecerint, dignum id quidem est, quod notetur. *Παραχαράττουσιν* etiam vocum *τὸ νόμισμα* ita, ut novo et meliore sensu quasi impleant vel potius ut antiquas et veras et eas, quae nativae videntur, significationes usu cotidiano corruptas restituant. Velut servus non is est, qui dici solet, neque rex aut dominus is, qui ita appellatur, sed ut Iulianus VI 195D—196C argumentatur, cum servus is sit, qui alicui serviat, etiam eum hoc nomine dignum esse putabant, cuius anima cupiditatibus subdita sit; unde id concludunt, solum Cynicum, quippe qui illas domuerit, solum regem vere nominari. Eadem argumentandi ratione Crates apud Plut. coniug. praec. c. 26 (= fr. 37 Mull., cf. eius epist. IX) utitur, cum inde, quod *κόσμος* nominatur, quod rem aliquam ornat (*τὸ κοσμοῦν*), quia id, quod mulieres ornat, eas modestiores vel *κοσμιωτέρας* reddat, verum *κόσμον* non ornatu muliebri i. e. auro vel gemmis constare concludit, sed honestate et moderatione. Huc pertinet etiam Diogenis aliquod dictum, quod Diog. Laert. VI 33 tradit: *ἀνάπηρους ἔλεγεν οὐ τοὺς κωφοὺς καὶ τυφλούς, ἀλλὰ τοὺς μὴ ἔχοντας πήραν.*[1]) Veri amatores non corporis, sed animi hominum amantes sunt. Nam Diog. Laert. VI 105 inter Antisthenis placita haec refert: *ἀξιέραστόν τε τὸν σοφόν*, et VI 11

1) Similia apud Dionem in or. X 298 sq. exstant haec: *καὶ ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος ἀνάπηρος καλεῖται τρόπον τινά, ᾧ ἄν ἔξωθεν προσφυῇ δάκτυλος περιττός — · οὕτως ὅταν πολλοὶ πόδες καὶ πολλαὶ χεῖρες καὶ πολλαὶ γαστέρες ἀνθρώπῳ τινὶ προσγένωνται —*, h. e. si quis a servis adiuvari velit et ultra suum ipsius usum et necessitatem immoderate vivat.

Digitized by Google

haec: *καὶ ἐρασθήσεσθαι δὲ* (scil. *τὸν σοφόν*)· *μόνον γὰρ εἶδέναι τὸν σοφόν, τίνων χρὴ ἐρᾶν* (cf. Diogenem apud Anton. I 60 p. 65, 18 sq. ed Gesn. = Maxim. 44 p. 198 fin. Gesn. [= fr. 53] et Diog. Laert. VI 58). Porro homines, qui dicuntur, rectius purgamenta appellantur, quam homines (Diog. Laert. VI 32, Luc. dial. mort. II 1). Vir sapiens omnes dies pro festis habet (secundum Diogenem apud Plut. tranq. an. c. 20; cf. Antisthenem apud Anton. I 39 p. 49, 8 Gesn. = Maxim. p. 612, 37. 38 Comb. = p. 56 fr. I Winck.) neque civitatis leges sequitur, sed veras, quae virtus praescribit (Antisthenes apud Diog. Laert. VI 11). Praeterea viri boni deorum imagines sunt (Diog. apud Diog. Laert. VI 51); verae divitiae non domibus servantur, sed animo et mente (Antisth. apud Xen. in conv. IV 34). Porro Diogenes dicebat, coronas gloriae papulas esse (Diog. Laert. VI 41, cf. Luc. Cyn. 19), Antisthenes veram coronam eam esse, quae eruditione constaret (Stob. ecl. II 31, 33 p. 207 Wachsmuth.).

Eodem igitur modo apud Dionem docet Diogenes, verum certamen id esse, quod contra labores conserendum sit, quem eundem verborum usum ante Cynicos iam Socrates adhibuerat [1]), cuius discipulus Antisthenes rectum verborum usum eruditionis fundamentum esse arbitratus (p. 33 fr. I Winck.) *περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων* quinque libros, *περὶ ὀνομάτων χρήσεως ἐριστικὸν* scripsit (Diog. Laert. VI 17), quibus in commentariis etiam tales vocum interpretationes, quarum exempla modo attuli, exstitisse suspicor. A Cynicis autem res ad Stoicos deducta est (v. infra).

Sed pergamus in Diogenis oratione enarranda. Ac labores quidem inimici hominum sunt vix expugnabiles. Sed quid de laetitia dicendum est, contra quam eo difficilior pugna est, quo magis amicae alicuius specie et blandimentis armata homines adgreditur? Quare Diogenes se etiam contra laetitiam bellum gerere profitetur (p. 282 sq.). Idem apud Lucianum in vit. auct. 8 verbis magnanimis de se gloriatur:

1) Cf. Xenoph. mem. III 9, 6 et Zeller. II 1^3 p. 102, 2.

στρατεύομαι δὲ ὥσπερ ἐκεῖνος (Hercules) *ἐπὶ τὰς ἡδονάς.* Quid? quod Diogenes Crateti in epist. XII scribit, ut eadem audacia et iisdem viribus et laetitiae et labori obviam eat?

Concludit autem orationem ita, ut Herculis labores recenseat scil. eodem consilio ductus, quo Antisthenes Herculem suum maiorem scripsit [1]): illius enim exemplo laborem bonum esse demonstrat (p. 285—287).

Deinde autem ubi perorandi finem fecit, nimirum ut res cum verbis consentirent [2]), etiam actione aliqua *τὸ νόμισμα παραχαράττει· ἐννοήσας δὲ οἶμαι τὸ τοῦ Ἡρακλέους τοὺς μὲν λόγους ἀφῆκε, χαμαὶ δὲ καθεζόμενος ἐποίει τι τῶν ἀδόξων.*

Oratione IX multa repetuntur, quae or. VIII iam exposita sunt, vel amplificantur; velut nova iis adiecit, quae in or. VIII p. 280 de corona Olympiaca dixerat. Nam cum Diogenes ipse se coronaret, quoniam victoriam de laboribus et voluptatibus reportasset, certaminis Olympiaci arbitri, qui eum coronam deponere iuberent, nuntios miserunt. Iam Diogenes ipsum se pugnare respondet, sed contra multo atrociores hostes quam athletas illos. Quid? ego nonne dignior sum, qui coroner quam athletae? Iam abite et iis, qui vos miserunt, renuntiate, *ὅτι ἐνδοξότερα πεποίηκα τὰ Ἴσθμια, καταχρατήσας αὐτὸν τὸν στέφανον.* Non malam Diogenis imaginem hanc orationis partem praebere inde concludo, quod quomodo Diogenes Apollinis mandatum *'Παραχάραξον τὸ νόμισμα'* executus sit, uno exemplo demonstrat.

Deinde Diogenem ad homines redarguendos promptum et aptum fuisse, id quod Dio in or. IX p. 290 praedicat, p. 292—294 specimine aliquo confirmat. Enarrat enim dialogum, quem Diogenes cum Olympionica multis comitantibus laeto animo a ludis redeunte habuisse fertur. Dialogos enim sicut

---

1) Diog. Laert. VI 2: *καὶ ὅτι ὁ πόνος ἀγαθόν, συνέστησε διὰ τοῦ μεγάλου Ἡρακλέους.*

2) Stob. flor. XXIII 10 (= fr. 45 Mull.): *Διογένης ἔφη, τῶν ἀνθρώπων ἐνίους τὰ δέοντα λέγοντας ἑαυτῶν οὐκ ἀκούειν, ὥσπερ καὶ τὰς λύρας καλὸν φθεγγομένας οὐκ αἰσθάνεσθαι.* Diog. Laert. VI 64: cf. Zeller. II 1³ p. 272, 7.

Digitized by Google

inter aliorum item inter Diogenis *ἀπομνημονεύματα* traditos fuisse etiam ex Diogenis epist. XXXI apparet, in qua Olympionicae alicuius elenchus inest, Dionei quidem similis, sed a putido scriptore miserrime enarratus; cf. etiam ep. XXXVIII. Qua de causa res ita nobis cecidit, ut illorum dialogorum indolem Dionis aliquo bonae notae specimine inlustrare possimus. Diogenes enim propterea Isthmiorum dignitati obtrectat, quod nemo, etsi victoriam reportaverit, tamen sapientior, moderantior, fortior, doloris patientior fiat. Quae cum Olympionicam concedere coegisset, effecit, ut multi eorum qui circumstabant, rem despicerent et ille ipse maestus, cre-deres victum, abiret (p. 294). Idem sibi contigisse Diogenes etiam epistulae illius in fine praedicat.

Conclusio autem huius orationis eadem est atque octavae: etiam actione quadam coronam Olympiacam quasi pedibus calcavit et hominum risui dat.

Ex singulis unum tangam. Diogene enim Olympionicam illum interrogante, quantum tandem ceteros de praemio proposito concertantes praecurrisset, ille "paululum" inquit, "quiddam, o Diogenes; sed hoc ipsum in ea victoria admirabile fuit." Cui respondet Diogenes: *ὥστε, ἔφη, παρ' ἓν μόνον βῆμα εὐδαίμων γέγονας* (p. 293). Ita saepius Diogenes iocari solebat propter hominum stultitiam rem vilissimam quamque maxima efficere posse, velut apud Diog. Laert. VI 35 haec Graecis exprobrat: *τοὺς πλείστους ἔλεγε παρὰ δάκτυλον μαίνεσθαι· ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον προτείνας πορεύηται, δόξει τῳ μαίνεσθαι, ἐὰν δὲ τὸν λιχανόν, οὐκέτι.* Cf. ibid. 57 et 36: *τὴν σὴν καὶ ἐμὴν φιλίαν σαπέρδης διέλυσε.*

Sed cum cetera ex iis, quae de Cynicorum rationibus exposuimus, explicari possint, oratione IX relicta ad decimam transeamus.

> *E caelo descendit γνῶθι σεαυτόν,*
> *figendum et memori tractandum pectore, sive*
> *coniugium quaeras vel sacri in parte senatus*
> *esse velis.* (Iuvenal. sat. XI 27 sqq.)

Digitized by Google

Hoc divinum effatum homines sequi oportere Diogenes in Dionis or. X demonstrat: *ἤδη οὖν ἀκήκοας τὸ ἐν Δελφοῖς γράμμα τὸ Γνῶθι σαυτόν*; etc. (p. 303).

Sed etiam ea re haec oratio memoratu digna est, quod melius quam illo colloquio, quod Diogenem cum Olympionica illo habuisse Dio narrat, Diogenis *τὸ ἐλεγκτικὸν* paene Socraticum inlustrari potest. Nonne eo dialogo Diogenes eodem modo quo Socrates a rebus cotidianis initium facit et paulatim ad altiores et subtiliores quaestiones ex intima philosophia repetitas sermonem deducit?

Res enim haec est. Diogenes, cum quondam Corintho Athenas proficisceretur, in itinere amico cuidam obviam factus, quonam contenderet, interrogavit. Tum alter conqueritur, servum suum aufugisse et ipsum se Delphos proficisci dicit, ut deum de ea re consulat. Statim Diogenes eum omnino male sibi prospexisse redarguit, quoquo modo res accipiatur. "Aut enim", inquit, "servus tuus ipse homo erat perditus, et si forte res ita sese habeat, cur non potius gaudes, quod a malo homine liberatus es? Sed hic est hominum mos, ut, etsi sibi cum hominibus malis rem esse sciunt, tamen ab iis liberati non quiescant, sed multa negotia ad illos inveniendos suscipiant. Stulti illi sunt, qui non reputent, quanta mala ab hominibus malis facta sint (— p. 297). Aut si servus non malus erat, sed tu ipse, ille te suo iure fugit, quia a te pessumdari nolebat (— 301)." Cum his Diogenis sententiis apte conferri possunt, quae Teles apud Stob. in flor. II p. 67 fin. exponit. 'Si quis' inquit 'nil tristius accidere posse dixerit, quam si iis civibus, qui bene de patria meriti sint, cives gratiam debitam non habeant, is a recta sententia aberrat. *Καὶ πῶς ἂν εἴη τοῦτο ἀκλήρημα, ἀλλ' οὐκ, εἰ δεῖ εἰπεῖν οὕτως, εὐκλήρημα, τὸ γνῶναι ποία τις πρότερον μὴ εἰδότα; Ἀλλ' εἰ μὲν τὴν γυναῖκα ᾔσθου πονηρὰν καὶ ἐπίβουλον οὖσαν, πρότερον μὴ εἰδὼς ἂν ἔσχες χάριν, καὶ εἰ τὸν οἰκέτην δραπέτην καὶ κλέπτην, ἵνα φυλάττῃ.* etc.

Haec disputationis pars prior est; altera (— p. 303) vereor, ne genuina non sit, sed e Xenophontis mem. IV 2, 24—30,

Digitized by Googl

quo loco Socratem de illo *γνῶθι σαυτὸν* similiter disputantem inducit, ab ipso Dione excerpta et elaborata. Verum quod Diogenes adhortatur, ne quis deum consulat, qui ipse se non noverit (p. 303), et omnino satius esse putat, veram rationem mentemque sequi quam a deo discere, quid cuique faciendum sit, hanc re vera ipsius Diogenis sententiam fuisse inde evincitur, quod Oedipum, cuius dementia multa cum acerbitate apud Dionem p. 305—307 notatur, quia se ipsum non noverit et tamen si non Apollinem Tiresiam saltem consultaverit, eodem sensu in ipsius Diogenis scripto aliquo commemoratum esse certis argumentis demonstrari potest. Quare age de hoc loco accuratius quaeramus, qui eo magis memorabilis est, quod Diogenes plane novam aliquam de Oedipode sententiam dicit.

Diogenes enim Oedipum, quem omnes Graeci tanquam virum magnis aerumnis vehementer vexatum, sed omnium sapientissimum magno in honore habebant, plane e contrario omnium hominum stultissimum nominare et ei soli culpam calamitatis adsignare et, ut breviter loquar, totam fabulam in Oedipodis vituperationem detorquere ausus est. Primum quidem Oedipus sophistam sese praebet miserum, profligatum, perditum, qui se sapientem esse putaverit, cum plane nil saperet, quin etiam stultissimo quoque Boeoto prudentia inferior esset. Sphinx enim pro stultitia esse intellegitur, qua ceteri Boeoti se teneri magno cum dolore senserunt, quam Oedipus fugisse sibi visus est, idque Boeotis ceteris persuasit. Nihilo secius sub eius imperio eo magis quam ceteri mansit, quod omnino non intellexit, se illius servum esse. Quid? quod ne aenigma quidem Sphingis solvit? Nam Sphinx eum insserat, hominem ipsum et hominis naturam cognoscere, ille autem 'hominis' nomine indicato se apte respondisse putabat, sed nil aliud fecit, ac si quis interrogatus, quid esset Socrates, responderet 'Socrates.' [1])

1) Nam Sphinx ex eo quaesivit, quid esset id, quod quattuor, duobus, tribus pedibus incederet. Iam in memoriam mihi venit, me alicubi — opinor apud Platonem — locum aliquem legisse, ubi alter alterum, quo-

Digitized by Google

Deinde stultitiae erat vaticinio uti, cum Oedipus se ipse quomodo uteretur, nesciret. Nam ea re se matris amore nefando correptum esse certior factus ad tantam dementiam processit, ut primum probrum suum omnibus civibus suis ipse patefaceret, deinde se adflictaret et lamentaretur, se eorundem patrem et fratrem, eiusdem mulieris maritum et filium et postremo, ne quam stultitiam relinqueret, se ipse oculis privaret et omnibus erroribus et sordibus sese dederet. Quasi sanis oculis instructo vagari non liceret! Deinde cur probrum suum non silentio obtexit? aut id si nolebat, cur non lege Thebanis data sanxit? Nimirum ignorabat sophista ille, si matres et filii corpora miscerent, id nil scelesti habere a natura, idemque inter gallos gallinasque, canes, asinos et apud Persas fieri.

Mira sane sapientia et antea Graecis inaudita, tamen quae a Diogene et cynica philosophia non aliena sit.[1]) Oedipus enim una cum sophistae persona etiam ea vitia suscepit, quae Diogenes saepius apud Dionem iis exprobrat, *κακοδαιμονίαν* (cf. or. VIII 277), stultitiam (or. IV 154), vitae et opinionis incertos errores (or. IV 152sq. 154). Tum eadem ratione fabula immutatur, qua Antisthenes in 'Hercule' suo Prometheum non heroem, sed stultum sophistam fuisse demonstravit (v. Themist. *περὶ ἀρετῆς* in mus. rhen. vol. XXVII 450sq. coll. cum Buecheleri adnot. 1). Porro Oedipus illud Apollinis et Diogenis praeceptum '*Γνῶθι σαυτόν*' neglexit; neque secun-

---

cum colloquitur, interrogat, num tandem statuat, ut homines in dicendo nomina simplicia vitent et per amplas ambages pro nominibus iis verbis utantur, quibus nominis cuiusque notio definiatur. Ita Sphingem locutam esse fortasse Diogenes docuit. Nam si Sphinx interrogat, quid id sit, quod quattuor, duobus, tribus pedibus incedat, hoc idem est, ac si interroget, quid sit homo, eaque quaestione hominis notionem describi i. e. hominem cognosci velit. Oedipus igitur hominem intellegi a Sphinge suspicatus responsum dat id, quod Diogenes eum dedisse exprobrat: homo est homo. V. etiam dialexeis anonymi sophistae apud Mullach. fr. phil. graec. I p. 549a 25: *ὥσπερ καὶ ἄνθρωπος τὸ αὐτὸ καὶ παῖς καὶ νεανίσκος καὶ ἀνὴρ καὶ γέρων ἐστίν.*

1) Cf. Wilamowitz. in quaest. philol. IV p. 296, 7.

Digitized by Google

dum naturam vitam agit. Quid autem naturae consentaneum sit, ut statuatur, Diogenes eo more, quem supra commemoravimus, animalia [1]) pro exemplis proponit eorumque testimonia Persarum moribus h. e. *νομίμοις βαρβαρικοῖς* confirmat. Quid? quod Zeno Stoicus apud Sextum Emp. hyp. III 246 (= adv. math. XI 191) haec exponit: *περὶ δὲ τῆς εἰς τοὺς γονεῖς ὁσιότητος ὁ αὐτὸς ἀνήρ φησιν* (Zeno, cuius nomen § 245 exstat, fortasse *ἐν ταῖς διατριβαῖς*, qui liber ibidem citatur) *εἰς τὰ περὶ τὴν Ἰοκάστην καὶ τὸν Οἰδίποδα, ὅτι οὐκ ἦν δεινὸν τρίβειν τὴν μητέρα.* Quare cum Zeno non solum eadem doceat, quae Diogenes apud Dionem, sed etiam eadem fabula doctrinam inlustret, quam Diogenes adhibet, nonne credibile est, illum ex eodem fonte hausisse, ex quo Dio, et utrumque Diogenem secutum esse?

Aliud accedit. E Diog. Laert. VI 80 Diogenem Sinopensem Oedipodis fata tragoedia tractasse cognovimus. [2]) Quodsi ea, quae Diogenes de Oedipode apud Dionem exponit, comparamus cum iis, quae ex Diogenis 'Thyesta' traduntur, statim

---

1) Diogenes, quod gallos et gallinas in disputationem infert, hac in re sophistas sequitur. Nam apud Aristophanem nub. 1420 sqq. Phidippides modo sophistarum doctrina imbutus eam legem, qua patribus quidem liberos verberare fas est, liberi patres vetantur, hoc argumento usus tollit:

1427 *σκέψαι δὲ τοὺς ἀλεκτρυόνας καὶ τἄλλα τὰ βοτὰ ταυτί,*
ὡς τοὺς πατέρας ἀμύνεται· καίτοι τί διαφέρουσιν
ἡμῶν ἐκεῖνοι, πλήν γ' ὅτι ψηφίσματ' οὐ γράφουσιν,

cui prudenter Strepsiades pater respondet:

τί δῆτ' ἐπειδὴ τοὺς ἀλεκτρυόνας ἅπαντα μιμεῖ,
οὐκ ἐσθίεις καὶ τὴν κόπρον καὶπὶ ξύλου καθεύδεις;

quam trita talia artificia fuerint, ex ea re cognoscere licet, quod Aristophanes etiam avium v. 1347 de legibus, quibus aves utuntur, similia fingit (v. Kock. adnot. ad nub. 1428). Pendet autem haec ratio ex eo sophistarum placito, "quo distinguebant inter id, quod secundum naturam iustum esset, atque illud, quod secundum leges et instituta hominum iustum haberetur" (v. Plat. remp. I p. 338 A — 339 A et eos locos, quos Stallbaum in edit. reip. libri I p. 12 collegit).

2) De Diogenis tragoediis vide Rohde, *griech. Roman* p. 249 adnot. et 351, 1.

Digitized by Google

utriusque fabulae tractandae rationem eandem fuisse apparet. In Thyesta Diogenes fas esse exponit carne humana vesci, *ὡς δῆλον ἐκ τῶν ἀλλοτρίων ἐθῶν* (Diog. Laert. VI 73); cum autem in fabulis sit, Thyestam filios suos comedisse, inde Diogenem illa tragoedia docuisse verisimile fit fas esse etiam patres liberorum carne vesci. Quare recte ad eandem tragoediam Nauck. in trag. graec. fragm. p. 628 ea quoque rettulit, quae Theophil. ad Autol. III 4 p. 282 tradit: *ἀθεωτέρα τις φωνὴ εὑρίσκεται ἢ τοῦ Διογένους διδάσκοντος τὰ τέκνα τοὺς ἑαυτῶν γονεῖς θυσίαν ἄγειν καὶ τούτους κατεσθίειν.* Neque dubito, quin huc pertineant quae Diogenes in epist. XXI scribit: *γονεῦσι χάριτας οὐχ ἑκτέον οὔτε τοῦ γενέσθαι, ἐπεὶ φύσει γέγονε τὰ ὄντα, οὔτε τῆς ποιότητος.* Nam audias, quam causam Diogenes adferat: *ἡ γὰρ τῶν στοιχείων σύγκρασις αἰτία ταύτης* (scil. *ποιότητος*).[1]) Quid? nonne eodem argumento ex elementorum mixtura repetito in Thyesta carnis humanae esus a Diogene ita defenditur, ut exponatur: *καὶ τῷ ὀρθῷ λόγῳ πάντ' ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων εἶναι —. Καὶ γὰρ ἐν τῷ ἄρτῳ κρέας εἶναι καὶ ἐν τῷ λαχάνῳ ἄρτον, καὶ τῶν σωμάτων τῶν λοιπῶν ἐν πᾶσι διά τινων ἀδήλων πόρων καὶ ὄγκων εἰσκρινομένων καὶ συνατμιζομένων, ὡς δῆλον ἐν τῷ Θυέστῃ ποιεῖ* (Diog. Laert. VI 73 = Nauck. l. c.). In Thyesta igitur Diogenes docet, *ὡς δῆλον ἐκ τῶν ἀλλοτρίων ἐθῶν* sive, quod idem esse supra diximus, e naturae iure fas esse humana carne vesci neque ullam condicionem aut legem inter parentes et liberos esse. Item apud Dionem Persarum matrimonia et animalia sive naturam ipsam pro testibus adfert, ut Oedipodis et Iocastae matrimonium nil scelesti habuisse comprobet. Utroque loco Graecorum instituta antiquitus conservata funditus evertere et omnia vincula, quibus propinqui et adfines inter se tenentur, solvere studet. His expositis se-

1) Duobus his locis evincitur primum Diogenem elementorum mixturam statuisse; id quod Steinhart negat in Ersch. et Gruber. encyclop. sect. I tom. XXV p. 304, deinde Zenonem in eo praecepto suo, quo Stoicorum primus *κρᾶσιν δι' ὅλων* esse docuit, Diogenem Cynicum secutum esse (v. de ea re Zeller. hist. phil. graec. III 1^3 p. 126 sqq.).

Digitized by Googl

quitur, ut apud Dionem Diogenis 'Oedipodis' argumentum servari suspicemur. [1])

Sed etiam de 'Medea', quam Diogenes scripsit (Diog. Laert. VI 80) nova ex Dione discimus. Is or. XVI (*περὶ λύπης*) p. 461 sq. Medeam veneficam fuisse, quae Iasonem medicamentis datis a serpentibus tueretur, negat. Sed tanquam *φρόνησιν* intellegendam esse, quae hominibus praesidia ad beatam vitam comparet et moneat, ne quid magnum esse aut admiratione dignum credant nisi illud, sine ullo dolore, sine metu et curis si non longam aetatem, certe unum diem [2]) transigere posse. Quam artem si quis non didicerit, eum omnes res et condiciones igni et bestiis similes putaturum. Ita ex Medea, fabulae interpretatione aliqua adhibita, philosopha cynica fit: nam Cynicus *φρόνησιν* habere et animi perturbationibus liber esse debet. [3]) Sed eam interpretationem ad Diogenem redire ex Stobaei flor. XXIX 92 apparet, quam eclogam iam Duemmler in Antisthenicis p. 74 cum Dione contulit: *ὁ Διογένης ἔλεγε τὴν Μήδειαν σοφήν, ἀλλ' οὐ φαρμακίδα γενέσθαι*, nisi quod Dio ita Diogenis sententiam mutavit, ut Medeam non sapientem, sed ipsam sapientiam vel eam virtutem esse fingeret, qua illam tanquam philosopham cynicam et ipsam omnes superasse et alios imbuisse Diogenes docuerat. Post haec verba Diogenes apud Stob. ita pergit: *λαμβάνουσαν γὰρ μαλακοὺς ἀνθρώπους καὶ τὰ σώματα διεφθαρμένους ὑπὸ τρυφῆς ἐν τοῖς γυμνασίοις καὶ τοῖς πυριατηρίοις διαπονεῖν καὶ ἰσχυροὺς ποιεῖν καὶ σφριγῶντας* et postremo ea verba adicit, quae saepe apud fabularum interpretes leguntur: *ὅθεν*

1) Vides, quam sagaciter Duemmler in Antisthenicis p. 68 Oedipodis argumentum divinarit, qui haec scribit: "In Oedipode similiter [scil. atque in Thyesta] de nefario illo matrimonio videtur actum esse, nimirum ita ut defenderet."

2) Fama erat, eum qui se Medeae unguentis inlevisset per unum diem neque igni nec ferro vinci posse; cf. Apollod. I 9, 23, 6. Haec Casaubonus in Reiski Dionis edit. II p. 461 adnotavit.

3) Cf. Diog. Laert. VI 13: *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν* et eundem VI 15: *οὗτος* (Antisthenes) *ἡγήσατο καὶ τῆς Διογένους ἀπαθείας καὶ τῆς Κράτητος ἐγκρατείας.*

LIBRARY UNIVERSITY
Digitized by Google

περὶ αὐτῆς ῥυῆναι τὴν δόξαν, ὅτι τὰ χρέα ἕψουσα νέους ἐποίει.

Equidem nullo modo dubito, quin hac Stobaei ecloga et illo Dionis loco Diogenis ‘Medeae’ argumentum contineatur, ad quam si quidem illi loci referentur, eandem pariter trium illarum tragoediarum, ‘Thyestae’, ‘Oedipodis’, ‘Medeae’, speciem atque indolem fuisse apparebit. Nam ne Apollinis effati ‘*Παραχάραξον τὸ νόμισμα*’ neglegens esse videretur, Oedipum, quem ceteri Graeci summis laudibus extulerunt, cuius tristia fata a clarissimis poetis in scaenam ducta commiserari et deflere solebant, Diogenes solus tanquam sophistam stultum vehementer vituperavit et acerbe derisit; at contra Medea a Graecis venefica esse et liberos interfecisse creditur, a Diogene sapiens habetur; Thyesteae dapes ceteris nefandae et foedae dicuntur, Diogeni naturae accommodatae et homini cuivis et sapienti, qualem Thyestam a Diogene intellectum esse putarim, permissae.

Praeter has tragoedias Diogenes etiam ‘Helenam’ scripsit (Diog. Laert. VI 80). Iam in epist. XVII eam vituperat, quod Menelai domi convivantibus ad eorum tristitiam depellendam medicamentum vino mixtum, non sine vino dederit. Homeri versus, quos Diogenes denotat, Odyss. libri IV 221 et 222 sunt: sed Helenae vituperatio nec pedem nec caput habet, si quidem Diogenem ea ipsa venena significasse censeamus, quae secundum Homerum Helena in crateram coniecit. Hoc erat magis poetam corrumpere, quam corrigere. Sin autem Diogenis eam consuetudinem in memoriam revocamus, qua verbis, quae ad artem medicam pertinent, translata significatione uti et animorum quoque hominum medicamenta esse exponere solebat [1]), verisimile fit eum eodem sensu Helenae *φάρμακα* accepisse

1) Velut apud Antonium et Maximum p. 64 (= fr. 10 Mull.): *οἱ μὲν ἰατροὶ τὰς τῶν ἐκλειχτῶν φαρμάκων πικρίας μέλιτι, οἱ δὲ σοφοὶ τὰς τῶν δυσκολωτέρων ἀνθρώπων ὁμιλίας ἱλαρότητι γλυκαίνουσιν.* Cf. Anton. I 21 p. 26, 39 Gesn. = flor. Laurent. II c. 31, 22 p. 243 Mein.: *τὸ ἀληθὲς πικρόν ἐστι καὶ ἀηδὲς τοῖς ἀνοήτοις, τὸ δὲ ψεῦδος γλυκὺ καὶ προσηνές, κτλ.* Cf. Lucretium I 936 sqq.

Digitized by Google

et ipsam Helenam vituperasse, quod non libere et aperte convivas monuisset, ut animorum tristitiam deponerent, sed veritatis amaritudinem orationis dulcedine lenivisset. Quid? quod haec Homeri interpretationis artificia apud schol. cod. Ambrosiani Q resonant, qui Homerum propterea laudat, quod *δαιμονίως τὰ ἀνώτατα δύο παρέλαβε, τὸ πένθους καὶ ὀργῆς διαλλάττειν, οἷς καὶ τὰ λοιπὰ ὑποστέλλεται πάθη.*

Iam ex iis, quae de Diogenis tragoediis diximus, apparet Iulianum, quod in or. VI p. 186 BC nil serio aut ex animi sententia scriptum Diogenem reliquisse adfirmat idemque de tragoediis profitetur, magis eo consilio ductum esse, ut Diogenem ab impietatis et nequitiae crimine defenderet, quam verum dixisse. Sed in or. VI p. 186 C Diogenis tragoedias posse quidem genuinas existimari concedit; hoc in or. VII cum praefracte negaret et omnes illarum sordes Philisco adscriberet, non ad indolem ludibundam refugere ei opus erat, quo factum est, ut in or. VII (p. 210 D) verius de tragoediis scriberet, quam in or. VI: *τίς* ait *⟨οὐκ ἄν* (add. Cobet)*⟩ ἐπελθὼν βδελύξαιτο καὶ νομίσειεν ὑπερβολὴν ἀῤῥητουργίας οὐδὲ ταῖς ἑταίραις ἀπολελεῖφθαι;*

Sed quodammodo etiam in or. VI recte iudicat. Aliam enim 'Thyestae', 'Oedipodis', 'Medeae' indolem, aliam 'Herculis' fuisse video, cui hunc Tertulliani (Apolog. c. 14) locum Oehlerum et Nauckium recte adscripsisse iam supra dixi: "sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit, et Romanus Cynicus [1]) Varro trecentos Ioves, sive Iuppiteres dicendum, sine capitibus introduxit." Ex hoc uno fragmento si de totius tragoediae indole aliquid concludi potest, 'Hercules' ad Cynicorum *σαλγνια* pertinet.

Quid autem Diogenes tragoedia sua in Herculem luserit, ex Luciano concludi potest. Is in dial. mort. XVI [2]) Diogenem

1) Eadem repetuntur a Tertulliano ad nat. I 10 hac varia lectione: "Romani stili Diogenes, Varro"; v. Riese, *Varr. sat. reliq.* p. 239 fr. X et praefat. p. 10, p. 31, 3.

2) Ipse in hunc locum incideram, cum postea eum iam ab Oehlero in adnot. ad Tertull. apolog. I 14 collatum esse vidi.

Digitized by Google

Herculi in Orco occurrentem seque cum illo colloquentem fingit. Diogenes admiratus, quod Hercules, quamquam Iovis filius esset, diem supremum obiisset, quomodo hoc factum sit, ex illo quaerit. Hercules autem respondet genuinum Herculem in caelo cum dis versari et formosam pedibus Heben (*καλλίσφυρον Ἥβην*) uxorem habere, se ipsum eius simulacrum esse. Quod facile intellectu esse Diogenes eodem orationis tenore, quo antea adfirmat, sed inde usque ad finem nullo modo facetiis et irrisione Herculis abstinere potest. Nam Herculis simulacrum per divinum Herculem obtestatur, ut se certiorem faciat, quomodo, cum Hercules inter vivos fuerit, ipse Hercules eiusque simulacrum uno corpore inter se coniuncti fuerint. Ac primum quidem *ϑρύπτεται* Hercules, tandem respondet, quidquid Amphitruonis in Hercule fuerit, id mortuum et iam ipsum esse, quod autem Iovis, in caelo inter deos agere. Tum Diogenes § 4: ‘*Σαφῶς*’ inquit ‘*νῦν μανϑάνω· δύο γάρ, φής, ἔτεκεν ἡ Ἀλκμήνη κατὰ τὸ αὐτὸ Ἡρακλέας, τὸν μὲν ὑπ᾽ Ἀμφιτρύωνι, τὸν δὲ παρὰ τοῦ Διός· ὥστε ἐλελήϑειτε δίδυμοι ὄντες ὁμομήτριοι.*’ Immo — ait Hercules — ut tu, Diogenes, homines ex anima et corpore compositos esse putas, quid impedit, quominus idem de me valeat? Quo maiorem ansam irrisionis Diogeni praebet, qui sic iocatur (§ 5):

‘*Ἀλλ᾽ ὦ βέλτιστε Ἀμφιτρυωνιάδη* — agnosce metri vestigia! — *καλῶς ἂν ταῦτ᾽ ἔλεγες, εἰ σῶμα ἦσϑα· νῦν δὲ ἀσώματον εἴδωλον εἶ· ὥστε κινδυνεύεις τριπλοῦν ἤδη ποιῆσαι τὸν Ἡρακλέα.* Primus is est, qui in caelum sublatus est, alter is, cuius corpus in Oeta monte igni traditum est, tertius tu, qui Herculis imago es. Huius quis pater apte inveniri possit, nunc considera!’ Quae verba Hercules indignatus discedit.

Tertullianus l. c. ‘Romani stili Diogenem’ Varronem trecentos Ioves sine capitibus introduxisse narrat et una cum Varrone Diogenem nominat. Quid? nonne inter Diogenis apud Lucianum et Varronis *παίγνια* ingens intercedit similitudo? Diogenes tres Hercules numerat, trecentos Ioves Varro. Quid igitur? nimiaene audaciae erit conicere Tertullianum, cum de

Digitized by Google

Diogenis iocis dicit, illam Herculum triadem a Diogene inventam significare?

Dixerit quispiam: 'tu numerorum similitudinem nimis urges nec reputasti Tertullianum ambo viros non ea de causa uno velut tenore nominasse, sed magis propterea, quod ambo Graecorum deos ludibrio habebant.' Hoc recte quidem; sed Tertullianus, ut omnino duos illos coniungeret, nonne similitudine aliqua inter illos intercedente commotus esse potest? Nisi forte quis Tertulliani verba "Diogenes nescio quid — ludit" non brevitatis causa vel fastidiose dicta esse credit, sed ita accipit, tanquam Tertullianus Diogenis iocorum plane ignarus fuerit. Cum autem apud Lucianum sub Diogenis nomine ea fabula sit, quae cum Varronis saturae illius argumento apte comparetur, equidem non dubito, quin Tertullianus ad eam adluserit.

Sed ex Oehleri et Naucki coniectura admodum laudabili Tertullianus l. c. Diogenis 'Herculem' deridet. Itaque ea dialogi Lucianei pars, qua tres Hercules fuisse demonstratur, ad Diogenis 'Herculem' redit.

Quod Diogenes ludis et iocis in 'tragoedia' aliqua locum dedit, ea res plane nullam difficultatem praebet. Idem alii poetae fecerunt; velut is, qui Romanus Cynicus vel Menippeus vocatur, Varro pseudotragoedias scripsit, quas Ritschelius opusc. III p. 527 eandem fere indolem atque Rhintonis *ἱλαροτραγῳδίας*, Plauti tragicomoediam, Alcaei *κωμῳδοτραγῳδίαν* habuisse suspicatur, rectius O. Ribbeck in hist. poes. rom. I p. 265 in Diogenis et Timonis 'tragoediarum' similitudinem fictas esse demonstrat. V. etiam Crusium in recensione Wachsmuthi sillographorum in 'Lit. Centralblatt' 1887 No. 9 p. 279.

Sed rectius de Diogenis pseudotragoedia iudicabimus, si quaeramus, quo consilio scripta sit. Lucianeo illo Diogenis et Herculis dialogo sub finem Homeri narratio quasi digito monstratur, ubi Diogenes, quis ipse sit, Herculem his verbis certiorem facit: "Sum Diogenis imago, ipse autem non profecto inter deos immortales versor, sed in Orco inter hominum

Digitized by Google

praeclarorum manes, Homerum tamque frigidas eius fabulationes deridens." Adludit autem ad Odyss. λ 600—603 [1]):

τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τέρπεται ἐν θαλίῃς καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

Ultima verba apud Lucianum etiam in paragrapho 1 significantur. Sed animadverte, quae sit discrepantia inter Dionem et Diogenem sive Lucianum. Dio omni philosophiae et fabularum interpretationis apparatu or. I 63 sqq. recte Herculem Iovis et Alcmenae filium perhiberi cum multo labore et sudore demonstrare studet. Diogenes apud Lucianum ea ratione, qua Homerus de Herculis morte rettulerit, fabulam, quae vulgo de Hercule feratur, per se ipsam stare non posse ostendit. Si recte disputavi, Diogenes Sinopensis inter Homeromastigum numerum recensendus est. Eustathius enim ad Odyss. λ 601 p. 1702, quem iam Hemsterhuisius laudat in adnot. ad illum Luc. dialogum (edit. Bipont. II p. 491), haec tradit: *διαβάλλουσι δὲ καὶ τὸν τοιοῦτον τόπον* (scil. Homeri) *οἱ ὁμηρομάστιγες*, et cum alia tum hoc quaerebant: *πῶς οἷόν τε τὸν αὐτὸν ἐν Ἅιδου τε εἶναι καὶ ἐν οὐρανῷ*. His igitur dubitationibus iam Diogenes Homeri locum temptabat, sed non solum dubitationem movisse, ut ceteri Homeromastiges, sed ipse simul *λύσιν* ludicram periclitari volebat et, ut facile ei concedi potest, feliciter solvit et elegantius, quam misellus Proclus philosophus (v. Hemsterh. l. c.). [2])

---

1) Cf. adnot. in edit. Bipont. II p. 494 sq.

2) Statim initio dialogi Diogenes, cum Herculem conspexerit, dubitanter quaerit: *οὐχ Ἡρακλῆς οἵτός ἐστιν; Οὐ μὲν οὖν ἄλλος, μὰ τὸν Ἡρακλέα*. His verbis denotatur a Luciano proverbium illud: *ἄλλος οἵτος Ἡρακλῆς*, quod veteres *ἐπὶ τῶν ἰσχυρῶν* usurpare solebant (v. Gregor. Cypr. I 38 in paroemiogr. II p. 59). Hoc proverbio Varro satiram aliquam Menippeam inscripsit, cuius duo fragmenta servantur. Quare nego titulo illo Varronem Cleanthem Stoicum, qui alter Hercules appellatus est (Diog. Laert. VII 170), laudare voluisse, ut Krahner, *de philos. Varron.* p. 7 proponit et Riese l. c. p. 98 sq. comprobat. Similiter enim ac Lucianus, Varro multos et diversos Hercules, quos fuisse Graeci narrabant, inter se discrevisse et cum dis Romanis comparasse videtur: velut "cum de Invicto

Digitized by Google

Nimirum haec Diogenis Homeri castigandi ratio puram et genuinam mediae comoediae indolem refert, quam Platonius de diff. com. apud Duebner. schol. Aristoph. p. XIV v. 67 ita describit: *ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτον, οἷον διασύρειν Ὅμηρον εἰπόντα τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν. Τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ ἔστιν εὑρεῖν, —. Οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς*[1]) *Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι, διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας τοῦ Ὁμήρου. Τοιαῦται γὰρ αἱ κατὰ τὴν μέσην κωμῳδίαν ὑποθέσεις εἰσίν· μύθους γάρ τινας τιθέντες ἐν ταῖς κωμῳδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διέσυρον ὡς κακῶς ᾐθέντας.*

Haec habeo, quae de tragoediis et pseudotragoediis Diogenis dicam. Apparet autem ex ipsis argumentis eas non scaenae scriptas fuisse (v. Meineki anal. ad Athen. p. 305, 306 et Duemmler. in Antisth. p. 68 et Wachsmuthi sillogr.[2] p. 24 sq.); quae coniectura etiam ea re confirmatur, quod Diogenes certamina Dionysiaca magna miracula stultorum dixit (Diog. Laert. VI 24). Deinde cum iam in antiquitate dubitatum sit, utrum tragoediae illae ipsius Diogenis an Philisci essent, postquam Duemmler in Antisthenicis p. 67 sq. ex Philodemo ‘Atreum’, quo nomine Epicureus ‘Thyestam’ significat[2]), et ‘Oedipum’ genuinas fuisse demonstravit, idem de ‘Hercule’ ex Luciano, de ‘Oedipo’ ex Dione elucere videtur, apud quos ea, quae in ‘Hercule’ et ‘Oedipo’ scripta erant, suo nomine Diogenes proponit.[3])

Postremo autem ut Dio ad ‘Oedipodis’ et ‘Medeae’ argumenta cognoscenda nobis utilissimus erat, ita ex ‘Herculis’ indole ludicra feliciter inventa de Dione haec adfirmare pos-

---

Hercule loqueretur, eundem esse ac Martem probavit” (frgm. II Ries.). In hac discernendi opera, credo, eum proverbium illud *ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* ita usurpasse, ut unum ab alio quodam Hercule discerneret.

1) *Ὀδυσσεῖς* sive *Ὀδυσσῆς*. Quid? si etiam Diogenis hilarotragoediae titulus “*Ἡρακλῆς*’, qui fertur, re vera fuit *Ἡρακλεῖς*, quoniam de tribus Herculibus res erat?

2) V. etiam Gomperz. in annal. gymnas. Austriac. XXVII (1878) p. 255.

3) Quis is sit, a quo Diogenes apud Dionem in or. X p. 306 Sphingem stultitiam esse se audivisse dicit, non liquet.

Digitized by Google

sumus: ea, quae Diogenes Dioneus hic et illic de Herculis virtute exponit, etsi ab eius philosophia non abhorreant, tamen minime ex tragoedia 'Hercule' sumpta esse. Idem de iis iudicandum est, quae ipse Dio de virtute Herculis imperatoria profert. Hoc animadvertisse postea nobis usui erit, cum de Antisthenis 'Hercule' verba faciemus.

IV

Diximus de orationibus VI. VIII.—X.; iam oratio quarta tractanda est, qua Diogenis et Alexandri Macedonum regis colloquium continetur.

Haec res, quae non raro a scriptoribus Graecis et Romanis vario modo celebrata est [1]), etiam Dionem adlexit, ut artem suam in mendico pauperrimo et rege potentissimo inter se opponendis et comparandis exerceret. Ita autem rem absolvit, ut denuo Cynicorum locum communem, qui est de sapientis regno tractaret. Quaeritur enim, *πῶς ἂν — κάλλιστα βασιλεύοι τις* (p. 150).

Sed quicunque attento animo eam orationem legerit, eum fugere non potest, ut iam Duemmler in Antisthenicis p. 73, 1 adnotavit, aliam atque ceteras, quae de Diogene sunt, orationes, quartam indolem et tenorem prae se ferre, quin etiam "tumorem quendam sophisticum prodere." Huius rei causa non est, quod Dio alios eosque deteriores fontes quam ceteris in orationibus adhibuerit, sed inde repetenda est, primum quod, ut ipse ait, non ita diligenter fontes suos secutus colloquium istud tale enarravit, quale ex rerum et personarum colloquentium natura haberi potuit, tum quod tres primas orationes, quae de eodem argumento sunt, saepius exscripsisse videtur.

Quod enim Diogenes dicit Alexandrum tum Iovis filium rectius quam ad id tempus, nominatum iri, cum prudens et

1) A Diog. Laert. VI 68, Epicteto III 22, 92, Plutarcho in Alex. vita c. 14, in Diogenis epist. XL, a Seneca de benef. V 4, 3 sq., a Cicerone in Tusc. disp. V 32, 92.

Digitized by Google

fortis fiat et Iovis artem i. e. *τὴν βασιλικὴν* discat, ea et omnia fere, quae sequuntur (p. 149—156), cum or. I et II consentiunt. Nam pergit Diogenes ita: etiam Homerus dicit, Iovem non solum deorum, sed etiam hominum bonorum patrem esse (p. 151), a quo qui artem regnandi didicerit, eum sophistarum vanas disputationes audire non oportet. Hoc autem Homerus significat (p. 154—156), cum Minoem *Διὸς ὀαριστὴν* appellat (cf. or. I 56), reges bonos *διοτρεφεῖς* et *Διὶ φίλους* (cf. I 47. 56) et *ποιμένας λαῶν* et *Διὸς παῖδας* (p. 151, cf. II 96 sq.). Verba p. 145 *καὶ ἐπεθύμει γε* (Alexander) *τιμᾶσθαι σχεδὸν οὐχ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων μόνον τῶν πανταχοῦ, ἀλλ' εἴ πως δυνατὸν ἦν, ὑπό τε τῶν ὀρνίθων καὶ τῶν ἐν τοῖς ὄρεσι θηρίων* ex or. I 48 sq. exscripta sunt (cf. etiam IV 148 cum III 102). p. 150 rex homo optimus, fortissimus, iustissimus, hominum amantissimus, nullo labore aut libidine victus nominatur: item in prioribus orationibus describitur. Non enim in magnificentia regis dignitatem constare, *οὐδ' ἂν πάντες φῶσιν Ἕλληνες καὶ βάρβαροι καὶ πολλὰ διαδήματα καὶ σκῆπτρα καὶ τιάρας προσάψωσιν*: idem invenitur I 70, III 114.

Quae cum ita sint, nunc eam partem, qua inde a p. 150 usque ad 156 et p. 149 Homerus introducitur, quae facile e totius orationis conexu discerni potest, ex disputatione nostra secludere et ad eam redire liceat, cum de primis Dionis orationibus et Homeri interpretatione cynica verba faciemus. Ea, quae restant, age accuratius tractemus et primum de colloquentium personis quaeramus.

Diogenes, cuius in laudem Dio eam orationem composuit, ita effingitur, ut sit homo pauper, sed ingenuus, constans, multitudinis, vanae laudis contemptor, veritatis amans, Cynici genuini imago. Domum habet nullam, quod tota urbs ei domicilium (v. supra p. 88), focus est totus orbis terrarum (p. 147). Notum est Cynicos docuisse omnes homines unius rei publicae cives esse et iisdem legibus scilicet iis, quae ex naturae iure valeant, inter se coniunctos. Quid? quod terram totam hominibus pro domo esse etiam apud Lucianum in Cyn. 15 legitur (*οἶκον δὲ τὸν κόσμον νομίζειν*). Id quoque Diogenis

Digitized by Google

moribus consentaneum est, quod nullo regis timore aut verecundia adficitur, quin etiam ea audacia, quam virtutis conscientia hominibus praestat [1]), eaque securitate, qua ii sunt, qui nihil amittere possunt, regem ludibrio habet.

Alexander autem Dioni non pro rege est, sed tanquam tyrannus describitur. Gloriae cupiditate flagrat (p. 145 sq. 164), id quod ex tyrannorum more esse Dio in or. I 70 docet. Deinde quod *ἐν βασιλικῷ τύφῳ* eruditus p. 146 dicitur, or. I 65 conferri potest, ubi Tyrannis ipsa in montis alicuius vertice sedens fingitur, qui *Τυφῶνος ἄκρα* nominatur. Praeterea non aliter Alexander atque Xerxes, qualem eum regem fuisse or. VI secundum cynicos fontes exponitur, vitam degit infelicem et servilem, negotiorum semper plenam, terroribus vehementer turbatam (p. 146, cf. or. VI p. 210 sqq.). Ut ipse ab insidiis se tueatur, magno exercitu indiget (cf. VI 211); eorum, qui eius imperio oboediunt, favor et gratia ei captanda sunt et ad eam rem pecunia multa consumenda (cf. VI 214). Porro sicut Prometheus sophista in or. VIII 286, quem Antistheneum fuisse Buecheler in mus. rhen. XXVII p. 450, 1 vidit, item Alexander *τεταραγμένος τὴν ψυχὴν* est (p. 148), ut cum laudatur, gaudeat, vituperationes aegre ferat (p. 164), in utraque re, qua est gloriae cupiditate, hominum opinionibus misere serviat. Ex his omnibus, quae exposuimus, facile concedes Alexandrum Dioneum plane alium esse atque eum, qui apud scriptores historicos est, et eodem loco haberi, quo alii tyranni velut Xerxes et Maussollus a Cynicis habiti sunt, nimirum, ut supra p. 94 explanavimus, pro mali regis exemplo propositum esse.

Tales Diogenes et Alexander sese praebent; nunc ad ipsum colloquium transeamus. Statim initio Diogenes Alexandrum iubet ex sole decedere (cf. Cic. in Tusc. disp. V 32, 92) eumque hac audacia et animi libertate obstupefacit. Eodem tenore, quo verba facere coepit, pergit et ex illo quaerit, quis

1) Cf. Epicteti diss. III 22, 94 *τῷ δὲ Κυνικῷ ἀντὶ τῶν ὅπλων καὶ τῶν δορυφόρων* (h. e. pro regia potestate) *τὸ συνειδὸς τὴν ἐξουσίαν ταύτην παραδίδωσιν* (scil. reprehendendi et puniendi).

Digitized by Google

sit, quid sit, quid a se desideret. Cum autem Alexander valde admiratus sit, quod ille se non novisset, Diogenes respondet: ‘nomen’ inquit ‘cognovi, sed te ipsum ignoro, quoniam animum tuum non novi.[1]) Hoc autem mihi dic: nonne tu Alexander ille es, quem subditicium omnes appellant?’ *καὶ ὃς ἀκούσας ἠρυθρίασε μὲν καὶ ὀργίσθη.* Sed iram compescit et quaerit, cur se subditicium esse dicat. *Ὁ οὖν Διογένης καταμαθὼν αὐτὸν τεταραγμένον ἐβουλήθη μεταβαλεῖν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν ὥσπερ οἱ παῖδες τοῖς ἀστραγάλοις.* Itaque respondet: ‘quid? nonne iure meo tibi nomen istud indo, cum ipsa Olympias se non a Philippo, sed a dracone aut Ammone aut nescio quo deo, te concepisse confiteatur? *Ἐνταῦθα ὁ Ἀλέξανδρος ἐμειδίασε καὶ ἥσθη ὡς οὐδέποτε.*

Nihil magis e Diogenis more esse potest, quam haec protervitas et petulantia, quam, credo, ex Antisthenis et Socratis moribus recepit. Socrates enim, ut unum exemplum adferam, apud Xenophontem in conv. IV 61 sqq. Antisthenem lenonem propterea nominat, quod lenonis idonei sit, eos, quos ad aliquem perducere velit, huic quam maxime gratos et acceptos reddere, Antisthenem autem eos, qui ei curae sint, toti urbi gratos et acceptos reddere. Accedere, quod etiam ille lenocinii peritus sit. *Καὶ ὃς* (Antisthenes) *μάλα ἀχθεσθεὶς ἐπήρετο ‘καὶ τί μοι σύνοισθα, ὦ Σώκρατες, τοιοῦτον εἰργασμένῳ;’* Ad haec Socrates respondet: ‘scilicet’ inquit ‘lenocinii propterea merito peritum te nomino, quod primum Calliam ad Prodici scholas aptissime perduxisti, hospitem Heracleensem ita apud me laudasti, ut me eius amore captum facile ad eum perducere posses. Is autem, qui eos, qui sibi invicem utiles futuri sint, invenire inventosque inter se amicos reddere possit, etiam totas urbes inter se conciliabit et apta matrimonia iunget et civitati amicisque maximo usui erit. *Σὺ δὲ ὡς κακῶς ἀκούσας, ὅτι ἀγαθόν σε ἔφην προαγωγὸν εἶναι, ὠργίσθης.’ ‘Ἀλλὰ μὰ Δί’’ ἔφη ‘οὐ νῦν· ἐὰν γὰρ ταῦτα δύνω-*

1) Similiter Socrates de Xerxe rege apud Themistium *περὶ ἀρετῆς* (secundum cynicos fontes) in mus. rhen. XXVII p. 451 sq. et ipsum Dionem in or. tertia.

Digitized by Google

μαι, σεσαγμένος δὴ παντάπασι πλούτου τὴν ψυχὴν ἕσομαι.' Socrates igitur Antisthenem lenonem, Diogenes Alexandrum subditicium appellat; deinde ubi illi in insidias, quas uterque struxit, quasi inciderunt et tanta ira conflagrarunt, ut eam vix compescere possint, eos nodos in scirpo quaesivisse ostendunt, quoniam ipsi nomina illa non vulgari et turpi sensu, sed in meliorem partem, quin etiam in eorum honorem acceperint.

Sed Diogenis et Alexandri colloquium enarrare pergamus. Cuius duae sunt partes, quorum altera inde a p. 149—164 quaeritur, num Alexander Iovis filius vere nominetur. Primum Alexander e Diogene quaerit: *πῶς ἂν κάλλιστα βασιλεύοι τις; Καὶ ὃς δεινὸν ὑποβλέψας* (cf. p. 136 adnot. 3)· '*Ἀλλ' οὐδέ*' ἔφη '*ἔστι βασιλεύειν κακῶς οὐ μᾶλλον ἢ κακῶς ἀγαθὸν εἶναι*' et paulo infra sic pergit: '*οὐδὲ βασιλεύειν μὴ βασιλικῶς* (p. 150).' Huic sententiae, quae ex accurata 'regis' vocabuli interpretatione exorta est (v. p. 91), simile dictum apud Epictetum III 22, 34 legitur: *ἀτυχὴς βασιλεὺς οὐ γίνεται οὐ μᾶλλον ἢ ἀτυχὴς θεός.* Quare Dareum magis recte verum regem nominari negat quam digitum minimum [1]), quin etiam Xerxem, qui tot milia hominum contra Graecos in bellum duxerit, coquo alicui similem esse, qui oves mactandas ducat (p. 156 sq.). Sed ne hoc quidem Alexander a Diogene impetrare potest, ut se ipsum regem futurum esse concedat, si Darei regnum funditus everterit, Susa et Babylonem expugnaverit. Nam etiamsi ea omnia adsecutus sit, tamen ait Diogenes futurum esse, ut certe unus hostis isque inimicissimus in ipsa Graecia et Macedonia invictus restet. Cum Alexander timore perterritus, ne qua seditio moveatur, quisnam ille sit quaesiverit, Diogenes 'Iam dudum' inquit 'tibi indicavi; tu enim ipse es. Vides igitur, quam parum tu ipse te noveris. Is autem, qui insipiens est et malus, maxime sibi ipse inimicissimus est, quoniam ipse sibi maxime nocet. *Οὐ γὰρ ἂν τοῦτο πρῶτον προσέταττεν ὁ Ἀπόλλων ὡς χαλεπώτατον ἑκάστῳ, γνῶναι ἑαυτόν* (p. 158—160).'

1) Cf. Antisthenem apud Euseb. praep. ev. XV 13, 7 (= p. 52 fr. XII Winck.): *μηδέποτε χάριν ἡδονῆς δάκτυλον ἐκτείνειν* et Iulianum VI 200 C: *γενέσθω δὲ τρυφῆς μηδὲ ἄχρῳ, φασί, τῷ δακτύλῳ.*

Digitized by Googl

Vide, quam elegans sit Diogenis *τὸ ἐλεγκτικόν* et protervitas. Sed de Apollinis effato quid multa, cum iam supra, quae opus erant, exposuerim? Hoc tantum addendum est, similiter Menippum apud Lucianum in dial. mort. II 2 Croeso ceterisque regibus in Orco illud *Γνῶθι σαυτόν* occinere, ut Dionem in ea re, quod Apollinem id vaticinium cum aliis hominibus tum regibus dedisse exponit, Cynicorum opinionem secutum esse credibile sit.

Aliam causam, cur Alexander rex non sit, Diogenes inde repetit, quod id signum, quod cuivis regi natura dederit, ipse non habeat (p. 160—163). ‘Nonne scis apium reginam non propter gentis nobilitatem, sed e naturae iure imperium obtinere, quod illa apium sola stimulo caret. A qua tu plane differs: non solum armatus incedis, sed, credo, etiam dormis. Nonne hoc ornatu deposito et tunica servili adsumpta iis servire mavis, qui te superiores sunt, quam diadema gestans ridiculus fieri? Verus regis ornatus in animo eius constat. *Μὴ οὖν πρότερον, ὦ μάταιε, βασιλεύειν ἐπιχείρει πρὶν ἢ φρονῆσαι* (p. 162).’ Quare is genuinus rex est, qui animi metus terroresque et immanes illas beluas, libidines et gloriae cupiditatem domat.[1]) Omnia haec fortasse ad Diogenem ipsum redeunt. Nam regis notio accurata verbi interpretatione adhibita item intellegitur et definitur, ut in oratione sexta; porro Diogenes item Alexandrum monet, ne regnare conetur, antequam animi stultitiam deposuerit, ut idem in or. X amico suo suadet, ne prius Apollinis oraculum adeat, quam se ipse noverit. Adde, quod eadem de regno, de regio ornatu, de apibus apud Epictetum leguntur, qui diss. III 22 (*περὶ Κυνισμοῦ*), 95—99

1) Nam haec ea fabula docet, quam Diogenem Alexandro narrasse Dio in or. IV 163 breviter commemorat, ne disputationis ordinem conturbet; ipsam postea or. V separatim narrat (id quod iam Duemmler in Antisthenicis p. 73 vidit). Ceterum eam fabulam Lucianus in dial. mort. XIII ita tangit: *ἐκεῖνο δέ γε ἡδέως ἂν μάθοιμι παρὰ σοῦ, πῶς φέρεις, ὁπόταν ἐννοήσῃς, ὅσην εὐδαιμονίαν ὑπὲρ γῆς ἀπολιπὼν ἀφῖξαι*, et alia et *τὰ μεγάλα θηρία, καὶ τιμὴν καὶ δόξαν, καὶ τὸ ἐπίσημον εἶναι ἐλαύνοντα, διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλήν, πορφυρίδα ἐμπεπορπημένον.*

Digitized by Google

haec fere exponit: ‘ante omnia eius, qui Cynicus vere nominari velit, *τὸ ἡγεμονικὸν* sive mens sole purior esse debet. Regibus enim et tyrannis, quamquam ipsi mali sunt, satellites et arma id praestant, ut eos, qui sub eorum imperio sunt, vituperare et punire possint. Sed cynico philosopho, cum totius mundi imperium cum Iove commune habeat, sola bona mentis conscientia dat istam potestatem, quam is perdit, qui alios increpare velit, cum ipse placentam furtim subreptam sub ala portet (i. e. cum ipse vitiis liber non sit). Talis enim quid est? *Ὁ ταῦρος εἶ, ἢ ἡ βασίλισσα τῶν μελισσῶν; Δεῖξόν μοι τὰ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷα ἐκείνη ἐκ φύσεως ἔχει.* Talis non apium reginae, sed fuco similis est.’

Haec de priore colloquii parte dicta sint; plura de suo Dio ad alteram partem addidit, qua Diogenes continua oratione de geniis sive daemonibus cum Alexandro agit. Ad hanc partem ita transitur, ut Diogenes p. 164 Alexandro dicat, non prius eum regem esse, quam genium suum placarit. Tum Alexander eum obtestatur, ut secum communicet, quis sit ille daemon. *Ἤλπιζε γὰρ ὄνομά τι ἀκούσεσθαι δαίμονος καὶ θυσίας τινὰς ἢ καθαρμούς, οὓς δεῖ ἐπιτελέσαι.* Sed spes eum fefellit; nam Diogenes ita de daemonibus verba facere coepit: non extra homines neque ab iis separati versantur eorum boni vel mali genii, sed suus cuique animus et mens genius est eius, quem habeat; bonus est boni et moderati hominis, malus mali, item liber liberi, servilis servi, regius regii. Hanc sententiam Cynicis adscribere, etsi testimonia desunt, quibus haec coniectura confirmetur [1]), propterea non dubito, quod is, cuius e philosophia Cynismus originem duxit, se daemonium suum in intimo pectore habere persuasum habebat, et apud Stoicos, qui cynicam philosophiam excoluerunt, eadem doctrina

1) Primus enim Cynicorum Iulianus, quantum scio, Diogenis daemonium commemorat in or. VII 212 D: *ἑλόμενον γὰρ αὐτὸν οἰκεῖν τὰς Ἀθήνας, ἐπειδὴ τὸ δαιμόνιον εἰς τὴν Κόρινθον ἀπήγαγεν*, cf. or. VII 238 D; idem or. VI 196 D haec dicit: *ἀλλ᾽ ὅτι τῷ λόγῳ καὶ τῷ ἐν ἡμῖν θεῷ, τοῦτ᾽ ἐστὶ τῷ νῷ κτλ.* Sed incertum est, utrum Iulianus Stoicos sequatur an Cynicos.

Digitized by Google

invenitur (v. Zeller. hist. phil. graec. III 1³ 318 sq.). Deinde Cynici verum regem eum esse putabant, qui frementes animi cupiditates oppressisset; divitem eum, qui animi divitias sibi comparasset: nonne eandem rationem ista verbi ‘*δαίμων*’ et ‘*εὐδαίμων*’ (v. Dionis or. XXV) interpretatio prodit, qua verum genium non eum esse, qui vulgo existimetur, sed suum cuiusque animum demonstratur?

Brevitatis autem causa Diogenes non de omnibus deinceps geniis verba facit, sed eos eligit, a quibus omnes homines et singuli et totae nationes et urbes vexentur. Sunt autem maxime tres: *ὁ ἡδυπαθής, ὁ φιλοχρήματος, ὁ φιλότιμος.* Contra quos Diogenes semper acerrime pugnabat. Sed ratio, qua Dio tres illos inducit, digna est, quae notetur. E germana enim Cynicorum consuetudine personas eorum fingit eosque mores et habitum iis attribuit, quibus eius vitii, cuius quaeque imago est, vis apte contineatur.

Huius consuetudinis sive *προσωποποιΐας* primordia iam apud Antisthenem inveniuntur, qui Fortunam haec verba Homerica (Il. *Θ* 299) vociferantem finxit:

‘*τοῦτον δ’ οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα*’

(schol. David. ad Aristot. categ. p. 23 b 11; idem dictum Diogeni tribuitur a Stob. in ecl. II 8, 21); idem apud Diog. Laert. VI 9, quem iam Hoogvliet, *de Bione Borysthenita* (Lugd. Bat. 1821) p. 21 laudat, iuvenem quendam, qui imaginem suam e facie ipsa exprimebat, statuario alicui ex aere fundendam, ita adloquitur: ‘*εἰπέ μοι*’, *φησίν*, ‘*εἰ φωνὴν λάβοι ὁ χαλκός, ἐπὶ τίνι ἂν οἴει σεμνυνθῆναι;*’ Postquam ille pulchritudine aes gloriaturum esse respondit, Antisthenes ‘nonne igitur’ inquit ‘erubescis, quod iisdem rebus gloriaris, quibus res inanima?’

Diogenes porro se Pravitatis vocem audisse dixit, qua illa se ipsam Homeri hoc versu detorto increpuisset:

οὔτις ἐμοὶ τῶνδ’ ἄλλος ἐπαίτιος, ἀλλ’ ἐγὼ αὐτή (Il. *A* 335).’

Idem quod in ‘Oedipode’ tragoedia Sphingem ‘*Ἁμαθίαν* esse explicavit, hoc quoque quodammodo ad personarum fictiones

Digitized by Google

pertinet. Crates in *Εὐτέλειαν* hymnum fecit eamque tanquam *Σωφροσύνης* filiam praedicavit (cf. Iulian. in or. VI 199 A).

Bion apud Diog. Laert. IV 52 *ϑεατρικὸς* ea de causa audit, ut scite Wachsmuth in Sillogr.[2] p. 75 sq. suspicatur, quod in scriptis egregias prosopopoeias adhibebat. Sed mitto nunc copiosius exponere Bionem eas potissimum verborum translationes adamasse, quibus inanimis rebus sensus, actiones, adfectus attribueret.[1]) Nam hae non merae prosopopoeiae sunt, etsi non longe ab eo genere absunt. Tantum de celeberrima illa prosopopoeia verba faciam, quam Teles, philosophus cynicus, apud Stobaeum in flor. V 67 (tom. I p. 123, 18—124, 9 ed. Mein.) servavit. *Διὸ καὶ εἰ λάβοι, φησὶν ὁ Βίων, φωνὴν τὰ πράγματα, ὃν τρόπον ἡμεῖς, καὶ δύναιτο δικαιολογεῖσθαι, οὐκ ἂν εἴποι, φησί, πρῶτον ἡ Πενία· ‘ἄνθρωπε, τί μοι μάχῃ;’ κτλ.* Quid igitur? cum *πρῶτον ἡ Πενία* verba fecisset, quis post Paupertatem orator rostra escendit?

Sed haec omnino non quaerenda sunt, si Wilamowitzium sequaris, qui in quaest. philol. tom. IV, ubi de hac prosopopoeia egit, p. 297 adnot. verba ‘*πρῶτον ἡ Πενία*’ tanquam ex verbis vers. 25 his: *καὶ ἡ Πενία εἴποι πρὸς τὸν ἐγκαλοῦντα* interpolata eamque ob causam delenda esse censet. His vero deletis quae restant verba, neque pedem neque caput habent. An credibile est totam Rerum (*τῶν Πραγμάτων*) multitudinem, quas Bion personas esse voluit, haec vociferari: *ἄνθρωπε, τί μοι μάχῃ; μή τι σοὶ κέκλοφα; οὐ πᾶν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ σοῦ ποιῶ;* nisi quis forte sibi fingere vult Res singulas quasi choro concinente verbis illis hominem adloqui. Ita ea accipi si Bion voluisset, disertis verbis significasset. Sed omnia sana esse apparebit, dummodo locus recte explicetur. Nam Bion, cum Res humana specie induerit, primum Paupertatem inducit eamque angore concitatam causam suam eodem modo agere fingit, quo servus aliquis, qui, ut domini

1) Vide frg. 7. 8. 10 (Mull.) de Fortuna, fr. 13 de Natura. Eodem modo Diogenes auro animam quandam dat, cum id propterea pallidum esse contendit, quod multis insidiis obnoxium sit (Diog. Laert. VI 51, cf. Anton. I 34 p. 42. 34. 35 = Maxim. p. 570, 15—17 Comb.).

Digitized by Google

crudelitatem effugiat, in deorum altaribus consedit et, quid tandem peccaverit, ex domino, qui eum secutus est, anxie quaerit. Iam cum homo denuo gravissima crimina in Paupertatem ingerat, haec sine causa illum irasci iis verbis ostendit, quae verss. 25 sqq. continentur: *καὶ ἡ Πενία εἶπεν πρὸς τὸν ἐγκαλοῦντα κτλ.*, ipsa hominis crimina a Theodoro, Teletis epitomatore vel iam a Telete ipso suppressa sunt et verbis *πρὸς τὸν ἐγκαλοῦντα* breviter significantur. Quibus de causis verba suspecta interpolata aut superflua esse nego iisque indicari puto Bionem post Paupertatem etiam alias res causam suam agentes introduxisse, quarum orationes perierunt, idemque apparet ex Bionis fragmento p. 124, 21 sqq. hoc: *οὕτω καὶ τῶν πραγμάτων, φησί, παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἡ ὀδύνη γίνεται, καὶ ἐὰν μὲν οὕτως ὑπολάβῃς περὶ αὐτῶν ὥσπερ Σωκράτης, οὐκ ὀδυνήσῃ, ἐὰν δὲ ὡς ἑτέρως, ἀνιάσῃ, οὐχ ὑπὸ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ἰδίων τρόπων καὶ τῆς ψευδοῦς δόξης.* [1])

Quasnam res Bion induxerit, ex Telete ipso suspicari licet. Nam postquam is, quem Teles secum colloquentem fingit, se nil contra Paupertatis orationem dicere posse concessit, Teles ipse ita pergit: *ἀλλ' ἡμεῖς πάντα μᾶλλον αἰτιώμεθα ἢ τὴν ἑαυτῶν δυστροπίαν καὶ κακοδαιμονίαν, τὸ γῆρας, τὴν πενίαν, τὸν ἀπαντήσαντα, τὴν ἡμέραν, τὴν ὥραν, τὸν τόπον* (p. 124, 11 sqq.), et quam p. 125 praeter senectutem et paupertatem iterum commemoratas adicit, *τὴν ξενίαν*

---

1) Teles tota sua disputatione inde a p. 124 usque ad p. 126, 14 nihil aliud spectat, nisi ut, quam vere ista a Bione dicta sint, ostendat, id quod iam Wilamowitz vidit; nam p. 126, 12—14 ita orationis conclusionem facit: *οὕτω καὶ τὰ πράγματα, ἐὰν μέν τις αὐτοῖς οὕτω χρῆται, εὐπετῆ καὶ ῥᾴδια φανεῖται, ἐὰν δὲ οὕτως, δυστυχῆ.* Quantum Teles Bioni debeat, effici non potest; id solum adfirmare licet, ea, quae p. 127, 32—128, 23 de Socrate narrantur, ex Bione sumpta esse. Nam p. 124, 22 Bionis verba haec leguntur: *ἐὰν μὲν οὕτως ὑπολάβῃς περὶ αὐτῶν* (scil. *πραγμάτων*), *ὥσπερ ὁ Σωκράτης, οὐκ ὀδυνήσῃ.* Quomodo Socrates rerum iniquitatem tulerit, ex Telete non cognoscimus. Sed verisimile est Bionem Socratis aequalitatem animi certo quodam exemplo inlustrasse, et eo, credo, quod Teles l. c. commemorat, ex quo elucet, quanta aequalitate Socrates Xanthippes ferocitatem tulerit. — Ut pauca de Teletis oratione addam, ad eun-

Digitized by Google

sive exsilium, idemque p. 124, 16—18 his verbis breviter comprehendit: *παράφοροι δὲ πολλοὶ οὐχ ἑαυτοῖς, ἀλλὰ τοῖς πράγμασι τὴν αἰτίαν ἐπάγουσιν.* In harum 'rerum' numerum Teles fortasse nonnullas earum redegit, quas Bion praeter paupertatem personarum specie indutas in disputationem intulit? Si reputaverimus, Paupertatem oratione sua se cynicam philosopham praebere, si Bionis et Cynicorum ceterorum philosophiae ratione habita suspicari velimus, quas 'res' Bionem induxisse praeter paupertatem verisimile sit, easdem fere, credo, nos nominaturos esse, quas Teles in 'rerum' numerum recepit: senectutem, exsilium, mortem, anni tempora. Senectutem malum non esse ipse Bion docuit (apud Diog. Laert. IV 51. 48 = fr. 19 Mull.), idem eum de morte statuisse ex Diog. IV 49 et ex Telete apud Stob. in floril. I p. 127, 4 compertum habemus. Neque ullum anni tempus molestias habere Diogenes apud Dionem in or. VI 201 exponit (v. quae supra p. 104 diximus). Exsilium Diogeni philosophandi initium erat (v. Diog. Laert. VI 21, cf. Cratet. apud Plut., de adul. et am. discrim. c. 42; Musonium apud Stob. in flor. XXXX 9). Eas igitur omnes res Bion loquentes facere potuit.

Quid? quod Stilpo apud Teletem *περὶ φυγῆς* in Stob. flor. II p. 65, 12 sqq. eodem modo de exsilio verba facit, quo Bion de paupertate? Ibi enim haec exstant: *πρὸς δὲ τὸν κατ' ἄλλο τι ἡγούμενον τὴν φυγὴν βλαβερὸν εἶναι, μὴ οὐδὲν λέγητε*

---

dem fontem I p. 124, 26—125, 18 et Stob. flor. CVIII 82 (IV p. 49 ed. Mein. *περὶ περιστάσεων*) redire videntur: cf. inprimis I p. 124, 28 cum IV p. 49, 20 sq. et p. 125, 1—3. 7 sq. cum p. 49, 5—7:

καὶ σὺ πρὸς τὰ παρόντα χρῶ· [cf. IV 49, 21 sq. *ἐκποιεῖ· χρῆσαι! οὐκ ἐκποιεῖ· παῦσαι!*] *γέρων γέγονας· μὴ ζήτει τὰ τοῦ νέου! ἀσθενὴς πάλιν· μὴ ζήτει τὰ τοῦ ἰσχυροῦ! —*	*ναναγὸς γέγονας· εὖ τὸν ναναγόν* (scil. *ἀγωνίζεσθαι*)!
ἄπορος πάλιν γέγονας· μὴ ζήτει τὴν τοῦ εὐπόρου δίαιταν!	*πένης ἐξ εὐπόρου· εὖ τὸν πένητα!*

elocutionis genus vividum et abruptum Cratetis Cynici dicendi generi simile est (cf. Cratet. fragm. a Telete in Stob. flor. III p. 234 sq. I 126, 21—24 servata). Num ipsae sententiae Crateti debeantur, incertum est.

Digitized by Google

πρὸς τὸ τοῦ Στίλπωνος, ὃ καὶ πρώην εἰπόντι λέγειν φησί· ‘καὶ τίνων ἡ φυγὴ ἢ ποίων ἀγαθῶν στερίσκει;’ et q. s., quem locum Wilamowitz l. c. p. 305 sq. ita optime correxit: *ὃ καὶ πρώην εἶπον· ‘τί λέγεις’ φησί ‘καὶ τίνων..*, qua coniectura duorum colloquium restituit, quorum alter exsilium defendit et alterum, qui contra disputaverat, ad suam sententiam perducit. Inter hoc fragmentum Stilponis et Paupertatis orationem mirum quanta similitudo intercedit; eadem concitata quaestionum accumulatio, eadem sententiarum compositio, quin etiam verba inter se consentiunt: *καὶ τίνων ἡ φυγὴ ἢ ποίων ἀγαθῶν στερίσκει;* Stilpo quaerit, et Paupertas haec: *τί μοι μάχῃ, μὴ καλοῦ τινος δι’ ἐμὲ στερίσκῃ;* Tum Stilpo oratione tripertita ostendit homines exsilio neque animi neque corporis neque earum rerum, quae extra nos sint, bonis privari: idem fere sententiarum ordo his Paupertatis verbis inest: *μὴ καλοῦ τινος δι’ ἐμὲ στερίσκῃ; μὴ σωφροσύνης; μὴ δικαιοσύνης; ἀνδρείας;*[1]) *ἀλλὰ μὴ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεὴς εἶ;* Accedit, quod haec utriusque argumentatio in eodem Cynicorum praecepto quasi fundamento posita est, quo Cynici nil malum esse docebant nisi ea, quae aut animi aut corporis naturae contraria essent, neque quidquam bonum nisi ea, quae humanae naturae utilia essent. Sequitur, ut Bion Stilponem in Paupertatis oratione componenda imitatus vel eo usus sit, nisi quod illius severae philosophiae novam et floridam vestem induit et prosopopoeiam illam invenit, quamquam ne his quidem in artificiis ipsius solo ingenio adiutus est, sed Cynicorum morem iam diu usitatum recepit.

Exstat in Stobaei flor. LXXXXI 33 et LXXXXIII 31 (p. 186—189) etiam aliud prosopopoeiae exemplum ex anonymi cuiusdam auctoris libello excerptum, qui *‘σύγκρισις πλούτου καὶ ἀρετῆς’* inscriptus erat. Priore loco Adfluentiae (= Pluti) oratio continetur, cui respondet pro Paupertate Virtus altero. Ita enim rem se habere Welcker in opusc. II

1) Eaedem virtutes exempli causa a Stilpone in Stob. flor. II p. 65, 18 nominantur.

Digitized by Google

p. 495 adn. 250 recte exponit [1]), qui Jacobsii quoque sententiam de his duobus Stobaei excerptis adfert: "Teletis haec esse ex aliis locis huius scriptoris apparet, in quibus Pluti et Virtutis res agitur." Quem secutus Meineke in Stobaei editione Teletis lemma illi syncrisi adscripsit. Sed nuper Wilamowitz in quaest. philol. IV p. 293—295 contra dixit.

Scaena illius allegoriae haec est. Inferuntur sub dearum personis Adfluentia et Virtus, quarum illam magna dearum caterva comitatur, Fortuna, Voluptas, Spes, Vota, Cupiditates, Amor, Sanitas, Parsimonia, et quae huic adversaria est, sed item Adfluentiae amica, Luxuries; quae Virtutem sequantur, non traditur. Binae autem deae ita inter se comparantur, ut suam unaquaeque orationem apud iudices aliquos habeat, qui, utra hominibus utilissima sit, iudicent. Nam causa quasi de capite agitur (p. 178, 17). Quare Adfluentia non sola adest, sed magnam illam turbam pro testibus et patronis secum duxit (p. 178, 11 sqq.).

Quam allegoriam Crantoris allegoriae, quam Sextus Empiricus adv. math. XI 51 sqq. servavit, simillimam esse primo obtutu nemo est, quin videat. Quodsi Wilamowitz l. c. p. 293 eam quoque secundum Crantoris exemplum factam esse contendit, hoc neque ipse demonstravit, neque ullis omnino argumentis demonstrari potest. Deinde quod haec allegoria multo inficetior Crantoris allegoria est, quomodo sequi potest, ut — id quod Wilamowitz vult — saeculo tertio, quo Crantor vixit, quattuor vel quinque saeculis inferior sit? Deinde quibus verbis Fortuna Adfluentiae subditicia esse fingatur, non video. Nam verbis *ἐβοήθει δὲ αὐτῷ κρατερῶς ἡ τύχη, κρίνεσθαι μετ᾽ αὐτοῦ δοκοῦσα· τὸ γὰρ μέγιστον αὐτῆς ἀπώλλυτο, εἰ πλοῦτος οὐκ ἀγαθόν ἐστιν,* etiam contraria sententia admittitur: scilicet si Adfluentiam malum esse coarguatur, etiam Fortunam, quippe quae hominibus divitias praestet, bonam esse desinere.

Sed quod ad ipsam personarum fictionem pertinet, exemplis,

1) Velut Virtus III 188, 11—13 ea refutat, quae Adfluentia p. 177, 28. 29 de se praedicat.

Digitized by Google

quae attuli, posse anonymi allegoriam ad Cynicum quendam scriptorem referri demonstratur. Quid? quod etiam singulae sententiae non solum cynicam sapientiam aperte produnt, sed etiam cum Teletis locis non paucis magnam partem iam a Iacobsio collatis consentiunt?

Age cursim Virtutis orationem perlustremus! III p. 186, 28—187, 3 anonymus exponit divitiis homines a virtute abstrahi et iis rebus tradi, quae fortunae subditae sint: idem Antisthenes apud Stob. in flor. X 42 (= p. 58 fr. X Winck.) his verbis: *φιλάργυρος οὐδεὶς ἀγαθὸς οὔτε βασιλεὺς οὔτε ἐλεύθερος* (cf. p. 55 fr. XXIII). Tum III 187, 7 haec leguntur: *χρώμενος μὲν ἄσωτός ἐστι, μὴ χρώμενος δὲ ἄθλιος* (scilicet Plutus): cf. Teletem apud Stob. III 212, 1 sqq. Deinde p. 187, 8 haec: *δυστυχεῖ μέν τις δι' αὐτὸν ταῖς εἰς τὸ πορίζειν ταλαιπωρίαις*: cf. Luciani Cyn. 8 et Teletem l. c. III 212, 22. Porro divites Adfluentiae insatiabili cupiditate sunt et propterea cum hydropicis comparantur p. 187, 10 sqq., cf. Teletem ibid. III 212, 25 sqq., 215, 23 sqq., apud quem etiam illa Bionea comparatio invenitur (III p. 214, 11). Praeterea *κακὸς μέν ἐστι τῷ φιλοπόνῳ Πλοῦτος κτλ.*, cf. Telet. l. c. III 200, 26—201, 12. Adulationem gignit (vers. 19, cf. Cratet. in Stob. flor. XV 10 = fr. 46 Mull.) et invidiam (vers. 22, cf. Crat. in Diog. VI 93, epist. 7) neque ab insidiis, quae inde oriuntur, tuetur (cf. Diogenem apud Diog. Laert. VI 51), mollitie et luxuria hominum corpora perdit (vers. 27, cf. Telet. l. c. I 125, 11); divites, ut somnum capere possint, varia artificia adhibere cogit (p. 188, 4, cf. Iuliani or. VII 203 A, Lucianum in Cyn. 9. 15) neque eos naturam sequi sinit (p. 188, 11, cf. Diogenem apud Diog. Laert. VI 44), quin etiam efficit, ut eam corrigant (vers. 13 sq., cf. Telet. ibid. I 124, 11—14). Sed si omnia commemorare vellem, quae cynicam philosophiam produnt, tota transcribenda esset oratio. Iam dubium esse non potest, quin haec Adfluentiae et Virtutis comparatio a Cynico quodam composita sit; magis incertum est, num ab ipso Telete. Nam is, qui anonymi alicuius opusculum certo cuidam scriptori vindicare studeat, plerumque verum auctorem non ea fide indicare potest,

Digitized by Google

ut omnis dubitatio tollatur; hoc Boeckhii dictum eo magis de Cynicorum scriptis valet, quod eorum philosophiae praecepta, quae ad mores pertinebant, in certos quosdam locos communes divisa erant, quibus in tractandis singuli non multum inter se differebant. In eorum numero etiam divitiarum vituperatio et paupertatis laudatio sunt. Quare etsi eaedem sententiae apud anonymum leguntur et apud Teletem, praeterea eadem quoque apud utrumque comparatio a Bione proposita exstat, tamen nil aliud inde concludi licet nisi has orationes a Teletis ingenio et philosophia non alienas esse, ipsi tribuere nimiae audaciae est.

Nunc quo consilio Cynici personarum fictiones adhibuerint, videamus. Accedunt enim aliae duae similitudines inter anonymum et Teletem. Hic ea oratione, quae de exsilio apud Stobaeum in flor. XL 8 traditur, ei, quem secum disputantem fingit [1]), adversarii partes attribuit: item anonymus Adfluentiam contra Virtutem dicentem facit, et ut Teles alterius argumenta refutat idque eo facilius, quod ipse ei suppeditavit, eodem modo Adfluentiam in malis habendam esse a Virtute convincitur. Quae causa cum quasi ante ipsos oculos eorum, qui audiunt vel legunt, agatur, efficitur, ut hi multo vehementius animis permoveantur, multo alacriores et promptiores fiant ad litem diiudicandam, multo facilius eo perducantur, ut Adfluentia contempta Virtutem laudent eique se addicant, quam si ipse auctor pro virtute verba fecisset.

Deinde ea quoque in re anonymus et Teles inter se consentiunt, quod uterque non delectare sed docere vult. Contra Wilamowitz l. c. p. 294 sq. prosopopoeiam illam ad animos delectandos factam esse contendit. Sed primum dicendum est Cynicos omni eloquentiae generi ad ostentationem composito inimicissimos fuisse. Nemo Cynicorum exsilium laudabat, quin idem ipse exsul esset, nemo paupertatem, quin ipse pauper esset, nemo labores, vitae simplicitatem, libertatem, alias virtutes praedicabat, vitia, quae iis contraria sunt, vitu-

1) V. Wilamowitz. l. c. p. 312.

Digitized by Google

perabat, quin verba suo ipse exemplo rata faceret aut idem cogitaret ac diceret. Semper arte oratoria non eo consilio utebantur, ut multitudini placerent, sed ut eam omni modo ad virtutem sequendam excitarent (v. infra).

Quaeritur, num idem de Cynicorum prosopopoeiae usu valeat. Atque Cleanthes Assius, ut ipse secundum Zenonis dictum durioribus tabulis similis erat, quae vix quidem nec sine difficultate litteris inscribi possunt, sed ea, quae inscripta fuerunt, eo diutius servant, etiam ad aliorum hominum animos permovendos fortiore aliqua orationis figura opus esse ratus tabulam aliquam verbis depingere solebat, qua Voluptatem pictam cogitabat, pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem, Virtutibus ut ancillulis circumdatam, quae nil aliud agebant, nullum aliud suum officium ducebant, nisi ut Voluptati ministrarent. Haec Cicero scribit de finib. II 21, 69 (= Wachsmuth. comment. II de Zenone Citiensi et Cleanthe Assio fr. 12 p. 5 sq.), Augustinus autem in civ. dei V 20 (v. Wachsmuth. l. c.), qui eandem tabulam Cleanthis nomine omisso depingit, quae cuique Virtuti ministeria obtigerint, enarrat. Aderant autem Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia; tota fabula ad pudorem Epicureis ingerendum scripta erat, quod consilium Cleanthem optime effecisse his verbis dicit: "ita virtutes cum tota suae gloria dignitatis tamquam imperiosae cuidam et inhonestae mulierculae servient Voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius, quod minus ferre bonorum possit aspectus, et verum dicunt." En habes, quae dixi. Cleanthes non delectationis causa auditores, qui tum spectatores facti sunt, ad picturam illam inspiciendam invitat, sed ut tot bonorum et malorum adspectu vitiorum taedio inpleantur et vehementissimis stimulis ad virtutem sequendam excitentur. Hoc Cleanthis erat consilium: quid? Cynicos, Stoicorum magistros, personarum fictionibus aliud quid efficere voluisse credamus? aut anonymum illum, cum prosopopoeiam suam fingeret, aliud quid in animo habuisse nisi docere?

Unum inter anonymi et Cleanthis allegoriam interest.

Digitized by Google

Cleanthes tabulam aliquam pinxit, qua in explicanda eius oratio versabatur, nimirum Cebetis *πίναξ* imitatus, anonymus personas suas quasi in scaenam deductas ut actores orationes habere iubet, eadem ratione, qua Crantor, Bion, saepius Lucianus (cf. Wilamowitz. l. c. p. 294).

Huius generis prosopopoeia etiam sub Cleanthis nomine a Galeno, de Hipp. et Plat. phil. V 6 (= Wachsmuth. p. 7 fr. 25) traditur, qua *Λογισμὸς* et *Θυμὸς* ut amicus cum amico versibus iambicis colloquentes finguntur; sed ne haec quidem delectationis causa inventa sunt. Errat enim Meineke, quod in com. graec. hist. crit. praef. p. X communem Stoicorum morem fuisse dicit, ut decreta sua, maxime ea, quae ad morum doctrinam spectarent, iambicis versibus iisque fere ad comicorum numerorum similitudinem effictis includerent, eosque versus ornatus causa reliquae orationi admiscerent et prae ceteris Cleanthem 'eiusmodi flosculis' orationem distinxisse adicit. Certe Cleanthes item de artis poeticae usu cogitabat, ut Cynici [1]): scilicet pro philosophiae ancilla eam habebat. Nam apud Philodemum de musica col. XXVIII 1 (fr. 23 Wachsm.) exponit eam philosophiam, quae ad deos et hominum mores pertineat, carminibus, quae numeris et cantu et metrorum vinculis contineantur, melius doceri posse, quam simplici et soluta oratione, quippe quae iis verbis, quae rerum divinarum magnificentiae consentanea sint, eaque dignitate careat, qua homines ad verum illarum adspectum perducantur. Et Seneca in epist. CVIII 10 (= fr. 24) eum propterea artem poeticam adamasse tradit, quod, quemadmodum spiritus noster clariorem sonum redderet, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore novissime exitu effunderet, sic sensus nostros clariores carminis arta necessitas efficeret. Itaque et ipsi philosopho et iis, quos philosophiae praeceptis imbuere vellet, artem poeticam summo usui esse ratus Cleanthes

1) V. p. 79 et 91. Haec erat etiam Antisthenis opinio, Fons enim et origo eius Homericae interpretationis, quam Antisthenes ad philosophiam, quae est de moribus, adhibere solebat, in eo constat, ut clarissimus ille poeta docere et erudire voluisse putetur.

Digitized by Google

et alia multa, quae scripsit, velut hymnum in Iovem et illud 'Meditationis' et 'Adfectionis' colloquium versibus temperavit. Quare idem prosopopoeiae istius consilium fuisse verisimile est.

Iam si personas ita fictas tibi cogites, ut mutae silentio hic vel illic vocibus quibusdam interrupto quasi pantomimum agentes in scaena versentur, eam rationem habes, qua Dio personas suas inducere solet. Apud eum Diogenes in quarta oratione p. 166 sqq. haec dicit: quemadmodum artifices boni non solum deas, sed etiam flumina, fontes, insulas, urbes, uno verbo omnes res tanquam personas fingunt et earum formas et habitus ita depingunt, ut suae cuiusque naturae apta esse iis videntur, age item nos quoque trium illorum geniorum, quibus omnes homines servire modo dixi, imagines verbis depingamus, ita tamen, ut non ad physiognomicorum rationem ex forma et habitu illorum mores significemus, sed contraria ratione instituta ex moribus et gestu de geniorum dignitate indicemus, *εἰ ἄρα μᾶλλον ἅψασθαι δυνησόμεθα τῶν πολλῶν καὶ φαυλοτέρων, πρὸς τὸ ἀποδεῖξαι τὴν τῶν βίων ἀτοπίαν· — ἄν πως ἰσχύσωμεν ἀποτρέψαι κακίας καὶ ἀπάτης καὶ πονηρῶν ἐπιθυμιῶν, εἰς ἀρετῆς δὲ φιλίαν προαγαγεῖν καὶ ἔρωτα ζωῆς ἀμείνονος* (p. 168). Haec de ratione et consilio prosopopoeiae praemittit; iam singulos genios virorum personis indutos procedere iubet et, ut pollicitus est, eorum mores depingit et *σχῆμα* et *εἶδος* — ita enim p. 178 distinguit —, suum cuique tribuit et dignitatem singulorum diiudicat. Sed eo ab artificum usu differt, quod genios illos tres non cognata aliarum personarum turba circumdedit, sed admodum paucas illis adscivit et vitae humanae ceteras omnes turpitudines et morbos inter paucas illas imagines distribuit (p. 174). Praeit sua cuique *Ἀπάτη* (p. 177. 183), laetitiae genius insuper a mulieribus impudicis rapitur, quae cupiditatum imagines sunt (p. 177).

Sed satis dictum sit de hac allegoria. Iam quid ad Diogenem ipsum redeat, quid Dio de suo adiecerit, discerni non potest. Quare id demonstrasse satis habeo, quod ad eius prosopopoeiae consilium et indolem pertineat, eam a Cyni-

Digitized by Google

corum solito istius figurae usu non abhorrere, ipsas autem personas ita electas esse, ut easdem Diogenem ipsum eligere potuisse facile concedatur.

Alia plane eiusdem generis allegoria in or. I p. 64 sqq. exstat.[1]) Iuppiter enim, Herculis pater, cum filium imperare velle vidisset, Mercurium ad eum, ut animi indolem exploraret sibique de ea re renuntiaret, misit. Mercurius autem, ut iussus erat, Herculem per ignotas vias ad montem duxit, cuius postquam summum tergum adscenderunt, ubi duo itinera in diversas partes facta erant, quorum alterum facile et expeditum ad eam regionem ferebat, quae *βασίλειος ἄκρα, ἱερὰ Διὸς βασιλέως* appellatur, alterum arduum et praeceps ad eum verticem, qui *τυραννική, Τυφῶνος ἐπώνυμος* (p. 65) appellatur, Mercurius Herculi prius *Βασιλείαν* ostendit, mulierem clementiae et humanitatis plenam, a Iustitia, Pace, Lege, Amicitia (p. 71), aliis ei similibus feminis circumsessam; deinde eum ad alterum verticem duxit, in quo Tyrannis sedebat, illi feminae specie sua plane contraria, a Crudelitate, Superbia, Licentia, Seditione, Adulatione circumdata. Sed qua causa Iuppiter permotus est, ut Mercurium mitteret? Scilicet cum Herculem ad imperandum natum esse vidisset, statim ab initio ad eam imperii virtutem compellere studuit, quae sola et ipsi regi et iis, qui sub tali imperio sunt, usui esset, id quod effecit. Nam Hercules, cum *Βασιλείαν* vidisset, valde gavisus est: *ταῦτα μὲν οὖν ἀκούων καὶ ὁρῶν ἐτέρπετο καὶ προσεῖχε τὸν νοῦν ὡς οὐδέποτε αὐτῶν ἐπιλησόμενος* (p. 68); sed Tyrannidis adspectu tanto illius odio adfectus est, ut regno a Iove accepto, ubi Graecorum aut barbarorum tyrannum inveniebat, eum puniret et interficeret, ubi autem regem verum, tueretur et honoribus adficeret (p. 71).

Vides, quantum talium allegoriarum ars et cultus ab Antisthenea personarum fictionum simplicitate distent; quod autem Antisthenes his verbis aeri vocem et linguam dat: *εἰπέ μοι, φησίν, εἰ φωνὴν λάβοι ὁ χαλκός, ἐπὶ τίνι ἂν οἴει σεμνυ-*

---

1) Cf. etiam or. LXXX p. 441.

Digitized by Google

ϑῆναι; aut Bion rebus hoc modo: διὸ καὶ εἰ λάβοι — φωνὴν τὰ πράγματα, ὃν τρόπον ἡμεῖς, cui non Socratis verba illa in memoriam veniunt, quae Plato eum in Critone p. 50 A facientem inducit? Ἀλλ᾽ ὧδε σκόπει· εἰ μέλλουσιν ἡμῖν ἐνθένδε εἴτε ἀποδιδράσκειν εἴθ᾽ ὅπως δεῖ ὀνομάσαι τοῦτο, ἐλθόντες οἱ νόμοι καὶ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως ἐπιστάντες ἔροιντο· εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, τί ἐν νῷ ἔχεις ποιεῖν; Quare non dubium est, quin Cynicorum prosopopoeiae a Socrate originem duxerint, etsi concedendum est tales personarum fictiones cum apud alios tum apud antiquae et mediae et novae comoediae poetas in usu fuisse.

Diximus de singulis Dionis orationibus, quae de Diogene sunt. Omnium autem harum orationum ratio quaedam singularis propria est et communis, largum dico comparationum usum.

Pauca exempla mihi eligere liceat. Velut Diogenes Antisthenem cum tuba comparat et rursus Antisthenes ita responsum dat, ut discipulum cum vespa conferat (or. VIII 275 sq.). Porro in or. VIII 281 eos, qui alacri animo negotium aliquod adgrediuntur et ea alacritate laborem levant, cum iis comparat, qui canes audacter obviam euntes timidiores reddunt, et pag. sq. cum pueris, qui per ludum saepe igneos carbones in os iniectos lingua celeriter compressos facile exstinguunt; a vesparum corporis tenuitate in or. VIII 279, a canibus Laconicis VIII 278 sq., in or. IV 148 a sole comparationes repetuntur, a belli speculatoribus VI 211.

Saepius comparationes secundum Homeri rationem eo consilio a Diogene usurpantur, ut eae res, quae comparantur, in conspectu quam maxime manifesto eorum qui audiunt, ponantur, velut Hercules Diomedem tyrannum luxurie effeminatum ut fragile dolium clava concidit (VIII 286) et Busirim athletam ingenti corporis amplitudine viribusque et luctandi arte gloriantem humi prostratum ut pravum saccum dirupit (ibidem). Porro Diogenes, cum hominum vanas opiniones et gloriolas infringit, similis eorum est, qui inflata et tumida

Digitized by Google

plagis iniectis componunt (IX 294). In or. IV 164 Dio haec de Diogene exponit: *καὶ γὰρ δὴ ἠσθάνετο αὐτὸν νῦν μὲν ἡδόμενον, νῦν δὲ λυπούμενον ἐν τῷ αὐτῷ καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἄκριτον οὖσαν, ὥσπερ τὸν ἀέρα ἐν ταῖς τροπαῖς, ὅταν ἐκ τοῦ αὐτοῦ νέφους ὗῃ τε καὶ λάμπῃ ὁ ἥλιος.* Quid acutius, quid manifestius dictum esse potest? Nonne haec quidem ratio comparationum plane Homerica est? Attamen res, unde Diogenes eas repetit, diverso nonnunquam genere sunt et eae, quamquam ad cotidianae vitae consuetudinem pertinent, tamen ex vilissimis, quales Homerus aspernatur. Cur maxime ad has Diogenes descendat, causa facile cognoscitur. Sicut enim iis, qui laudibus aliquid tollere volunt, ea cordi esse debent, quae Lucianus, pro imag. 18 sq., praecipit, ne cum iis rebus, quae laudandae sint, res deteriores aut pares comparentur, sed virtute praestantiores, item iis, qui in rebus vituperandis versantur, comparationes ex vilissima quaque re repetendae sunt, quod, quo viliores sunt, eo magis res, quae comparantur, ad illarum sordes detrahuntur. Quare mirum non est, quod haec comparandi ratio Diogeni, quippe qui semper castigaret, raro laudaret, maxime placebat.

Alterum comparationum genus item arte cum Cynicorum philosophia coniunctum id est, quo hominum stultitia ita evincitur, ut comparationibus a stultissimo quoque animalium genere petitis illos bestiis quidem non meliores esse ostendatur; velut in or. VIII 280 homines a Diogene notantur, quod ut capreae frondem, item coronam tanti aestiment; propter morum mollitiem et luxuriam homines multo infeliciorem vitam degere quam bestias (VI 204), multo stultiores esse quam pecora (VI 202), et deteriores animos quam porcos habere (VIII 280). Cf. or. IV 161, IX 293, adde or. VI 203, ubi Diogenes *τοὺς πλουσίους ὁμοίους εἶναι* dicit *τοῖς νεογνοῖς βρέφεσι· δεῖσθαι γὰρ ἀεί ποτε σπαργάνων.* Sophistae spadonibus adsimulantur sunt (IV 153 sq.), cupiditates cum bestiis comparantur (IX 291, VIII 283 et saepius).

Quorum exemplorum numerum augere facile possum, sed ad rem aptius esse censeo, nonnulla ex reliquis Cynicorum frag-

Digitized by Google

mentis conquirere. Primum Antisthenes apud Stob. in flor. XXXXV 28 (et in apophthegm. Vindob. n. 98 Wachsm.) interrogatus, quomodo aliquis ad rem publicam administrandam optime accederet, ‘sicut’ inquit ‘ad ignem, neque nimis propinque, ne aduraris, neque tam longe, ut frigeas’ (idem apophthegma Diogeni tribuit Anton. II 1 p. 78, 44 Gesn. = Maxim. 9 p. 197, 29 Rib.). Aliam quandam eiusdem comparationem Aristoteles in arte rhet. III 4 dignam esse putabat, quam laudaret (*καὶ ὡς Ἀντισθένης Κηφισόδοτον τὸν λεπτὸν λιβανωτῷ εἴκασεν, ὅτι ἀπολλύμενος εὐφραίνει*). Inprimis autem Diogenis fragmenta comparationibus ornata sunt, velut pulchros eosdemque indoctos alabastris aceto inpletis similes nominavit (apud Maxim. 44 p. 198, 43 Gesn.); formosa scorta cum letali mulso (Diog. Laert. VI 61), puerorum educationem cum operibus figlinis (Stob. ecl. II 31, 87 [II p. 216 Wachsm.]), eruditionem cum aurea corona comparat; *καὶ γὰρ τιμὴν ἔχει καὶ πολυτέλειαν* (id. 92). Veritas stultis amara est et molesta, mendacium dulce et gratum, sicut ii quoque, qui ex oculis laborant, lucis claritudine doloribus adficiuntur, tenebras facile tolerant (Anton. I 21 p. 26, 39 Gesn. = flor. Laur. II 31 p. 243, 23 Mein.). *Διογένης ἔλεγεν τῶν οἴκων, ἔνθα πλείστη τροφή, πολλοὺς μῦς εἶναι καὶ γαλᾶς· καὶ δὴ σώματα τὰ πολλὴν τροφὴν δεχόμενα καὶ νόσους ἴσας ἐφέλκεσθαι* (Stob. flor. VI 4). Ne plura Diogenis dicta congeram, secundum Cratetem nemo sine vitiis est, sicut in malo Punico granum semper aliquod est putridum (Diog. VI 89); idem eos desertos dicebat, qui cum adsentatoribus essent, sicut vituli, cum inter lupos versarentur (Diog. VI 92). Cf. etiam Stob. flor. XCVII 31 p. 214, 3 M. et IV 52.

Monimus porro omnia fumum esse existimabat (cf. Sext. Emp. adv. log. II 5), vel scaenarum picturis similia et imaginibus, quibus dormientes aut vesani deciperentur (ibid. I 88). Demonactis hoc apophthegma fertur: *τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι, τὰς δὲ ψυχὰς μαθήμασι κοσμεῖν δεῖ* (Stob. ecl. II 31, 53 [II p. 210, 15—17 Wachsm.]).

Sed haec hactenus. Nunc pauca eorum exempla adferam, quae ad alterum comparationum id genus pertinent, quo ho-

Digitized by Google

mines obtrectationis causa cum animalibus conferuntur. Atque Antisthenes quidem Athenienses gloriantes, quod indigenae essent, *ἐκφαυλίζων*, ut ait Diog. VI 1, cochleis et locustis nullo modo nobiliores esse dixit. E Diogenis sententia dives et indoctus homo ovis aureo vellere tectus est (Diog. Laert. VI 47), secundum Demonactem piscibus similis est (apud Maxim. 17 p. 182, 33 Gesn. = fr. 10 Mull.). Rursus Diogenes, cum quondam interrogatus esset, quaenam perniciosissime morderent animalia, 'e feris' inquit 'calumniatores, e mansuetis adulatores' (Diog. Laert. VI 51, cf. Anton. I 35 p. 44, 22. 23 Gesn. = Maxim. p. 602, 19—21 Comb. = fr. 30). Idem, cum mulierem in lectica portari vidisset, beluae non aptam esse caveam dixit (Diog. l. c.). Lucianus autem huiusmodi scatet comparationibus: velut in ea oratione, quam Lucianus ipse apud Philosophiam contra improbos clarissimorum philosophorum sectatores in Piscatore habet, his conviciis eos cumulat: *οἱ δὲ καὶ — τοὺς πλουσίους τεθήπασι καὶ πρὸς τὸ ἀργύριον κεχήνασιν, ὀργιλώτεροι μὲν τῶν κυνιδίων ὄντες, δειλότεροι δὲ τῶν λαγωῶν, κολακευτικώτεροι δὲ τῶν πιθήκων, ἀσελγέστεροι δὲ τῶν ὄνων, ἁρπακτικώτεροι δὲ τῶν γαλῶν, φιλονεικότεροι δὲ τῶν ἀλεκτρυόνων* (§ 34).

Sed audias quaeso, quae Xenophon in conv. VI 8 narraverit, quem locum satis memorabilem Winckelmann ad Antisth. fr. XV p. 53 adnotavit. Cum enim Syracusanus quidam Socratem irridere et laedere coeperit, Antisthenes Philippum stimulare conatur, quoniam *δεινὸς* sit *εἰκάζειν*, ut illum propter superbiam comparatione aliqua puniat. Philippus autem, cum a Socrate, quominus hoc faciat, prohibeatur, ne ipse convicianti similis sit, respondet haec: *ἀλλ'* — inquit — *εἴπερ γε τοῖς πᾶσι καλοῖς καὶ τοῖς βελτίστοις εἰκάζω αὐτόν, ἐπαινοῦντι μᾶλλον ἢ λοιδορουμένῳ δικαίως ἂν εἰκάζοι μέ τις*. Sed iterum Socrate intercedente ab incepto desistit (v. Hug. in praef. ad Plat. conv. p. XIII sq.). Quid? Antisthenes nonne ipse Philippum ad eum comparationum usum compellit, quem illum eiusque sectatores tanquam cynicae philosophiae maxime aptum adamasse ex fragmentis illorum demonstravimus?

Digitized by Google

Comparatio a translatione eo tantum differt, quod enuntiatum comparativum comparandi particula inducitur, quae deest translationi (cf. Aristot. rhet. III 4). Quid igitur mirum, quod non minor translationum quam comparationum numerus in Cynicorum dictis invenitur? Velut Diogenes nobilitatem et gloriam et huiusmodi cetera irridens *προκοσμήματα κακίας* dicebat (Diog. Laert. VI 72), idem citharoedum, qui semper ab auditoribus derelinquebatur, gallum appellabat et, cur id faceret, interrogatus 'quoniam' inquit 'tu omnes auditores e somno excitas' (Diog. VI 48). Praeterea *τὸν πρὸς χάριν λόγον ἔφη μελιτίνην ἀγκόνην εἶναι, τὴν γαστέρα Χάρυβδιν ἔλεγε τοῦ βίου* (ibid. 51). *Ἰδὼν εὐπρεπῆ νεανίσκον ἀπρεπῶς λαλοῦντα 'οὐκ αἰσχύνῃ' ἔφη 'ἐξ ἐλεφαντίνου κολεοῦ μολυβδίνην ἕλκων μάχαιραν;'* (ibid. 65) V. etiam Diog. apud Nauck., trag. graec. fr. p. 628, 1 (*διεσκατωμένης τρυφῆς*) et Stob. flor. VI 3 (= fr. 17) et Anton. II 34 p. 107, 7. 8 Gesn. = Maxim. p. 632, 4. 5 Comb. (= fr. 56), Cratetem apud Diog. VI 89 et alia multa et passim dispersa exempla, quae maxime propterea laudanda esse videntur, quod acute et ingeniose inventa comparationibus res tam manifestas reddunt et sententiarum vim ita augent, ut hebetissimus quisque facile intellegere et fida memoria tenere potuerit. Sed Cynici, dum et comparationes et translationes undique repetunt, eo consilio ducti, ut rebus comparationes quam maxime aptae sint, saepius etiam deformiores admittunt, quas taedium movere necesse est, velut Monimus hanc translationem ausus est: *τὸν πλοῦτον εἶπε τύχης ἔμετον εἶναι* (Stob. flor. XCIII 36 = fr. 1 Mull.). Quam foede dictum! sed haec erat Cynicorum ratio: urbanitatem et elegantiam non tam curabant quam veritatem et quomodo multa acute quidem et vere, sed inhoneste et turpiter [1]) dixerunt, quorum tamen stimuli et amaritudines metuebantur, item comparationibus non orationis ornandae causa, ut oratorum mos esse solet [2]),

1) Cf. Plut. de puer. educ. 7: *τό γε παράγγελμα τοῦ Διογένους ἔμαθον ἄν, ὃς φορτικῶς μὲν τοῖς ῥήμασιν, ἀληθῶς δὲ τοῖς πράγμασιν παραινεῖ.*

2) Cf. Aristot. rhet. III 4 p. 1406 b 24 et Quintil. institut. V 11, 6; VIII 3, 74 coll. cum V 11, 23 sqq.

Digitized by Google

utebantur, sed ut iis philosophiae praecepta inlustrarent et hominibus quasi inculcarent, ut virtutes laudibus tollerent, vitia, opiniones, omnes generis humani vanitates in contemptionem adducerent.

Duo autem maxime translationum genera propterea memoranda sunt, quod apud Dionem quoque inveniuntur. Alterum genus id est, quod a rebus, quae ad artem militarem pertinent, repetitur eoque saepius usurpatur, quod vitae cynicae indoli et rationi maxime accommodatum erat. Nam cynicus philosophus contra labores et, qui multo periculosiores hostes sunt, voluptates continua bella gerit (Diog. apud Dionem in or. VIII 279 sq. 282 cf. 284), acres pugnas cum opinionibus committit [1]) et cum rebus adversis, quae hominem quasi hostes circumstare videntur, velut Crates apud Teletem in Stob. flor. I p. 126, 23 sq. Mein., quomodo paupertas vincatur, docet et haec adfirmat: *κἂν τάδε δράσῃς, ῥᾳδίως στήσεις τρόπαιον κατὰ πενίας*. Sed arma, quibus omnes illi hostes prosterni possent, iam Antisthenes paraverat, qui haec commendavit: *συμμάχους ποιεῖσθαι τοὺς εὐψύχους ἅμα καὶ δικαίους. Ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή* (Diog. VI 12). *Τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν· — τείχη κατασκευαστέον ἐν τοῖς ἀναλώτοις λογισμοῖς* (ibid. 13, cf. 6). [2])

Alterum genus est earum translationum, de quibus iam p. 138 sq. diximus: Cynici enim pauperem eum appellabant, qui virtute careret, servum eum, qui libidinibus obnoxius esset, regem eum solum, qui sapiens esset. Ipsi quidem se hoc usu verborum proprias significationes restituisse putabant; sed haec opinio eos fefellit. Certe cum Zeno, Stoicorum princeps, Cynicos secutus sapientes non solum liberos, sed etiam reges esse dixisset, adversarii quidam exstiterunt, qui Zenonem ita refutare conabantur, ut eum regis verbo non proprie, sed trans-

1) Diog. epist. XXXIV 1: *οὐ γάρ ἐστι ταῦτα αἰσχρά* — (scil. pallium gestare et panem ab hominibus exigere), *καλὰ δὲ καὶ οἷα ὅπλα εἶναι κατὰ δοξῶν τῶν πολεμονσῶν τῷ βίῳ.*

2) Cf. flor. Byz. *ἐκ τῶν Δημοκρίτου κτλ.* n. 211 p. 200 Wachsm.: *ὀχύρωσον σαυτὸν τῇ αὐταρκείᾳ· τοῦτο γὰρ ἀνσάλωτόν ἐστι χωρίον.*

Digitized by Googl

late usum esse demonstrarent.[1]) Quorum ab impetu Chrysippus non alienum esse Zenonem defendere ratus librum scripsit *περὶ τοῦ κυρίως κεχρῆσθαι Ζήνωνα τοῖς ὀνόμασιν*, in quo secundum Diog. Laert. VII 122 exposuit eum, qui imperare vellet, bonorum et malorum cognitione uti oportere; qua cum solus sapiens gloriari posset, eum merito a Zenone imperatorem et, cum regnum nil esset, nisi imperium nemini obnoxium, regem quoque nominari potuisse.[2])

Quae cum ita sint, etsi non omnes Dionis comparationes cynicas esse demonstrare possumus[3]), tamen totam comparandi rationem cynicam esse apparet. Sed nonnullas a Dione aut a certis quibusdam auctoribus receptas esse aut secundum certa quaedam Cynicorum exempla inventas nunc quoque cognoscere licet. Velut Dio in or. VIII 276 Diogenem putasse narrat virum sapientem, sicut medici eo auxilio venirent, ubi plurimi aegrotarent, item ibi versari oportere, ubi plurimi stulti essent; eodem modo Antisthenes vituperatus, quod cum malis hominibus societatem et necessitudinem haberet, ‘*καὶ οἱ ἰατροί*’ inquit ‘*μετὰ τῶν νοσούντων εἰσί, ἀλλ᾽ οὐ πυρέττουσιν*’ (Diog. VI 6). Diogenes porro apud Dionem in or. IV 153 sq. sophistas cum eunuchis comparat, in epist. XI cum iisdem eos philosophos, qui multitudini placere velint. Idem eos, qui recta dicerent, sed non facerent, citharae et lyrae similes esse aiebat, quod hae ipsae se non audirent, etsi magnum sonum ederent (Diog. Laert. VI 64, Stob. flor. XXIII 10 = fr. 45, cf.

---

1) Horum a partibus Cicero stat, qui Zenonem non tam rerum inventorem quam novorum verborum nominat (de finib. III 2, 5) et post eum Galenus: vide Baguet., de Chrysippo p. 349 sq.

2) Haec quomodo intellegenda sint, Baguet l. c. p. 350 optime ex Stobaei ecl. II 7 (II p. 102, 11 Wachsm.) explicat: *ἀστείοις δ᾽ ἔτι καὶ τὴν ἀρχικὴν κατανέμουσιν ἐπιστασίαν καὶ τὰ τοιαῦτης εἴδη —. Κατὰ τοῦτο δὴ καὶ μόνος ὁ σπουδαῖος ἄρχει, καὶ εἰ μὴ πάντως κατ᾽ ἐνέργειαν, κατὰ διάθεσιν δὲ καὶ πάντως.*

3) Nam de ipso Dione Philostr., vit. soph. I 7 p. 8, 20 K. ed. Teubn. haec exponit: *Σοφιστικώτατοι δὲ τοῦ Δίωνος αἱ τῶν λόγων εἰκόνες, ἐν αἷς εἰ καὶ πολύς, ἀλλὰ καὶ ἐναργὴς καὶ τοῖς ὑποκειμένοις ὅμοιος* (quem Photius bibl. c. 209 p. 165 b 16 exscripsit).

Digitized by Google

Bernays., *Luc. u. d. Kyn.* p. 91, 9), apud Dionem in or. VIII 275 Antisthenem eodem sensu tubam appellat. In or. IX 294 haec de Diogene praedicat: *τοῦτο δὲ οὐ μικρὸν παρεῖχε τοῖς ἀνθρώποις, ὁπότε ἴδοι τινὰ μάτην ἐπαιρόμενον καὶ διὰ πρᾶγμα οὐδενὸς ἄξιον ἔξω τοῦ φρονεῖν, συστείλας ἐπὶ βραχὺ καὶ ἀφελὼν μικρόν τι τῆς ἀνοίας, ὥσπερ οἱ τὰ πεφυσημένα καὶ οἰδοῦντα νύξαντες ἢ στίξαντες*: apud Diog. Laert. VI 24 Diogenes eos, qui laude et divitiis gloriantur, *ἐπὶ δόξῃ καὶ πλούτῳ πεφυσημένους* nominat (cf. Musonium in Stob. flor. II p. 339, 6 Mein.). Postremo quod Dio Busirim athletam gravi cum sacco confert (VIII 286), eandem rem Diogenes translata vi de iis, qui luxuriae dediti sunt, his 'Thyestae' versibus adhibuit (apud Nauck. trag. graec. frgm. p. 628, 1):

οἱ τῆς ἀνάνδρου καὶ διεσκατωμένης
τρυφῆς ὑφ' ἡδοναῖσι σαχθέντες κέαρ.

Idem interrogatus, quomodo Dionysius amicis uteretur, 'ut sacculis' inquit 'dum pleni sunt, suspendit, si vacui, abicit' (Diog. Laert. VI 50).

Cum autem Cynici comparationes tam valde adamarint, inde factum esse videtur, ut apud Cynicos ipsos et postea apud Stoicos id litterarum genus efflorescceret, quod Graeci *ὅμοια* vocant. Cynici enim, ut chriarum [1]) quoque, memorabilium, apophthegmatum, sententiarum, epistularum scriptoribus largas copias praebuerunt, item 'similitudines' tanto acumine et saepius tanta festivitate usurpabant, ut eae a posteris quae colligerentur dignae putarentur.

Primus enim Bion, ceteris in rebus genuinus Cynicus [2]),

1) V. Duemmler. in Antisthenicis p. 69 sqq.

2) Nulla causa esse videtur, cur Bioni philosophiae 'inconstantiam' exprobremus. Nam erat Cratetis Cynici discipulus et quamquam aliquamdiu tribus deinceps philosophorum sectis addictus erat, tamen postremo pallio et pera sumptis cynicae philosophiae sese dedit (cf. Rohde, *griech. Roman* p. 250 adn. et Hirzel., *Untersuch. zu Cic. phil. Schrift.* II 60, 2). Quare et fragmenta eius meram Cynicorum philosophiam exhibent, et totum eius scribendi genus cynicam indolem prae se fert. Nam eodem modo, quo Cynici, artium liberalium fastidiosus erat et scriptis suis maxime eam philosophiae partem, quae ad mores hominum spectat, trac-

Digitized by Google

chrias reliquit (Diog. Laert. IV 47), in quibus, ut Wachsmuth in Sillogr.[2] p. 76, 2 vidit, non pauca 'similia' inerant. Bion

---

tare solebat; dicendi autem genus prosopopoeiis et comparationibus et translationibus vario modo ornatum et floridum fuit et ad multitudinem adliciendam bene compositum (v. Rohde l. c.). Ac tantum quidem abest ut Diogeni Laertio, qui eius vitam scripsit, in omnibus rebus fidem habendam esse putem, ut Rohdio Diogenem auctore Bioni inimicissimo usum esse concedam et Wachsmuthi rationem comprobem, quam ille in Sillogr.[2] p. 74 sqq. secutus ei, qui Laerti vita pro testimonio uti vellet, semper id agendum esse ostendit, ut ea, quae apud Laertium male in Bionem dicta essent, aut in eius laudem verteret aut ad certum quendam modum rediget. Sed id ex Diogenis vita elucere videtur, Bionem non solum ingenio versatili fuisse et quasi 'voltus mutantem Protea', sed etiam a sophistica quadam ostentatione non alienum. Itaque non immerito sophista a Diogene IV 47, a Stob. in flor. X 38, Plut. amat. c. 24, Acrone ad Hor. epist. II 2, 60 appellatur. Quid? quod etiam sophistarum artem in utramque partem disputandi callebat? Seneca enim de benef. VII 7, 1. 2 testis est Bionem modo omnes homines sacrilegos esse argumentis colligere, modo sacrilegos omnino non cogitari posse (v. locum). Item duplicem ea in re sese praebet, quod, quamquam Homeri carmina libentissime adhibuit maxime ad comparationes inde repetendas et singulos versus in ridiculum sensum non Homeri, sed aliorum obtrectationis causa detorquendos, tamen, ut scholiasta Horatii ad epist. II 2, 60 dicit, 'in libro, quem edidit, mordacissimis salibus ea, quae apud poetas sunt, ita laceravit, ut ne Homero quidem parceret.' Cui testimonio Wachsmuth in Sillogr.[2] p. 77 fidem abrogare conatur. Sed cum eius scholii altera pars, qua in ceteros poetas ille invectus esse traditur, aliunde confirmetur et Theognidem a Bione Cynicorum et Stoicorum more vituperatum esse pro certo constet (cf. Welcker., Theogn. p. LXXXV sq.), cur alteri parti minorem fidem tribuamus, etsi exemplis confirmari non potest? Nam quod Agamemnonem propter stultitiam et muliebrem luctum (Il. K 15) vituperavit (Cic. Tusc. III 26, 62; cf. Hoogvliet., de Bione Borysth. p. 26), hoc num in ipsius Homeri sapientiae obtrectationem factum sit, pro certo adfirmare non possumus. Sed cur non credamus Bionem Homeromastigem fuisse, quoniam inter Cynicos etiam Diogenem Homerum castigasse supra ostendimus? An Diogenes minus Homerum quam Bion adamavit? Quam promptus autem Bion ad fabulas castigandas et carpendas fuerit, e Diogene Laertio IV 50 patet: *ἔλεγε δὲ τοὺς ἐν Ἅιδου μᾶλλον ἂν κολάζεσθαι, εἰ ὁλοκλήρους καὶ μὴ τετρημένους ἀγγείους ἰδροφόρουν.* Vide etiam Clem. Alex. admonit. ad gentes p. 17 S. (p. 49 sq. P.) = fr. 44 Mull. — Ceterum Hoogvliet, qui l. c. p. 8 sqq. similitudines, quae inter Bionem et sophistas intercedant, investigare conatur, partim eas conquirit, quae nullae sunt, partim omisit, quae maxime commemorandae erant.

Digitized by Google

autem comparationum tam largum usum fecit, ut in tanta fragmentorum, quae nunc traduntur, paucitate dimidia fere pars e comparationibus constet. Quare suspicio non abest, quin huic comparandi studio eo consilio saepius se dederit, ut ingenium ostentaret et orationem ornaret et floridam 'mirabilemque' (Quintil. instit. VIII 3, 74) redderet; hac in re sophistam agnoscimus, sed comparationum usus in universum fere ex cynico more est. Primum enim Bion ut chriarum [1]) item comparationum singula exempla Cynicis debet, id quod mirum non esse putabit, qui reputaverit, quam propinqua chriae et similia etiam apud Cynicos fuerint. Velut Bion, quod in Stob. flor. XCVII 31 p. 214 Mein. divitum avaritiam cum hydropicorum insatiabili aquae cupiditate comparat, Diogenem sequitur (v. Stob. flor. X 46 = fr. 27). Bionis chria fertur haec: *Βίων ὁ σοφιστὴς τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν ἔλεγε πάσης κακίας εἶναι* (Stob. flor. X 38 = fr. 4), eadem a Diogene Laert. VI 50 Diogeni Cynico adscribitur. Porro ab alabastris acetum continentibus Diogenes apud Maxim. 44 p. 198, 43 (= fr. 54) comparationem repetit, ab amphoris Bion apud Plut. de vit. pud. c. 18 (= fr. 41). Deinde ex Homeri carminibus 'non solum cynicorum more quodam constanti sed etiam utpote Borysthenita' [2]) comparationes repetit, velut apud Plut. de puer. educ. c. 10 p. 7 D (= fr. 48): *ὅτι ὥσπερ οἱ μνηστῆρες τῇ Πηνελόπῃ πλησιάζειν μὴ δυνάμενοι ταῖς ταύτης ἐμίγνυντο θεραπαίναις, οὕτω καὶ οἱ φιλοσοφίας μὴ δυνάμενοι καταιτχεῖν ἐν τοῖς ἄλλοις παιδεύμασι τοῖς οὐδενὸς ἀξίοις ἑαυτοὺς κατασκελετεύουσι.* [3]) Praeterea cum in philosophandi genere Cynicorum sectator esset, etiam eam comparandi rationem adhibuit, qua homines obtrectationis et irrisionis causa cum infimi generis animalibus aut rebus nullius pretii comparantur. Hoc consilio divites, quorum acerbissimo odio ar-

1) V. Duemmler. in Antisthenicis p. 69.

2) V. Wachsmuth. in Sillogr.[2] p. 77.

3) Primus hac comparatione, ut Rohde me docuit, Gorgias usus est (v. flor. Monac. 172 = Leid. 162); eadem Aristippo a Diog. Laert. II 79 adscribitur, Aristoni ab eodem II 80 et a Stobaeo in flor. IV 110.

Digitized by Google

debat, cum felices quidem viderentur, tamen re vera pauperes essent, ab argentariis non differre dixit; nam divites, si divitiis suis non uterentur, in eadem esse inopia, qua argentarios, qui multum quidem pecuniae in manibus haberent nec tamen ipsi possiderent (apud Telet. in Stob. flor. III p. 213, 5 sqq.); quin etiam eosdem in Stob. flor. XCI 32 (fr. 9) marsupiis similes appellat[1]); ut enim marsupia quamquam nullius pretii tamen e pecuniae inclusae magnitudine aestimentur, eodem modo divites, cum ipsi pro nihilo habendi sint, ex divitiarum, quas quisque habeat, copia honorari. Quondam interrogatus, cur adulescentulum aliquem non venaretur (*ἐπὶ τῷ μὴ θηρᾶσαι μειράκιον*), responsum dedit: 'ne caseus quidem admodum mollis hamo attrahi potest' (Diog. Laert. IV 47, cf. fr. 16 cum adnot. Mullachi), scilicet ut talis caseus unco figi nequit, ita acerba Cynicorum praecepta molli et effeminato adulescentulo non conveniunt.

Accedit aliud, quod ad idem comparationum vel translationum genus pertinet. Diogenes enim Laertius IV 52 nota haec verba de Bione dicit: *ἦν δὲ καὶ θεατρικὸς καὶ πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ διαφορῆσαι*, — illud ad eius prosopopoeias, hoc ad hominum et philosophorum irrisiones referendum est (v. Wachsmuth. l. c. p. 76) — *φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος*: hoc autem quodammodo ad '*ὅμοια*' quoque spectat. Nam ex Stob. flor. LXVI 5 (fr. 14) coll. cum Plut. amator. 24 (fr. 15), quomodo illis iocis, de quibus Diog. Laert. dicit, usus sit, concludi potest. A Stobaeo haec exhibentur: *Βίων πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι τυραννίδα ἔχει τὸ κάλλος·*[2]) '*Φεῦ*' *ἔλεγε* '*τυραννίδος τριχὶ καταλυομένης.*' His verbis simpliciter ea exponuntur, quae comparatione quadam ornata apud Plutarchum exstant: *ὁ σοφιστὴς Βίων τὰς τῶν καλῶν τρίχας*[3]) '*Ἁρμοδίους*

1) Cf. Alciphronis epist. III 55, 2: *ὁ ῥυσότερον τῶν βαλαντίων ἔχων το πρόσωπον.*

2) Similiter Diogenes Cynicus apud Stob. in flor. LXV 15: *Διογένης τὰς εὐμόρφους τῶν ἑταιρῶν ἐκάλει βασιλίσσας· πολλοὺς γὰρ πράττειν, ἃ ἂν προστάττωσιν.*

3) Hunc locum Hoogvliet l. c. p. 25 recte sic explicat: 'spurcum

ἐκάλει καὶ Ἁριστογείτονας ὡς ἅμα . . . . καλῆς τυραννίδος ἀπαλλαττομένους ὑπ' αὐτῶν τοὺς ἐραστάς. Vides, quam arte hae facetiae cum 'similitudinibus' cohaereant; nam omnis fere festivitas ita fit, ut inter duas longe diversas res nova atque inexspectata similitudo quasi digito monstretur. Talis 'similitudinis' exemplum quamquam pravum illud Bionis alioquin acuti comparationum iudicis est. Eandem autem rationem Bion in *φορτικοῖς ὀνόμασιν* secutus esse videtur; neque huic coniecturae obstat illud unum, quod traditur, exemplum: *κατασκελετεύειν* enim 'dixit apud Plut., de liber. educ. c. 10 eos qui operam frustra in negotiis inutilibus consumant.' [1])

Bionis autem comparationes magnam partem in Teletem transierunt, velut in Stob. flor. V 67 (I p. 124, 18—26 Mein.), XCVII 31 (III 213, 5. 6 et p. 214, 11—17, cf. III 187, 12) tres exstant sub ipso Bionis nomine, quae apud Hoogvlietium, qui primus Bionis fragmenta collegit et — minime mirum id quidem! — apud Mullachium desunt; sed suspicor earum quoque comparationum, quas Teles auctoris nomine omisso exhibet, plurimas ad Bionem redire, idque certis quibusdam argumentis de paucis confirmari potest. Primum apud Stobaeum l. c. IV p. 49, 2—5 (*ἡ τύχη ὥσπερ ποιήτριά τις οὖσα κτλ.*) eadem similitudo invenitur sine auctoris nomine, quae ibid. I p. 123, 5—9 Bioni datur. Deinde ea comparatio, quae statim initio disputationis *περὶ αὐταρκείας* I p. 123, 2—4 legitur, aut Bionis ipsius est aut secundum Bionis exemplum, quod verss. 5—9 sequitur, inventa est. Porro Teles apud Stobaeum l. c. XCVII 31, ut eos, qui divitias magnas haberent, sed iis uti nollent et semper novas adquirere cuperent, nil ab iis differre comprobaret, qui omnibus rebus, quae ad vitam necessariae essent, egerent, complures comparationes et Bionis (p. 213, 5 sqq.

---

dictum ad turpem Graecorum amorem referendum: crinibus enim aliqua parte enatis, ab ea tyrannide repelluntur amatores.' Eandem interpretationem Rohde mecum communicavit. Quare patet, quam perverse Mullach lacunam, qua Plutarcheus locus hiat, verbis his expleverit: *ἅμα ⟨τῷ καρῆναι⟩.*

1) Wachsmuthi verba sunt in Sillogr.^{2} p. 76, 2.

Digitized by Google

214, 11—17) et incerti cuiusdam auctoris (p. 213, 10 sqq. 25 sqq.) in unum cumulavit. Hae fortasse ut ad eandem rem explicandam item ab eodem scriptore inventae sunt. Neque minus incertum est, num haec comparatio Bionea sit (ibid. p. 212, 8 sqq.): *ὥσπερ καὶ ὁ Λαέρτης — εἰς ἀγρὸν ἀπελθὼν μόνος μετὰ γραδίου κακουχεῖ αὐτὸν καὶ ξηραίνει, οἱ δὲ μνηστῆρες τὰ ἐκείνου.* A Telete ipso Laertes propter vitae rationem institutam laudatur (v. Stob. flor. IV p. 49, 9), contra in Laertis vituperationem comparatio illa etiam ab Aristone in *ὁμοιώμασιν* apud Stob. l. c. IV 111 vertitur, nisi quod Teles divites, rectius pauperes dicendos, cum Laerte comparat, Aristo eos, qui divitiis omni animorum cura neglecta obnoxii sunt. Itaque cum Aristo apud Stob. l. c. IV 110 rursus cum Bione apud Plut., de pueror. educ. c. 10 (fr. 48) consentiat, et Teles comparationes suas saepius ex Bione hauserit, illum Aristonis et Teletis consensum ita explicare licet, ut utrumque Bionem exscripsisse putemus.

Haec habeo, quae de Bionis chriis et similibus proponam. Post Bionem Aristo ille Chius *ὁμοιώματα* [1]) scripsit, qui a Zenonis praeceptis defecit atque ut Cynici et dialectica et physica philosophiae parte omissa soli ethicae studuit (Diog. Laert. VII 160); item eius comparandi ratio cynica est. Primum enim ex Homeri carminibus comparationes repetit (v. p. 182 adn. 3 et cf. Stob. flor. l. c. de Laerte). De Aristone autem idem dici potest, quod de Bione: 'vanas quibus homines (philosophique) decipi solent opiniones evertit, non severe exagitando sed facete deridendo, igitur est *πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ διαφορῆσαι*' (Wachsmuth l. c. p. 76). Nam contra dialecticam dicit in Stob. flor. LXXXII 7. 11 et 15, quo loco dialecticorum argutias cum araneis lepidis quidem et artificiosis, sed inutilibus confert [2]),

---

1) Huius libri fragmenta nonnulla in Pythagoreorum 'similia' recepta Orelli in opusc. Graec. vet. sentent. et mor. I p. 30. 32 collegit, et item Mullach in fr. phil. graec. I p. 493, 100—104. 107—109. Ceterum vide Rose, Aristot. pseud. p. 611—613 et Zeller. in hist. phil. graec. III 1^3 p. 35, 1, qui magis placet.

2) Eadem leguntur apud Diog. VII 161; cf. gnomol. Byz. 67 p. 177 Wachsm., ubi a Zaleuco leges cum araneis conferuntur.

Digitized by Google

contra eristicos ibid. LXXIX 44, contra *τὴν κατὰ φιλοσοφίαν λεπτολογίαν* LXXXII 16, contra multitudinis opiniones IV 111. Bionis comparationi, quae apud Teletem in Stob. flor. V 67 p. 123, 2—7 exstat, similis est Aristonis haec: *εἶναι γὰρ ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφόν, ὃς ἄν τε Θερσίτου ἄν τε Ἀγαμέμνονος πρόσωπον ἀναλάβῃ, ἑκάτερον ὑποκρινεῖται προσηκόντως* (Diog. Laert. VII 160).

De Chrysippi libro, qui *περὶ τῶν ὁμοίων πρὸς Ἀριστοκλέα γ'* inscriptus erat (Diog. VII 199), et de Sphaeri Stoici 'similibus' (Diog. VII 178) nil constat.[1])

1) Elucet Cynicorum 'similia' longe diversa fuisse a Pythagoreorum 'similitudinibus' Demophili (v. Orellium l. c. p. VII et 13 sqq. = Mullach. l. c. I p. 485 sqq., cf. II p. XXVI), Iamblichi (Orelli p. 28, 81—93 = Mullach. I p. 492 sq., 86—99), aliorum (Orelli p. 34 sq., 104—115 = Mull. I p. 496 sq., 145—155).

Tamen suspicio non abest, quin Pythagorei illi Cynicorum similitudines et florilegia ad sua ipsorum similia componenda exhauserint.
Cf. Demophil. 2 cum Antisthene in Stob. ecl. II 31 (II p. 207, 19 Wachsm.).
„ 13 „ Bione apud Telet. in Stob. flor. I p. 127, 9—11.
„ 42 (cf. 16. 51) cum Bionis comparatione apud Telet. ibid. p. 123, 4—7. Deinde sub Pythagorae nomine a Stobaeo in flor. III 24 (cf. Pythag. Syr. n. 39 in Herm. IV p. 91) haec traduntur: *ἰσχὺς καὶ τεῖχος καὶ ὅπλον σοφοῦ ἡ φρόνησις*, Antisthenis nimirum dictis his in unum contractis: *αὐτάρκη δὲ τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος* (Diog. VI 11) et *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν* (ibid. 13) et *ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή* (ibid. 12).

Praeterea multae similitudines in Demophili libello sunt, quae apud Stobaeum Socrati dantur (v. Orellium in adnotat. ad Demophilum, qui tamen non omnia exempla collegit):

Demophil.	1	=	Socrat.	apud	Stob.	in	flor. XIV 24
„	15	=	„	„	„	„	„ LXXXIII 22
„	17	=	„	„	„	„	„ V 37
„	19	=	„	„	„	„	„ XXXIV 18
„	21	=	„	„	„	„	„ LXXXXIII 30
„	22	=	„	„	„	„	ecl. II 31 (II p. 209, 12 Wachsm.)
„	23	=	„	„	„	„	flor. V 81
„	24	=	„	„	„	„	„ III 67
„	44	=	„	„	„	„	„ IV 115
„	45	=	„	„	„	„	„ II 47
„	47	=	„	„	„	„	„ LXXXXIV 13

Digitized by Google

Ex iis, quae exposuimus, patet comparationes Cynicis pro necessaria supellectile fuisse non solum ad satiras scribendas,

---

Demophil. 57 = Socrat. in flor. Stobaei XXII 37
„ 4 = „ „ „ „ III 91, ubi nomine Socratis omisso istud apophthegma ei eclogae, cui lemma *Σωκράτους* adscriptum est, subiungitur.
Demophil. 26 = Socrat. in flor. Stobaei IV 58 auctoris nomine item omisso
„ 37 = „ „ „ „ IV 121 (item)
„ 49 = „ „ „ „ IV 116 (item).

Sequitur, ut Demophilus et Stobaeus ad unum eundemque fontem redeant. Demophili autem collectionem Orelli l. c. p. VII compendium esse suspicatur ‘collectionis locupletioris multo, qua, in Aristonymi fortasse tomariis contenta, usi olim fuere Ioannes Stobaeus, Antonius Melissa et Maximus monachus, qui ex ea haud paucas similitudines Pythagorae, Socratis, Plutarchi aliorumque nominibus inscriptas inseruerunt Florilegiis suis.’ Ac de Stobaeo haec Orellii coniectura certis testimoniis stabiliri vix potest, nisi quis ex uno loco (Stob. ecl. II 31 [II p. 216, 3 Wachsm.]), quo *ἐκ τῶν Ἀριστωνύμου τομαρίων καὶ Σωκράτους* aliqua comparatio legitur, ceteras Socratis similitudines ex eodem Aristonymo a Stobaeo sumptas esse concludere vult. Demophilum autem Aristonymo duas similitudines debere apparet collatis

Demoph. 58 cum Aristonymo (*ἐκ τῶν Ἀ. τομαρίων*) in Stob. flor. V 45
„ 47 „ „ („ „ „ „) „ „ „ CIII 31,

sed mutatis mutandis:

Demophil. 47: *οὔτε τὸν ἄρρωστον ἡ χρυσῆ ὠφελεῖ χλίνη, οὔτε τὸν ἀνόητον ἐπίσημος εὐτυχία.*	Aristonymus l. c.: *οὔτε τὸν ἀρρωστοῦντα ἡ χρυσόπους ὠφελεῖ χλίνη, οὔτ’ αὖ τὸν ἀνόητον ἡ ἐπίσημος εὐτυχία.*

Ad verbum autem eadem Demophili similitudo cum Socratis dicto apud Stob. LXXXXIV 13 consentit, nisi quod Stob. scribit: *ἡ ἐπίσημος εὐτυχία*, ut Demophilus et Stobaeus non ad ipsum Aristonymum redeant, sed fortasse fontibus aliis intercedentibus.

Sed utcunque res se habet, cum similitudines sive ‘*γνωμικὰ ὁμοιώματα*’, ut Iamblichus II c. 2 vocat (cf. Holsten. apud Orellium l. c. p. 3), etiam in philosophia pythagorica locum certum habuerint, et Demophilus se *ἐκ τῶν Πυθαγορείων* similitudines suas excerpsisse ipsa collectionis inscriptione testetur, certe fraus, sive Demophilus sive is auctor, quo pro fonte usus est, eam commisit, semper eadem est: tribuuntur scilicet Pythagoricis comparationes, quas sub Cynicorum et Socratis nomine ferri supra demonstravi. Inde simile quid de ceteris Demophili et aliorum Pythagoreorum similitudinibus factum esse suspicari licet; sed nunc hanc rem accuratius non persequor.

Digitized by Google

sed etiam ad philosophiam docendam. Sed ab hoc loco abhorret, singula comparationum exempla conquirere adque auctores, quantum fieri possit, referre et rationum, quibus Cynici in comparationibus usi esse soliti sint, genera quaedam discernere et alias quaestiones, quae apte de ea re institui possint, instituere. Quae res sane digna est, quae investigetur et cum multo maiore fructu id fiet, quam si quis, quot comparationes in Lucano numerentur, computet. Ubique apud scriptores et Graecos et Romanos dispersae eaedem vel similes comparationes nobis offeruntur, quas apud Cynicos quoque invenimus, inprimis autem duorum virorum scripta perlustranda erunt, dico Epicteti et Luciani, quorum hic, ut in omnes fere Cynicos, qui eius aequales erant, odio flagrabat, ita priori Cynismo multis in rebus propinquus erat et addictus fere. De Epicteti comparationibus breviter, sed optime Martha, *les moralistes sous l'empire rom.*[2] p. 160 disserit. Luciani autem scripta omni comparationum genere ornata sunt, apud quem animalia quoque voce humana praedita et ipsa comparationes exercent et homines comparandi artem docent, ut gallus Micylli sutoris (gall. 24 sq. 26), qui ne in Orco quidem cŏmparandi artis, quam aliquando inter vivos didicerat, oblitus est (catapl. 14). Deinde Charon, qui vitam humanam cum bullis comparat, quae in scatebris fontis violenter profluentis exsistunt, a Mercurio laudatur, quod eam similitudinem hominum non minus facete invenerit, quam ipse Homerus, qui frondibus similes eos nominet. Praeterea alia sunt vestigia, ex quibus Lucianum consulto et dedita opera comparationibus studuisse apparet; sunt etiam exempla, quae Cynicorum imitationem produnt, velut in nec. 16 homines cum actoribus comparat, qui prout fabularum actio poscat, cum paulo ante Cecropis aut Erechthei personam sustinuerint, postea confestim sub servorum personis prodire soleant a poeta iussi, postremo ludis peractis pauperes et humiles obambulent neque amplius Cecrops vel Erechtheus, sed nomine tunc suo quisque appellentur (cf. Icaromen. 29). Quomodo hoc loco Bionem (apud Teletem in Stob. flor. V 67 p. 123) et Aristonem (apud Diog. Laert. VII 160) imitatur, item

Digitized by Google

rursus Bionem in nec. 16, ubi Menippus haec dicit: *τοίγαρτοι ἐκεῖνα ὁρῶντι ἐδόκει μοι ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος πομπῇ τιν μακρᾷ προσεοικέναι, χορηγεῖν δὲ καὶ διατάττειν ἕκαστα ἡ Τύχη διάφορα καὶ ποικίλα τοῖς πομπευταῖς τὰ σχήματα προσάπτουσα* (cf. Icaromen. 19. nec. 4).

Diximus de ratione, qua singuli Cynici comparationibus usi sint; nunc age de istius studii origine verba faciamus. Etsi enim e Cynicorum philosophiae ratione inter eius sectatores necessitate quadam hic similium amor ortus est, iam in Antisthene tam inveteratus esse mihi videtur, ut prima origo paulo altius quaerenda sit.

Sed videamus Platonis Hippiae maioris, quem dialogum alii Platonis esse contenderunt alii negaverunt, paginas 288 C—E 290 DE. Socrates enim ipse sibi congratulatur, quod sibi contingat, ut Hippiae viro docto et ingenuo obviam factus sit. Nuper enim cum homine quodam de pulchro colloquium habuisse, et cum, quid esset pulchrum, interrogatus nil utile proferre potuisset, se turpiter explosum esse. Quare Hippiam tanquam huius rei optimum iudicem rogat et orat, ut secum, quid pulchrum sit, communicet (p. 286 C — E). Hippia autem statim adnuente Socrates ipsum se illius hominis personam induturum et illius nomine responsurum esse dicit, ut quam maxime exerceatur (286 E 287 A, cf. 287 B 292 C). Iam p. 288 C — E illum ignotum, ut dixerat, imitatus haec contra Hippiam profert: *Τί δέ; λύρα καλὴ οὐ καλόν; φῶμεν, ὦ Ἱππία;*

ΙΠ. Ναί.

ΣΩ. Ἐρεῖ τοίνυν μετὰ τοῦτ' ἐκεῖνος· σχεδόν τι εὖ οἶδα ἐκ τοῦ τρόπου τεκμαιρόμενος· Ὦ βέλτιστε σύ, τί δέ; χύτρα καλὴ οὐ καλὸν ἄρα;

ΙΠ. Ὦ Σώκρατες, τίς δ' ἔστιν ὁ ἄνθρωπος; ὡς ἀπαίδευτός τις, ὃς οὕτω φαῦλα ὀνόματα ὀνομάζειν τολμᾷ ἐν σεμνῷ πράγματι.

ΣΩ. Τοιοῦτός τις, ὦ Ἱππία, οὐ κομψός, ἀλλὰ συρφετός, οὐδὲν ἄλλο φροντίζων ἢ τὸ ἀληθές. Ἀλλ' ὅμως ἀποκριτέον τῷ ἀνδρί. — Οὐκοῦν καὶ χύτρα, φήσει, καλὴ καλόν; Ἀποκρίνου.

Digitized by Google

Hippias concedit, sed dicit: *ἀλλὰ τὸ ὅλον τοῦτο οὐκ ἔστιν ἄξιον κρίνειν ὡς ὃν καλὸν πρὸς ἵππον τε καὶ παρθένον καὶ τἆλλα πάντα τὰ καλά.*

Deinde p. 290 D hoc inter sophistam et Socratem convenit:

ΙΠ. Ὁμολογήσομεν τοῦτό γε, ὅτι ὃ ἂν πρέπῃ ἑκάστῳ, τοῦτο καλὸν ποιεῖ ἕκαστον.

ΣΩ. Πότερον πρέπει, φήσει, ὅταν τις τὴν χύτραν, ἣν ἄρτι ἐλέγομεν, τὴν καλήν, ἔψῃ ἔτνους καλοῦ μεστήν, χρυσῇ τορύνῃ αὐτῇ ἢ συκίνῃ;

ΙΠ. Ἡράκλεις, οἷον λέγεις ἄνθρωπον, ὦ Σώκρατες. Οὐ βούλει μοι εἰπεῖν τίς ἐστιν;

Socrate tamen nomen reticente Hippias respondet: *ἀλλὰ καὶ νῦν ἔγωγε γιγνώσκω, ὅτι ἀμαθής τίς ἐστιν.*

ΣΩ. Μέρμερος πάνυ ἐστίν, ὦ Ἱππία.

Deinde p. 291 A Hippias fastidiosa haec verba dicit: *οὐ μέντ' ἂν ἔγωγε τῷ ἀνθρώπῳ τοιαῦτα ἐρωτῶντι διαλεγοίμην.*

ΣΩ. Ὀρθῶς γε, ὦ φίλε· σοὶ μὲν γὰρ οὐκ ἂν πρέποι τοιούτων ὀνομάτων ἀνάπλεως εἶναι, καλῶς μὲν οὕτωσὶ ἀμπεχομένῳ et q. s. — *Ἀλλ' ἐμοὶ οὐδὲν πρᾶγμα φύρεσθαι πρὸς τὸν ἄνθρωπον.*

Nescio, utrum Hippiam magis propter vanitatem an ignotum illum propter rusticitatem Socrates derideat. Quis autem ignotus ille est? Nisi quid erro, Antisthenes a Platone carpitur. Primum enim illa *φαῦλα ὀνόματα* nonne ex iis, quae exposui, aptissime Antistheni tribuuntur? Sed statim dixerit quispiam: ‘cur propterea Antisthenem a Platone tangi credis? Nonne huiusmodi exemplis ex cotidianae vitae usu repetitis et Socrates et alii Socratici usi sunt? Velut apud Xenoph. in memor. III 8, 6 [1]), ubi item de pulchro et bono agitur, cum Socrates pulchras omnes eas res recte nominari exposuisset, quae ad suum cuiusque usum pulchre factae essent, Aristippus hanc quaestionem ausus est: *ἆρ' οὖν, ἔφη, καὶ κόφινος κοπροφόρος καλόν ἐστι; Νὴ Δί', ἔφη, καὶ χρυσῖ γε ἀσπὶς αἰσχρόν, ἐὰν πρὸς τὰ ἑαυτῶν ἔργα ὁ μὲν καλῶς πεποιημένος ᾖ, ὁ δὲ κακῶς.*

1) Hic locus saepius laudatur a viris doctis, qui de Hippia egerunt.

Digitized by Google

Iam tibi simillimum Hippiae maioris locum in memoriam revoces, quo utrum tudes aurea an ex ficulneo ligno confecta ollae, in qua puls e leguminibus coquatur, aptior sit, quaeritur. Nonne ipse Socrates in Hipp. mai. p. 295 CD *τὰ σκεύη* pro exemplo adfert (cf. Xen. mem. IV 6, 9)?' Omnia haec audio: sed hominis illius ignoti mores ita describuntur, ut uno de Antisthene cogitandum sit. Appellatur *οὐ κομψός, ἀλλὰ συρφετός* (288 D): de illius autem verbi apud Platonem usu vide Urbani dissertationem, quae est 'über d. Erwähnungen der Philos. d. Antisth. in d. Plat. Schriften,' Progr. Regimont. a. 1882, qui p. 12 haec exponit: "der Ausdruck *κομψότατα* oder *κομψότεροι*, dem etwas Ironisches beigemischt ist, wird weiterhin Theaet. 200 C, ferner Republ. 505 B und Cratyl. 429 D bei Besprechung Antisthenischer Lehrmeinungen angewendet." Porro ignotus ille *ἀπαίδευτος* dicitur (288 D): item Antisthenes apud Platonem alibi (cf. Duemmler. in Antisthenicis p. 63) et ab Aristotele (met. VIII 3 p. 1043 b 24) nominatur; ille audit *ἀμαθής* (290 E), item Antisthenes apud Platonem in rep. VII 535 E (cf. Duemmler. l. c. p. 34); moribus est rusticis, insolenti superbia sese effert (286 C 298 A), morosus (290 E), ad risum et cavillationem promptus (286 E 289 C), sicut illa ancilla Thracia, cuius sub persona Antisthenes tangitur (v. Winckelmann. ad Antisth. fragm. p. 36 in adnot.), quae Thaletem 'dum astra observat, in puteum cadentem lusit.' Deinde p. 290 A Socrates haec dicit: *ἀλλὰ πάνυ με καὶ τωθάσεται καὶ ἐρεῖ· Ὦ τετυφωμένε σύ κτλ.*: rursus nobis verbum *τετυφωμένος*, quod apud Platonem non legitur nisi hoc loco [1]), apud Antisthenem et ceteros Cynicos tritum est, offertur, de quo iam dixi (cf. etiam Urbanum l. c. p. 3 sq.). Quin etiam Socrates timet, ne ab illo, *ἂν τύχῃ βακτηρίαν ἔχων*, vapulet (292 A) — significatur Antisthenes bactroperita [2]) — neve verborum contumeliis lacessatur (292 CD); dicit enim Socrates: *ἐγώ σοι ἐρῶ, τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ νῦν δή, μιμούμενος ἐκεῖνον, ἵνα μὴ πρὸς σὲ λέγω ῥή-*

1) Cf. Ast., *Platon's Leben u. Schrift.* p. 462.

2) Cf. Diog. Laert. VI 21 (Antisthenes Diogenem baculo sublato a se repellit).

Digitized by Google

ματα, οἷα ἐκεῖνος εἰς ἐμὲ ἐρεῖ, χαλεπά τε καὶ ἀλλόκοτα. Quid autem dicturus est ignotus ille de Socrate? *καὶ οὐδέν σοι μᾶλλον γεγωνεῖν δύναμαι ἢ εἴ μοι παρεκάθησο λίθος, καὶ οὖτος μυλίας, μήτε ὢτα μήτ' ἐγκέφαλον ἔχων.* Habes Cynicos mores eorumque comparandi rationem. Postremo p. 290 D exempli causa ab ignoto illo sumitur pultem 'pulchram' e leguminibus in olla aliqua coqui, *ὄψον πάνυ γενναῖον*, ut ipse Socrates qua est ironia p. 290 E praedicat: habes *κυνικὸν βρῶμα* (vide Cratetis fragm. 10 et 11 apud Bergk. in poet. lyr. reliq. II⁴ p. 368) eandemque verbi *γενναῖος* ab Antisthene adhibiti irrisionem, quae redit in Plat. rep. II p. 372 B (vide huius libelli p. 137 adnot. 2).

Quid igitur? manifestius quasi digito Antisthenes monstrari potest?

Sed huic opinioni maxime ea res obstare videtur, quod ex Hippiae dialogi p. 287 BC 304 CD — p. 298 BC verba suspecta sunt — apparet ignotum illum, quem ipse Socrates *λόγου ἕνεκα* infert, quasi alterum Socratem esse a Platone fingi. Deinde quod idem quasi alter Socrates vel 'daemonium Socratis personae specie indutum'[1]) pulchri notionem ab Hippia vehementer poscit et singula pulchra, quae sophista profert, aspernatur, quomodo hoc cum Antisthenis praeceptis dialecticis concinere potest, quibus singulas res exsistere docebat (Tzetzes chil. VII 606 sqq. = p. 34 fr. III Winck.), sed ulla notione (Aristot. met. VIII 3 p. 1043 b 24) aut ideis comprehendi posse negavit (cf. Tzetz. l. c.)?

Quid igitur? ceciditne tota nostra coniectura, qua Antisthenem sub illo ignoto latere existimamus? Immo Antisthenes, ut diximus, tam aperte significatur, ut non hanc sententiam abicere, sed ignotum illum quasi duplici persona a Platone indutum esse putare cogamur: morum rusticitate Antistheni similis est, praeceptis ab eo abhorret et cum Socrate vel Platone consentit.

Sed apparet nostrum esse, quo consilio Plato haec artificia adhibuerit, explicare. *Ἐλεν.* Hippias dialogus in duas partes

1) Steinhart in Muelleri Platonis interpretatione germanica I p. 51.

Digitized by Google

divisus est, quarum in altera (inde a p. 287 B) Socrates ignotum illum secum colloquentem inducit, altera (inde a p. 293 C) primum ille omittitur, nisi quod p. 298 AD in scaenam mittitur, deinde nullas amplius eius dialogi partes tuetur et ubi p. 303 D 304 A pauca verba fecit, descendit e scaena; tum vero Hippias et Socrates unitis viribus in rem propositam inquirunt. Quid? in altera parte tertio illo non iam opus erat et id accidit Socrati sive potius Platoni, quod magi discipulo illi accidit:

Die ich rief die Geister,
Werd' ich nun nicht los!

Profecto ita est; nam tota prior dialogi pars contra Antisthenem scripta est et Hippias Antisthenis partes agit.

Conferamus enim Platonis rei publ. V 475 E usque ad finem [1]), quo loco Antisthenem carpi Duemmler in Antistheni-cis p. 40—43. 49 sq. certis argumentis demonstravit, et id novis confirmari potest. [2]) Plato enim illo loco cognitionis,

---

1) Hunc locum iam Munk, *die natürliche Ordnung d. Plat. Schrift.* (Berol. a. 1857) p. 154 sq. contulit.

2) Paulo antea dicit: *οἱ δὲ δὴ ἐπ' αὐτὸ τὸ καλὸν δυνατοὶ εἶναι τε καὶ ὁρᾶν καθ' αὐτὸ ἆρα οὐ σπάνιοι ἂν εἶεν;* et de iisdem p. 476 CD *ὁ τἀναντία τούτων ἡγούμενός τέ τι αὐτὸ καλὸν καὶ δυνάμενος καθορᾶν ...* nonne idem Antistheni Plato exprobrat apud Aristot. schol. p. 66 in fine (fr. III p. 34 sq. Winck.)? Cum enim Antisthenes Platoni dixisset: *ὦ Πλάτων, — ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δ' οὐχ ὁρῶ,* Plato responsum dedisse fertur: *ἔχεις μέν, ᾧ ἵππος ὁρᾶται, τόδε τὸ ὄμμα, ᾧ δὲ ἱππότης θεωρεῖται, οὐδέπω κέκτησαι.* — Alia accedunt, quae Duemmler nondum norat, etsi sagaciter divinavit, quibus Platonem illo rei publ. loco Antisthenem refutare concludi potest. Antisthenes enim contra dici non posse ita evincere conabatur: *πᾶς γάρ, φησί, λόγος ἀληθεύει, ὁ γὰρ λέγων τί λέγει, ὁ δὲ τί λέγων τὸ ὂν λέγει, ὁ δὲ τὸ ὂν λέγων ἀληθεύει,* quod fragmentum K. Muenzel in Procli in Plat. Cratyl. schol. c. 37 ed. Boiss. inventum in mus. rhen. vol. XL (1885) p. 148 publici iuris fecit. Eandem conclusionis rationem Plato adhibuit, ut Antisthenis doctrinam, qua opinionem cognitionis aliquod genus esse (*δόξα ἀληθὴς μετὰ λόγου, ἐπιστήμη*) docuit, quam in Theaeteto inde a p. 201 C refutari constat, falsam esse ita evinceret, ut ea, quae cognoscerentur, diversa esse doceret ab iis, quae

inscientiae, opinionis regna certis finibus circumscribere studet. Et prout quisque in ideis velut in pulchro et turpi (475 A) cognoscendis provenerit, eos, qui iis oculis praediti sunt, quibus ipsas ideas videre possint, in philosophorum numerum refert; eos, qui singulis rebus adfixi haerent, inter *φιλοδόξους* recenset (480 A 476 D). Quod *φιλοδόξους* dicit, Antisthenem intellegit (v. Duemmler. l. c.); ii autem, qui opinioni dediti sunt, ab iis diversi non sunt (p. 476 D), qui p. 476 BC his verbis depinguntur: *οἱ μέν που — φιλήκοοι καὶ φιλοθεάμονες τάς τε καλὰς φωνὰς ἀσπάζονται καὶ χρόας καὶ σχήματα καὶ πάντα τὰ ἐκ τῶν τοιούτων δημιουργούμενα, αὐτοῦ δὲ τοῦ καλοῦ —* vides Platonem hoc maxime exemplum a pulchro repetitum tenentem (item ac p. 479 A) — *ἀδύνατος αὐτῶν ἡ διάνοια τὴν*

---

ad opinionem pertinerent (— 478 B). Hoc consilio ductus contra Antisthenem ipsius eius armis pugnat: *'ὁ γιγνώσκων γιγνώσκει τί ἢ οὐδέν;'* Respondetur: *ὅτι γιγνώσκει τί. 'Πότερον ὂν ἢ οὐκ ὄν;' Ὂν· πῶς γὰρ ἄν μὴ ὄν γέ τι γνωσθείη;* (p. 476 E 477 A) 'Concedis ergo' ait Plato 'quod perfectionem habet, idem perfecte cognosci posse (*ὅτι τὸ μὲν παντελῶς ὂν παντελῶς γνωστόν'* p. 477 A).

Deinde ut p. 478 B demonstret *τὸ δοξαστὸν* medium intercedere inter id, quod est et non est, item concludit: *ὁ δοξάζων* aliquid opinatur; qui aliquid opinatur, non id, quod non est, opinari potest, sed unum aliquid; sed id opinari non potest, quod est: hoc enim cognoscitur, ut antea demonstratum est, sed aliquid opinatur, quod inter id, quod est et non est, medium intercedat: hoc autem est *τὸ ὄν τε καὶ τὸ μὴ ὄν* (478 D).

Vide, quanta sollertia Plato ipsius Antisthenis argumentandi ratione usus sit, ut demonstraret, esse aliquid, quod ipse Plato *τὸ ὄν τε καὶ τὸ μὴ ὄν* vocat, vel quod idem est, posse de una eademque re *διττοὺς λόγους* dici. Antisthenes enim tantum aberat ut *διττοὺς λόγους* de eadem re dici posse putaret (v. Reinhardt., *de Isocr. aemulis* p. 26), ut Euripidis versum:

τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ,

ita corrigeret:

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

(Quid *διττοὶ λόγοι* sint, ex anonymo sophista, quem iam supra laudavi, apud Mullach. l. c. I p. 544 sqq. discitur. Cf. Euripid. Antiopes frgm. [189 Nauck.]:

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος διττῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.

Quid? si ab hac vulgatae alicuius disputandi formae notione Aristophanes deductus est ad inventionem vividi illius inter Rationem iustam et iniustam certaminis?)

Digitized by Google

φύσιν ἰδεῖν τε καὶ ἀσπάσασθαι, et 476 C: *ὁ οὖν καλὰ μὲν πράγματα νομίζων, αὐτὸ δὲ κάλλος μήτε νομίζων μήτε, ἄν τις ἡγῆται ἐπὶ τὴν γνῶσιν αὐτοῦ, δυνάμενος ἕπεσθαι, ὅναρ ἢ ὕπαρ δοκεῖ σοι ζῆν;* (cf. 479 A 480 A). Id autem, quod opinionibus subditum est (*τὸ δοξαστόν*), in earum rerum regnum recipit, quae simul sunt et non sunt (p. 478 B—D). Hae autem quaenam sint, p. 478 E — 479 E explicatur. Singulae enim res velut multa illa pulchra, iusta, sacra non ita semper qualitates suas tenent, ut non cum res ita fert, etiam turpia, iniusta, impia videantur. Neque aliter multa dupla, si dimidia fiant, minus quam dupla sunt; porro magna et parva, levia et gravia non magis his, quibus appellamus, quam contrariis nominibus vocabuntur. [1]) Tantam rerum mutabilitatem ii admittunt, qui non ipsum pulchrum per se adgnoscunt, sed multa pulchra, *φωνάς τε καὶ χρόας καλὰς καὶ τὰ τοιαῦτα* (480 A) esse credunt. Quare recte *φιλόδοξοι*, non *φιλόσοφοι* nominantur.

Iam unde oratio digressa est, ad Hippiam revertamur. Hippias enim de pulchri notione interrogatus idem peccat, quod multi alii in Platonis dialogis, qui de notione alicuius rei interrogati singulas res, quae illi notioni subiectae sunt, pro ipsa notione vendunt. Quid? hanc rem ut in aliis dialogis item in Hippia nihil aliud esse credamus, nisi peccatum aliquod aut artis logicae inertiam? An non potius Antisthenis cavillationem esse suspicari debemus, qui singulas res esse concessit, singularum rerum ideas esse negavit? Hoc enim ea maxime res suadet, quod Hippias iisdem argumentis refutatur, quibus eandem doctrinam, quae est Antisthenis, opinioni subditam esse Plato in rep. V 479 A—D demonstrat, id quod statim apparebit, si Hippiae p. 289 A—C contuleris:

ΣΩ. Ἄκουε δή. Μετὰ τοῦτο γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι φήσει· Τί δέ, ὦ Σώκρατες; Τὸ τῶν παρθένων γένος θεῶν γένει ἄν τις

1) Oratio haec genuinum sophistam decere possit: cf. anonymi illius sophistae dissertat. IV apud Mullach. l. c. p. 549 b 19 sqq.: *καὶ μὰν τωὐτὸ πρᾶγμα καὶ μέζον καὶ μῆόν ἐστι, καὶ πλέον καὶ ἔλασσον, καὶ βαρύτερον καὶ κουφότερον· οὕτω γὰρ [ἄν] εἴη ταὐτὰ πάντα.* Vide, quae sequuntur.

Digitized by Google

συμβάλλῃ, οὐ ταὐτὸν πείσεται, ὅπερ τὸ τῶν χυτρῶν τῷ τῶν παρθένων συμβαλλόμενον; Οὐχ ἡ καλλίστη παρθένος αἰσχρὰ φανεῖται; κτλ. Hippias concedit; pergit Socrates sic:

Ἂν τοίνυν ταῦτα ὁμολογήσωμεν, γελάσεταί τε καὶ ἐρεῖ· Ὦ Σώκρατες, μέμνησαι οὖν, ὅ τι ἠρωτήθης; Ἔγωγε, φήσω, ὅτι αὐτὸ τὸ καλὸν ὅ τί ποτ' ἔστιν. Ἔπειτα, φήσει, ἐρωτηθεὶς τὸ καλὸν ἀποκρίνει, ὃ τυγχάνει ὄν, ὡς αὐτὸς φής, οὐδὲν μᾶλλον καλὸν ἢ αἰσχρόν; Ἔοικε, φήσω.

Accedit, quod etiam in altera parte Hippiae (p. 293 C sqq.) Antisthenis praecepta carpuntur; ea enim rursus bipertita est. Priore parte (— 297 D) unitis viribus Hippias et Socrates novam hanc definitionem pulchri inveniunt: pulchrum est id, quod utile est; sed cum utile boni causa sit, hac definitione efficeretur, quoniam causa omnis ab ea re diversa est, cuius causa est, ut nec pulchrum bonum nec bonum pulchrum futurum esset, id quod absurdum est. Quare in ea parte nihil inest, quod contra Antisthenem scriptum sit, quippe qui et ipse *τἀγαθὰ καλά, τὰ κακὰ αἰσχρὰ* esse putaverit (Diog. Laert. VI 12).

In altera autem nova definitio proponitur: pulchrum est *τὸ δι' ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδύ* (p. 298 A), velut *φθόγγοι οἱ καλοὶ καὶ ἡ μουσικὴ ξύμπασα, — καὶ τὰ ποικίλματα πάντα καὶ τὰ ζωγραφήματα* et alia, quam definitionem Socrates etiam audacem illum hominem comprobaturum esse arbitratur. Itaque cum iterum homo ille ignotus inferatur, inde concludo, iterum Antisthenem tangi, praesertim quod rei publ. l. c. etiam cum illis Hippiae verbis consentit. Ibi enim p. 476 B 479 A Antisthenes *φιλοθεάμων* et *φιλήκοος* nominatur, et inter singulas res pulchras, quas ille adgnoscit, eae tantum numerantur, quarum pulchritudo aut auribus aut oculis percipitur, velut *καλαὶ φωναί, χρόαι, σχήματα καὶ πάντα τὰ ἐκ τῶν τοιούτων δημιουργούμενα* (476 B et 480 A).

Sed ne illam quidem definitionem stare posse Socrates ostendit, quoniam, si eam rectam esse concedatur, etiam causam ab ea re, cuius causa sit, non differre concedi oporteat; quare recte hominem illum dicturum esse, si dicat: *οὐκοῦν ὠφέλιμον, φήσει, τὸ ποιοῦν τἀγαθόν, τὸ δὲ ποιοῦν καὶ τὸ*

Digitized by Google

ποιούμενον ἕτερον νῦν δὴ ἐφάνη, καὶ εἰς τὸν πρότερον λόγον ἥκει ὑμῖν ὁ λόγος; Οὔτε γὰρ τὸ ἀγαθὸν ἂν εἴη καλὸν οὔτε τὸ καλὸν ἀγαθόν, εἴπερ ἄλλο αὐτῶν ἑκάτερόν ἐστι (303 E sq.).

Ignotus igitur ille sive Antisthenes ipse contra se dicit. Nam antea comprobavit pulchrum esse *τὸ δι' ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδύ*, nunc hac opinione desistere cogitur, quoniam inde concludi debet falsum esse, si quis *τἀγαθὰ καλὰ* esse contendat. Hoc voluit Plato demonstrare.

Quae cum ita sint, sub Hippiae persona Antisthenem latere patet, ut inter duas personas unius Antisthenis mores et praecepta distribuantur, videlicet quo magis appareat, quam parum morum eius rusticitas cum pulchritudinis studio concinat, quod in philosophia prae se tulisse videtur.

Si recte disputavi, id quidem lucri inde capitur, ut Hippiam genuinum Platonis dialogum esse cognoscamus [1]), sed cum eum philosophum, qui *φαῦλα* illa *ὀνόματα* et inurbanam comparandi rationem adamavit, quam Hippias tanta adfectatione aspernatur, ipsum Antisthenem esse demonstratum sit, de ea quaestione, quam de cynicarum comparationum origine instituimus, e Platonis Hippia nihil discimus.

Quare suspicari tantum licet in hac re Cynicos Socratem magistrum secutos esse. Atque Dio in or. LV, qua Homerum et Socratem inter se comparat, haec de iis praedicat: *καὶ μὴν*

1) Etiam Zellerum refutasse mihi videor, qui Hippiam in suspicionem vocavit in *Zeitschr. für Alterthumsw.* IX (1851) p. 256 sqq. et hist. phil. graec. II 1³ p. 418, 4. Unum Zelleri argumentum restat refutandum; dicit enim in *Zeitschr. f. Alterthumsw.* p. 259: Nehmen wir zu allen diesen Anzeichen noch hinzu, dass uns das Alter und die Aechtheit des Gesprächs durch kein urkundliches Zeugniss verbürgt ist, dass vielmehr Aristoteles Metaph. V 29 (*ὁ ἐν τῷ Ἱππίᾳ λόγος*) nur Ein Gespräch dieses Namens, das kleinere von unsern beiden, zu kennen scheint, — At Aristoteles etiam maiorem nosse videtur (v. indic. Aristot. p. 598 b 29) — ita Zeller se ipse in hist. phil. graec. II 1³ p. 405, 1 correxit —, et Aristotelis verba *ὁ ἐν τῷ Ἱππίᾳ λόγος* eam rationem significant, quae in eo Hippia exstat, in quo eam exstare nemo est, quin nesciat. Quare non opus erat maiorem et minorem Hippiam disertis verbis distinguere. — Ceterum S. Samolewiczi dissertatio de Hippia mai. in '*Denkschrift der Krakauer Akad.*' tom. I (1874) mihi non praesto fuit.

Google

εἰκάσαι καὶ παραβαλεῖν ἱκανώτατοι ἦσαν (II p. 285 R.), et illa Socratis apophthegmata, quae Stobaeus tradidit, quae maximam partem comparationes sunt, etsi genuina non sunt, tamen ex illius more excogitata. Primum inveniuntur inductiones — nam inductio nihil aliud est nisi comparatio comparandi particula omissa — velut in floril. III 41. 86. VI 31. 32. Alterum genus id est, quo dicta comparationibus inlustrantur, velut in flor. X 55 dicit: *ὑποστάθμη ἐστὶν οἴνου μὲν τρύξ, φιλαργύρου δὲ ἀνελευθερία* et 56: *οὔτε παρὰ νεκροῦ ὁμιλίαν οὔτε παρὰ φιλαργύρου χάριν δεῖ ζητεῖν* (cf. Diogenem Cynicum apud Anton. I 49 p. 55, 9 Gesn. et Maxim. p. 581, 12. 13 Comb. = fr. 36); praeterea vide XIV 21—24. XIII 47. VI 9. Tertium genus translationum est (II 31, 44 p. 209, 9 Wachsm.) nec desunt eae, quae a rebus, quae ad bellum pertinent, repetuntur (XLIII 82. XXXVIII 48) neque eae, in quibus verba novo quodam sensu usurpantur; velut is dives nominatur, qui cupiditatibus pauper est (XVII 31), *βάνανσοι* ii sunt, qui sibi pares contemnunt (XXII 38); rex is, qui cupiditati suae imperare potest (XXXXVIII 26 = flor. Monac. 241, Leid. 228). *Σωκράτης ἐρωτηθείς, τί εὐγένεια· ‘εὐκρασία’ ἔφη ‘ψυχῆς καὶ σώματος’* (LXXXVI 20). Aliud exemplum satis memorabile LVI 16 legitur: Amaltheae cornu non id esse explicat, quod vulgo existimetur omnibus fortunae muneribus refertum, sed ita fabulam detorquet, ut de iis bonis intellegendum sit, quae cuique ultro adfluant, *ἂν μή τις ἢ μάλθων, ἀλλὰ ἐργάτης.*

Diximus de comparationibus et prosopopoeiis et quo consilio Cynici istas orationis figuras adhibuerint, exposuimus. Nunc ipsum dicendi genus quale fuerit, videamus.

Omnes fere Cynici in eloquentia praeclari fuerunt, sed ut sui tantum similes sunt, sic etiam suam eloquentiam et suam artem rhetoricam exercent, qua philosophiae praecepta eorum qui audiunt animis et memoriae inculcent. Quod enim Diogenes Laertius VII 161 de Aristone dicit: *ἦν δέ τις πειστικὸς καὶ ὄχλῳ πεποιημένος*, qua re maxime a Zenone differt, qui auditorum turbam et multitudinem vitasse apud eundem

Digitized by Google

(VII 14) fertur, in eadem re Aristoni illi ‘Stoico paene Cynico’ similes erant Diogenes eiusque sectatores.

Antisthenes quidem intra Cynosargis muros docere solebat et paucos eosque tantum discipulos admittebat, qui ad cynicae philosophiae acerbitatem tolerandam a natura apti ei videbantur, ceteros contumeliis inlatis a se repellebat (Diog. VI 4); quin etiam Diogenem primum aspernatus, cum ille animi roboris et intentionis certa specimina dedisset, tum demum ad scholas admisit. Reliquam multitudinem eum scriptis edocere et animorum morbis liberare [1]) studuisse vel e Laertii amplo eius librorum indice apparet. Contra Diogenes maxime plebi se accommodabat: nec domum nec rem familiarem habet, sub divo vel in templis dormit, per fora et angiporta ut mendicus vagatur neque ‘exemplo aut adhortatione ad beate vivendum invitare desinit.’

Cuius eloquentiae quasi incunabula apud sophistas reperiuntur. Omnium enim sophistarum commune id erat studium, ut novas doctrinas et artes, quas profitebantur, quam maxima cum multitudine communicarent [2]), quo clari fierent et discipulos sibi conciliarent et victum sibi pararent. Quo in consilio primum ipsa rei novitate adiuti sunt, qua hominum animos ipsorum summa admiratione adfecerunt; accedebat eloquentiae splendor et adfectata quaedam ostentatio, quam et in moribus et in praeceptis prae se ferebant. Neque semper una in urbe permanere solebant, sed totius Graeciae urbes permigrabant et, cum dies festi venerant, ad Olympia vel Pythia proficiscebantur ibique in contione, quae undique ex Graecia convenerat, orationes habebant. Inprimis autem id sophistae egerunt, ut ad multitudinis cogitationes et studia quam maxime orationem suam accommodarent, quo facilius nova, quam proponebant, doctrina intellegeretur et quasi antiqua et consueta veste induta benevolis animis acciperetur. Qua re permoti sophistae

1) Cf. Diog. Laert. VI 6.

2) V. inprimis Welcker. in opusc. II p. 540: ‘Die Bezahlung war eine Folge der Bestimmung des Wissens für ganze Städte anstatt für den Wissenden selbst und einige seltene Freunde.’

Digitized by Google

Homericorum carminum studia renovarunt [1]), sive eo consilio, ut his carminibus pro inlecebris uterentur, quibus ad suam doctrinam audiendam invitarent, sive ut ipsius poetae interpretationem et explanationem tractarent; velut Hippias *Τρωικὸν λόγον* scripsit, quo de iis rebus, in quibus adulescentes operam ponere deberent, ita verba fecerat, ut Troia expugnata Neoptolemum cum Nestore colloquentem eumque de re proposita interrogantem fingeret. Alii in Homeri carminibus interpretandis versabantur, alii artem grammaticam in eo exercebant, Gorgias eiusque discipuli Homeri personas aut laudabant aut vituperabant. Neque deerant alii, qui fabulis, quae omnibus notae erant, eodem modo uterentur, quo illi Homero [2]), velut Prodicus, qui Herculem adulescentibus pro virtutis exemplo proposuit.

Sophistarum praeclarissimorum Socrates aequalis erat, cuius sapientia nulli cuiusvis ordinis homini, qui eum audire vellet, unquam deerat.

Socratis discipulus, Antisthenes hoc multitudinis studium excepit; huc pertinent ii libri, qui in Homeri carminibus interpretandis versabantur, huc pertinet 'Hercules' eius, quo fabulae Herculeae ita explicabantur, ut cynicae philosophiae praecepta comprobare et confirmare viderentur, huc protrepticus, 'quo vita paucis contenta suasa esse videtur' [3]), quem simili modo atque Aristotelis dialogum protrepticum [4]) etiam ad hominum in philosophia ineruditorum ingenia et captum accommodatum fuisse arbitror. [5]) Certe Crates Thebanus suum protrepticum ad Philiscum sutorem eo consilio scripsisse fertur, ut multo facilius pauperes et humili loco natos quam divites et nobilitate insignes vitae felicitatem consequi posse

---

1) Cf. Sittl., *Griech. Liter.* II p. 25 sqq.

2) Cf. Maehly in mus. rhen. XV 530.

3) Useneri verba sunt in quaest. Anax. p. 10.

4) Bernays, *die Dialoge des Aristot.* p. 116 ('sicherlich in populärer Haltung'), 120, 122.

5) Cf. Aelian. v. h. X 16: *ἐπεὶ ὁ Ἀντισθένης πολλοὺς προὔτρεψεν ἐπὶ φιλοσοφίαν.*

Digitized by Google

demonstraret (Teles in Stob. flor. XCV 21). [1]) 'Cyrus' autem Antisthenis eandem, quam cetera omnia, quae modo recensui, Antisthenis scripta protreptico excepto, indolem prae se ferebat: nimirum in omnibus Antisthenes virtutum et vitiorum certa quaedam exempla *προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν* causa proposuit. Haec infra clariora fient, cum de Antisthenis Homeri interpretatione et de Hercule eius verba faciam; sed illam rationem ad multitudinem erudiendam aptissimam esse per se apparet.

Diogenes pauca scripsit; cum enim litteras tantum ad mortuorum hominum memoriam conservandam aptas esse, non ad vivorum virtutem inlustrandam persuasum haberet (v. epist. eius XVII), ipse viva voce homines adloqui, quam inanimis [2]), ut ipse dicit in eadem epistula, chartis doctrinam suam mandare malebat. Itaque in omni coetu concilioque hominum, in foris, in triviis, quovis tempore non hora certa indicata, orationes suas habere solebat, quibus homines, quos mente captos, opinionibus obnoxios, vitiis deditos esse putabat, ad eandem felicitatem perducere studebat, qua ipse gloriabatur.

Hoc eloquentiae genus a Diogene institutum, ab eius sectatoribus excultum, cum primo saeculo post Christum natum

---

1) Cynicorum etiam Monimus protrepticum scripsit (Diog. VI 83); item Stoicorum multi, velut Cleanthes (Diog. VII 91. 175), Aristo (163), Persaeus (36), Chrysippus (Plut. de Stoic. rep. p. 1041 E 1044F sq., v. Baguet., de Chrysippo p. 328—330), Posidonius (Diog. VII 91. 129). Erat enim stoicae philosophiae *τόπος περὶ προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν* (Diog. VII 84). Deinde Arrhianus, Epicteti discipulus, *προτρεπτικὰς ὁμιλίας*, quae fortasse *ὁμιλιῶν τοῦ Ἐπικτήτου* pars erat (v. Stob. flor. LXXXXVII 28). Plutarchi *προτρεπτικὸς εἰς νέον πλούσιον*, qui in Lampriae catalogo (sub num. 207 ed. Treu) fertur, quodammodo cum Cynicorum philosophia cognatus fuisse videtur; cf. Cratetis apophthegmata in adulescentes divites dicta in Stob. flor. XIV 20 = fr. 33 et apud Maxim. 27 p. 190 in fine Gesn. = fr. 36 Mull.

2) Cf. Dionem in or. VIII p. 278 (*πολλῶν δὲ συγγραφέων ἀναγιγνωσκόντων ἀναλσθητα συγγράμματα*) et Diog. Laert. VI 48: *Ἡγησίου παρακαλοῦντος χρῆσαί τι αὐτῷ τῶν συγγραμμάτων, 'Μάταιος', ἔφη, 'τυγχάνεις, ὦ Ἡγησία, ὃς ἰσχάδας μὲν γραπτὰς οὐχ αἱρῇ, ἀλλὰ τὰς ἀληθινάς, ἄσκησιν δὲ παριδὼν τὴν ἀληθινὴν ἐπὶ τὴν γεγραμμένην ὁρμᾷς.'*

Digitized by Google

iterum philosophi cynici exstitissent, denuo effloruit et ita etiam ad Dionem Chrysostomum devenit. Qua re factum est, ut diu antequam fides evangelica divulgari coepta est, homiliae — hoc enim nomine aliud non aptius est in hac re — et exhortationes ad plebem audirentur.

Atque hoc de genere eloquentiae accuratius cognoscendo et inlustrando Martha, Francogallus vir doctus, optime meritus est in eo libro, qui inscriptus est 'les moralistes sous l'empire romain' anno 1860 iterum editus.[1] Nuper Wilamowitz in quaest. philol. IV p. 292 sqq. de origine illius eloquentiae disputationem instituit, quam sic inscripsit: 'Der kynische prediger Teles', et ad eum finem pervenit, ut p. 313 sq. haec diceret: 'es ist nicht anders, der kyniker Teles ist der älteste kenntliche vorfahr des geistlichen redners, der heute, in welcher kirche es auch sei, das wort der schrift auslegt und durch fromme betrachtung die herzen seiner hörer stärkt und erbaut.' Certe aliter res omnino non se habet, nisi ita, ut Cynicus ille Teles artis homileticae auctor fuisse existimandus sit unus ex antiquissimis nec tamen omnium antiquissimus. Hac enim in re paululum aliter sentio atque Wilamowitz; pono enim hoc, non Teletem, sed Diogenem Sinopensem eius eloquentiae generis principem esse auctorem, quod tam arte cum philosophiae cynicae indole conexum cohaeret in eiusque natura sua habet principia, ut necessitate quadam inde exortum hac de causa eloquentiae genus cynicum κατ' ἐξοχήν nominari possit.

Sed id agendum est, ut idonea argumenta, quibus thesin meam probare possim, nunc adferam.

Nemo per totam antiquitatem est, qui de officiis eius, cui homines docere eorumque mores corrigere propositum sit, melius disseruerit quam Epictetus in diss. III 22 (*περὶ Κυνισμοῦ*), quae quasi institutiones illius eloquentiae cynicae continet, quam etiam Martha ad suam disputationem adhibuit et accurate enarravit. Epictetus enim interrogatus a discipulo quo-

1) Cf. etiam Friedlaender., *Sittenq. Roms* III p. 604—608.

Digitized by Google

dam, qui ad cynicam sectam propensior esse videbatur, exponit, qualem Cynicum esse oporteat, quae sint eius officia homiletica. Primum monet, ne quis sine numine divino neve sine eius auxilio rem tam difficilem adgrediatur, quod si fecerit, futurum esse, ut summi numinis iram in se incendat (1—8, cf. 53. 56). Is enim — inquit — Cynicus non fit genuinus, qui tribonium et peram et baculum adsumpsit, deinde passim mendicat et obvios clamore et conviciis insectatur et obiurgat et, ut in proverbio est, *ἀνίπτοις ποσὶ* in cynicam philosophiam ingressus est (9—12). Eum enim Cynicum, qui ceteris hominibus digne et vere praeesse vult (cf. 18), primum sui ipsius animi cupiditates et adfectus domare, mentem quae est principalis hominis pars (*τὸ ἡγεμονικόν*), sinceram sibi praestare, corpusculum autem nil ad se pertinere necesse est arbitrari (— 22). — Quodsi ita se praeparavit, praeterea pro certo compertum habere debet, *ὅτι ἄγγελος ἀπὸ τοῦ Διὸς ἀπέσταλται πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν ὑποδείξων αὐτοῖς, ὅτι πεπλάνηνται καὶ ἀλλαχοῦ ζητοῦσι τὴν οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ, ὅπου οὐκ ἔστιν, ὅπου δ' ἔστιν οὐκ ἐνθυμοῦνται. — Τῷ γὰρ ὄντι κατάσκοπός ἐστιν ὁ Κυνικὸς τοῦ τίνα ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις φίλα καὶ τίνα πολέμια* (23. 24, cf. *κύριε ἄγγελλε καὶ κατάσκοπε* 38. 77. IV 8, 30: *τοιοῦτος γάρ ἐστιν ὁ Κυνικὸς τοῦ σκήπτρου καὶ διαδήματος ἠξιωμένος παρὰ τοῦ Διός*· vide sqq.). His accedat necesse est tertia virtus, fortitudo et audacia. — Quibus armis instructum, si res ita fert, eum scaena tragica adscensa illud Socraticum vociferari oportet: *Ὦ ἄνθρωποι, ποῖ φέρεσθε;* [1]) *τί ποιεῖτε, ὦ ταλαίπωροι; ὡς τυφλοὶ ἄνω καὶ κάτω κυλίεσθε*, et quasi digito humani generis pravitatem monstrare et exhortari, ne humanam felicitatem aliis in rebus constare putent, nisi in animi incorrupta sinceritate et libertate (— 44).

Talem vitam, quae instabilis sit et sordida, sine certo domicilio, sine lare, sine servo agatur, non solum vivi posse, sed etiam solam beatam esse, qui exemplo suo demonstret, Cynicus

1) V. [Plat.] Clitoph. p. 407 A, Plut. de liber. educ. c. 7, Dionis or. XIII p. 425, Luciani Cyn. 18.

Digitized by Google

a dis ad homines mittitur (— 49). Quare cum Iovi summo serviat, huic officio nunquam deesse debet: eos, a quibus vapulat, tanquam pater omnium et frater diligit; omnia, quae patitur, a deo sibi imponi putat, quo eius virtutis et constantiae gloria augeatur (— 61). Porro uxorem in matrimonium non ducit, ne rei familiaris curis ab officio abstrahatur; sed omnium hominum parens est, viros filios suos esse, mulieres filias (— 82), una omnes civitate homines coniunctos esse putat, quam ipse Cynicus tanquam rex gubernat (— 85, cf. 49. 72. 75. 79). — Sed non ita corpus neglegit, ut ipse eius florem deleat, sed etiam sui ipsius corporis nitida valetudine id simplici et tenui victu non tam debilitari quam corroborari demonstrat et ita verbis suis vim et veritatem reddit (— 89). — Deinde naturalem venustatem ad persuadendum aptam et ingenium versatile et acutum in Cynico inesse oportet, quo expedite et apposite ad convicia et irrisiones respondere possit (— 92), sed etiam tantam tolerantiam, ut adversus iniurias et ictus hominum superbientium non plus sensus quam lapides habere videatur (100 sqq.). Sed primaria lex ea est, ne ceteros vituperare audeat, nisi ipsius mentem antea vitiis purgaverit et suas res in ordinem bene composuerit, quod si omiserit, magis sycophanta nominandus erit et supervacaneis rebus occupatus esse videbitur quam id, quod esse debet, hominum medicus (72) et servator.

His fere paucis comprehensa sunt breviter, quae Epictetus de Cynico exponit. Quid? haec Graeculorum aliquis scripsit, quibus veritas christiana opponi fere solet? Vides viros fuisse praeclaros, qui se dei summi filios esse confisi et hominum misericordia et amore incensi paupertatem, irrisiones, pericula, mortem nihili aestimarent et operam suam et studium ad genus humanum, quod vitiorum potentia oppressum misere iacere videbant, conservandum conferrent. Simul autem apparet, cum Cynici deorum ministri essent et ad homines missi, ut ea mandata exsequerentur, quae ab illis acceperant, cynicam philosophiam ipsis sectatoribus pro deorum religione et oboedientiae lege fuisse, hominibus autem ad

Digitized by Google

salutem et consolationem pro novo evangelio datam et pronuntiatam fuisse. [1])

Sed nunc ad cynicae sectae initia redeamus et, num ea, quae hac de re accepimus, cum Epictetea illa dissertatione consentiant, videamus.

Apud Lucianum in vit. auct. 8 Diogenes Cynicus interrogatus: quid calles? hoc magnanimum responsum dat: *ἐλευθερωτής εἰμι* — inquit — *τῶν ἀνθρώπων καὶ ἰατρὸς τῶν παθῶν· τὸ δ' ὅλον ἀληθείας καὶ παῤῥησίας προφήτης εἶναι βούλομαι.* Ut apud Lucianum Diogenes se veritatis et libertatis prophetam nominat, item in epist. XXI *ἀπαθείας προφήτης* esse vult. Quare non dubito, quin ipse Diogenes hoc nomine se ornaverit. Rectissime Steinhart in Ersch. et Grub. encycl. s. v. Diogenes (sect. I vol. XXV p. 302) Diogenem ea in re cum iis prophetis, qui apud orientis populos exstiterint, consentire animadvertit, quod saepe actionibus symbolicis, quae eius sententia fuerit, significare consueverit; velut quis est, quin nesciat, quomodo homines frustra quaeri demonstraverit?

Sed cuius propheta est ad homines missus? Vocabulum *προφήτης* non ea vi de Diogene dictum est, quam Stephanus in thesauro s. v. intellegit, qui *ἀληθείας καὶ παῤῥησίας προφήτην* esse eum, qui latine veritatis et audaciae in loquendo antistes dicatur, persuasum habet, sed profecto id est, quod Stephanus esse negat, virtutum illarum propheta. Nam eodem modo, quo Lycurgus Bacchi propheta in Rheso v. 972 nuncupatur atque Apollo Iovis patris propheta est, i. e. qui Iovis voluntatem hominibus pronuntiat (Aesch. Eum. 19) vel, ut ipse exemplum aliquod addam, eodem modo, quo Diogenes Laert. in prooemio 1 apud Aegyptos philosophiam penes sacerdotes et prophetas esse narrat, eodem modo Diogenes eius veritatis propheta est, quam ab ipso Apolline didicit. Praedicat enim Iulianus in or. VI p. 188 A, quod cynicae philosophiae non humanus, sed divinus auctor sit, ipse Apollo, qui

1) Cf. Bernays., *Luc. u. d. Kyn.* p. 30 sqq.

Digitized by Google

Diogenem virum dignum esse putaverit, quem sapientiae et voluntatis suae interpretem faceret: *προὔτρεψε δὲ αὐτὸν — διὰ δυοῖν ὀνομάτων· Παραχάραξον τὸ νόμισμα.* Idem in or. VII p. 212 D exponit de Diogene haec: *τὴν πόλιν* (Corinthum) *οὐκέτ' ᾠήθη δεῖν ἐκλιπεῖν. Ἐπέπειστο γὰρ αὐτοῦ τοῖς θεοῖς μέλειν εἴς τε τὴν Κόρινθον οὐ μάτην οὐδὲ κατά τινα συντυχίαν, τρόπον δέ τινα ὑπὸ τῶν θεῶν εἰσπεπέμφθαι, ὁρῶν τὴν πόλιν τρυφῶσαν τῶν Ἀθηναίων μᾶλλον καὶ δεομένην μείζονος καὶ γενναιοτέρου σωφρονιστοῦ.* Hanc opinionem cur non is habere potuit, qui se Apollinis ministrum et prophetam esse confideret? Iovis ministrum Diogenem se nominasse, quem Epictetus philosophum cynicum nominat, quo demonstrari possit, locum non inveni; sed cum Apollo Iovis propheta sit, Diogenes, quippe qui ab Apolline mandata acceperit, eo nomine Iovis quoque ministrum se appellare potuit, eodem modo, quo Maximus Tyrius eum *ἐλευθερωθέντα ὑπὸ τοῦ Διὸς καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος* fuisse in or. XXXVI (II p. 190 R.) praedicat.

Ἐπείσθη γοῦν ἐκεῖνος τῷ Πυθίῳ καὶ οὐ μετεμέλησεν αὐτῷ πεισθέντι. Iam vero alii sacra faciebant, deorum templa adibant, mysteriis initiabantur, ipse tamen deos tales honores non curare ratus multo melius eos ita honorabat, ut animum suum sanctum scelerisque purum redderet (cf. Iulian. in or. VI 199 B). Quare, credo, ut deo oboediret, omnes labores laeto et contento animo suscepit et, cum semper in vitae ratione deorum exempla sequeretur, etiam eorum simplicitatem imitabatur (Diog. Laert. VI 105) et, quoniam his exercitationibus corporis valetudinem et robur firmari, animum autem cupiditatibus et inlecebris liberari vidit, his virtutibus Iovis imperii se participem factum esse (v. Iulianum in or. VII 214 C) et deorum amicitia dignum certam et firmam fidem habebat (Diog. Laert. VI 72). Sapientes veras deorum imagines et simulacra esse dixit (apud Diog. Laert. VI 51) et syllogismo aliquo usus eius, qui deorum amicus esset, omnia esse conclusit (ibid. 72).

Haec igitur erant praemia pietatis et oboedientiae erga deos, praeterea admirabilis animi hilaritas et contenta requies,

Digitized by Google

quam semper e virtutum bona conscientia hominibus exoriri videmus. Hac autem re Diogenes a Stylitis, Essenis, Trappistis, Cartusinis, aliis omnibus similium ordinum quicunque fuerunt, longe differt, qui tristi mentis vesania capti sibi ipsi omnes corporis cruciatus, labores, ciborum abstinentiam imposuerunt et in loca quam maxime remota refugerunt et continuis exercitationibus sempiterna felicitate se dignos reddere conabantur (v. Goettlingi opusc. I p. 276. 261 sq.). At contra Diogenes iam dum vixit, se veram animi felicitatem non hominum alicuius auxilio aut gratiae, sed sibi ipsi debitam adsecutum esse putabat nec, quae post vitam futura essent aut quae in Orco agerentur, curabat.

Sed videamus, quomodo prophetae officiis functus sit. Atque ea fuit philosophiae cynicae natura et indoles, ut non regum aulis vel divitum domibus apta esset, sed maxime ad pauperes et servos et omnes, qui propter parvas res aut negotiorum sordes in omnium contemptu erant, a miseriis et tristitia erigendos et consolandos instituta, quippe cuius primarium esset praeceptum, quo hominis felicitatem non in divitiis, quaecunque sub caelo essent, sed in virtute constare demonstrabatur; virtutem autem quemvis hominem inprimis pauperes adsequi posse. Quare Diogenes passim per loca, in quae hominum multitudo conveniebat, vagari solebat, obvios factos admonebat, cum aut dictis suis brevitate Laconica (cf. Steinhart. l. c.) et in epigrammaton similitudinem compositis aut longiore disputatione continua adloquebatur. Qua in re saepius factum est, ut nemo animum eo intenderet. Tum avium cantum voce imitari coepit et, cum frequens hominum multitudo ad eum se congregaverat, eos vituperabat, quod ad ineptias studiose concurrerent, ad res gravissimas neglegenter morarentur (Diog. Laert. VI 27). Neque Athenis semper mansit, sed cum ludorum tempus appropinquabat, ad Olympia et Pythia proficiscebatur.

Omnium hominum medicus esse volebat et liberator et servator, qui id summum beneficium ultro praestaret, quod nemo iis praestare soleret nisi aut carissimus amicus aut acer-

Digitized by Google

rimus inimicus, ut iis, quantis et quam variis vitiis dediti essent, ostenderet eosque se ipsos cognoscere doceret et meliores redderet (Diog. apud Plutarch. de adul. et amici discrim. c. 51 = fr. 259 Mull. et Diog. Laert. VI 64). Homines enim quasi caecos et, quae suae saluti idonea essent, nescios vitam suam pererrare (Diog. in Stob. flor. LXXX 6 = fr. 60); et quoniam eorum mentes perversae et omni pravitatum genere obrutae essent, Cynici eos *νουθετεῖν* omni modo studebant (cf. Diogenis fr. 9. 36, Diog. Laert. VI 35, Antisth. apud Plut. de utilit. ex inimic. cap. p. 89 B = fr. XLIII p. 64 Winck.).[1]) Irrisit igitur Diogenes eos, qui caput unguentis inunguerent, quamquam inde odores in aerem adscenderent, et ipse pedes inunxit (Diog. Laert. VI 39). Item ridiculum esse dixit, si Agesilaus et Epaminondas apud inferos in caeno degerent, viles autem homines, sed mysteriis initiati in beatorum insulis futuri essent (ibid.); idem consilium secutus est Diogenes in multis suis facete dictis, in multis exhortationibus, in multis actionibus mirabilibus. His cavillationibus *προτρεπτικὰ* adicere solebat, quibus ad cynicam vitam adhortabatur captandam (Diog. Laert. VI 33. 35, Diog. epist. XXIX 2), quippe quae omnium, quae ad virtutem et felicitatem ferrent, viarum brevissima esset (v. Iulianum in or. VII 226 B: *ἡ σύντομος ὁδός ἐστιν αὕτη* et cf. VII 225 sqq.).

Huic loco, quo oratio nostra deducta est, aptum esse videtur, de iis proprietatibus, quae in Diogenis et ceterorum Cynicorum arte rhetorica exstitisse videntur, pauca addere.

In universum enim non errabimus, cum multos illorum orationes, quae etiam ineruditorum hominum durioribus ingeniis aptae erant, non minore studio audisse, quam eloquentiae dicacitatem et acerbitatem horruisse putamus. *Θαυμαστὴ δέ τις ἦν περὶ τὸν ἄνδρα* (Diogenem) *πειθώ, ὥστε πάνθ' ὁντινοῦν αἱρεῖν τοῖς λόγοις* (Diog. Laert. VI 75, cf. Epict. l. c. 90, Zeller. II 1[3] p. 244, 1), et ipse Diogenes dicere solebat *τὸν πρὸς*

1) Anton. et Maxim. p. 250 = fr. 33 Mull.: *ὁ Διογένης ἔλεγεν, ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι κύνες τοὺς ἐχθροὺς δάκνουσιν, ἐγὼ δὲ τοὺς φίλους, ἵνα σώσω* et saepius.

Digitized by Google

χάριν λόγον ἔφη μελιτίνην ἀγχόνην εἶναι (apud Diog. Laert. VI 51). Item Antisthenis in colloquiis suavitas a Diog. (VI 15) laudatur (cf. Zeller. II 1³ p. 242, 8), et Lucianus de Demonacte in eius vita 10 praedicat *ἀεὶ τὸ κωμικὸν ἐκεῖνο τὴν πειθὼ τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ ἐπικαθῆσθαι.* Semper, id quod iam Hippias apud Platonem Socrati exprobravit, de iisdem rebus verba facere solebat, quo firmius ii qui audirent, praecepta sua memoria tenerent, quo factum est, ut orator non suas sententias ipse proferre, sed illorum qui audiebant cogitationum quasi interpres esse videretur. Haec causa est, cur tam saepe Cynicorum dicta his verbis a scriptoribus inducantur: *εἰώθει δὲ λέγειν* (Diog. Laert. VI 38) vel his: *πολλάκις ἔλεγε* (ibid. 3. 24. 44). Nonnunquam Stentoris voce auditores clamantes increpuerunt (vide inprimis Diog. Laert. VI 44: *ἐβόα πολλάκις λέγων*). Semper in promptu erant convicia illa ut *καθάρματα* (Iulian. VI 197 C, Diog. Laert. 32 sq., Luc. Dem. 30, sympos. 16, dial. mort. II 1) et *κακοδαίμονες* (Diog. apud Stob. in flor. XCVII 26, fr. 276 Mull., Diog. Laert. 42. 45. 49). Porro omnia illa artificia orationis adhibebant, quibus alios quoque plebis exhortatores et contionatores christianos in simili dicendi genere uti videmus, quorum exemplum praeclarum Schiller Abrahami a Santa Clara eloquentiam imitatus in monacho illo Capucino proposuit: huc pertinent verborum ambiguitates, *παρονομασίαι* [1]), Homeri versus in ridiculum detorti, *παραγράμματα* (vide Wachsmuth. de his orationis figuris in Sillogr.² p. 69 sqq.), deinde vocabula comicorum poetarum more audacter et iocose composita [2]) porro proverbia orationi inmiscent [3]);

1) *Μόνιμος ὁ κυνικὸς φιλόσοφος ἔφη κρεῖττον εἶναι τυφλὸν ⟨εἶναι* add. Usener*⟩ ἢ ἀπαίδευτον· τὸν μὲν γὰρ εἰς τὸν βόθρον, τὸν δὲ εἰς τὸ βάραθρον ἐμπίπτειν* (Stob. ecl. II 31, 88 p. 216 Wachsm. = fr. 2 Mull.). Cf. Dionis or. IV p. 178: *ὡς ἐπ' αὐτὴν ἄγουσα τὴν εὐδαιμονίαν, ἕως ἂν εἰς τὸ βάραθρον καταβάλῃ λαθοῦσα, εἰς πολύν τε καὶ ὑπαρὸν βόρβορον.* Evolve etiam Luciani Cyn. 18.

2) Crates in Stob. flor. XIV 16 (fr. 32 Mull.) dicit: *Κράτης τοὺς κόλακάς φησι συγκατανευσιφάγους.*

3) Velut illud *οὗτος ὁ κύων τεῦτλα οὐ δάκνει* Diogeni Apostol. XIII 23 (in paroemiogr. vol. II p. 580) adscribit. Idem hoc proverbio ex Euri-

Digitized by Google

eamque comparationibus et allegoriis, ut antea demonstravi, manifestam et distinctam reddunt. Quid? quoniam Christianorum libri sacri talibus orationis figuris abundant, nonne ad horum exemplum et antiquiorum et recentiorum oratorum homiliae comparationibus et allegoriis large ornari fere solent? Tum quod inter poetas praeter Homerum maxime Euripidem laudabant, nonne hanc consuetudinem apud illius temporis homines, qui maxime Euripidem adamabant, gratam et acceptam fuisse credemus? [1]) Adde, quod ad Cynicorum dicendi genus etiam *παίγνια* pertinent, quod Cynici sententiarum antitheses dedita opera captant, mirabilia dicta (*παράδοξα*) venantur, actiones, quae contra omnium opiniones sunt, adiciunt. [2]) Deinde si reputaveris aliorum vituperationibus et irrisionibus magnum solere gaudium hominibus excitari, iam tibi fingere poteris, quanta talium perorationum vis et efficacitas fuerit, praesertim cum omnia, quae docebant Cynici, ipsi sequerentur et suo exemplo eam vitam, quam commendabant, vivi posse et felicissimam esse demonstrarent. [3]) Haec Diogenis cetero-

---

pidis Medeae v. 410 sumpto usus est: *ἄνω ποταμῶν χωροῦσι παγαί* (Diog. Laert. VI 36), quod etiam in Iuliani orationis sextae initio exstat. Quid? quod etiam Dio Diogeni proverbialem locutionem 'ex ima plebe petitam' tribuit? Velut in or. IV p. 156 Diogenes 'ego' inquit 'regem Persarum non pluris aestimo quam digitum minimum' (cf. Casauboni adnot. ad hunc locum et nos in p. 158 adnot.).

1) Cf. Wilamowitz. l. c. p. 312. Iulianus in or. VI 195 B haec scribit: *ἆρά σοι μικρὰ φαίνεται ἀνὴρ* (Diogenes) *'ἄπολις ἄοικος πατρίδος ἐστερημένος'* (v. Hippol. 1029 cum Valckenari adnot.), quem versum Diogenes ipse de se laudasse a Diog. Laert. VI 38 fertur. Vide etiam Diogenem apud Lucianum in vit. auct. 9, Iuliani or. VII p. 213 D 214 B. Ut Homericorum versuum parodiae item Euripidis quoque *παραδιορθώσεις* quae dicuntur Cynicis in promptu fuisse videntur. Notam illam Euripidei versus correctionem: *'τί δ' αἰσχρόν, ἂν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;'* Apostol. XVI 61 a (in paroemiogr. II p. 677) Diogeni, Antistheni Plut., quom. adol. poet. aud. p. 33 C attribuit. Stoicorum Chrysippus Euripidem ita adamavit, ut in libro quodam omnes fere Medeae versus testimoniorum loco adscriberet (Diog. Laert. VII 180).

2) Inde igitur 'Stoicorum *παράδοξα*' originem ducunt.

3) Iulianus in or. VI p. 201 C dicit: *ὠφέλησαν οὐ τοῖς παραδείγμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς λόγοις.*

Digitized by Google

rumque exhortationum ad plebem indoles erat, si quidem e singulis dictis de continuis orationibus aliquid cum veritate concludi potest.

Crates magistri acerbitatem lenisse videtur. Ea quidem in opinione cum Diogene consentiebat, neminem inveniri posse, cui non aliqua certe vitae macula inusta esset, sicut in malo punico semper aliquod granum putridum esse soleret (Diog. Laert. VI 89). Appellabatur autem *θυρεπανοίκτης*, quod in ipsas domos ingressus homines admonebat [1]) et eos, qui inter se discordabant, in pristinam amicitiam et societatem reducebat. At, ut Iulianus l. c., credo, secundum Plutarchi Cratetis vitam narrat, *ἐπετίμα δὲ οὐ μετὰ πικρίας, ἀλλὰ μετὰ χάριτος, οὐχ ἵνα συκοφαντεῖν δοκῇ τοὺς σωφρονισθέντας, ὠφελεῖν δὲ ἐθέλων αὐτούς τε ἐκείνους καὶ τοὺς ἀκούοντας*, ut apud omnes grato animo honorifice reciperetur (Plut. quaest. conv. II 1 c. 6). Hodie quoque ii, quibus mandatum est, ut doctrinas christianas vulgo profiteantur, singulas domos adeunt, discordias solvunt, adhortantur, consolantur iisque liberum vituperandi ius conceditur. Una Cratetis consolatio etiam nunc apud Plutarchum, optimum in hac re testem, traditur. Demetrius enim, cum exsul Thebis parvis in rebus et humili loco vitam degeret, Cratetem sibi appropinquantem vidit *παῤῥησίαν κυνικὴν καὶ λόγους τραχεῖς προσδεχόμενος*. At spes eum fefellit. Nam Crates, qua erat clementia et mansuetudine, ei exponit exsilium malum non esse neque causam ullam cogitari posse, cur id aegre ferat, cum multis incertis et periculosis rebus liberatus sit, et adhortatur, ut in se ipso et animo suo omnem spem reponat (Plut. de adul. et amic. discr. c. 28).

Sed paulatim etiam in hac re Cynismus degeneravit. Nec desunt tales praestigiatores et ostentatores, quales postea recentioris Cynismi tempore, quem alterum Cynismum appellare licet, multi exstiterunt. Menedemus enim Furiae habitu indutus incedebat et pronuntiabat se pro inspectore — *ἐπίσκο-*

1) Haec narrant Diog. Laert. VI 86, Iulianus VI 201 BC, praeterea Apuleius in flor. IV 22, quem locum docto Francogallo Chappuis., *Antisthène* p. 137, 3 debeo.

Digitized by Google

πον enim se appellabat — ex Orco eorum venisse, quae ab hominibus peccarentur, ut dis inferis, quae vidisset, referret (Diog. Laert. VI 102). Inde etiam patet, quam recte Epictetus cynici philosophi officia descripserit; nam ut ille homo vesanus se ex Orco pro legato escendisse simulat, item verum et genuinum Cynicum a dis superioribus tanquam hominum *κατάσκοπον* mitti Epictetus dixit (§ 24). Cf. de Diogene Diog. L. VI 43 et Dionis or. VIII 276: *εἰώθει γὰρ ἐπισκοπεῖν ἐν ταῖς πανηγύρεσι τὰς σπουδὰς τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰς ἐπιθυμίας καὶ πρὸς ἅτινα ἀδημονοῦσι καὶ ἐπὶ τίσι μέγα φρονοῦσιν.*

Veterum Cynicorum homiliae plane deperierunt. Servantur admodum paucae Teletis a Theodoro quodam excerptae. Teles igitur in Stob. flor. V 67 (*περὶ αὐταρκείας*) a Bionis aliquo dicto perorandi initium facit, quo ille de Fortunae inconstantia vehementer conqueritur. Hoc dictum simili modo, quo locus aliquis e libris sacris excerptus in oratorum christianorum homiliis, statim initio a Telete proponitur, cuius explicationi tota, quae sequitur, oratio *περὶ αὐταρκείας* inservit, eiusdem Bionis aliorumque Cynicorum apophthegmatis, quae ad eandem rem pertinent, large ornata. Eodem modo Bionis dictum in Stob. l. c. CVIII 82, Stilponis locum ex libro eius aliquo depromptum ibid. XXXX 8 tractandum sibi sumpsit.

Ita autem homilias suas instituit, ut adversarium aliquem, qui saepius fingitur, raro ipse adest [1]), secum collo-

---

1) Nam Wilamowitz mihi non persuasit eam personam, quam Teles in oratione *περὶ φυγῆς* in Stob. flor. II p. 66 v. 21 adloquitur, ab eo fictam et quasi umbram esse. Dicit enim Teles haec: *σὺ πολλῶν καὶ ἡβώντων βασιλεύσεις* — futurum tempus Wilamowitz non in praesens permutare debuit, cum verbis p. 66, 28 sq. confirmetur: *τί οὖν διοίσει μοι*, Teles ait, *εἰ μὴ ἄρξω* (ut tu), *ἀλλὰ ἰδιωτεύσω; — σὺ πολλῶν*, ut repetam, *καὶ ἡβώντων βασιλεύσεις, ἐγὼ δὲ ὀλίγων καὶ ἀνήβων, παιδαγωγὸς γενόμενος, καὶ τὸ τελευταῖον ἐμαυτοῦ.* Adsunt autem iuvenes, quorum magister Teles est, eiusque orationem audiunt (p. 66 v. 18 *οὐδὲ τὰ μειράκια ταυτί*, quem locum iam Wilamowitz laudavit). Idem vidit ea verba, quae exscripsi, consentire cum his orationis *περὶ αὐταρκείας* (in Stob. flor. I p. 123, 9): *σὺ μὲν ἄρχεις καλῶς, ἐγὼ δὲ ἄρχομαι, φησί, καὶ σὺ μὲν πολλῶν, ἐγὼ δὲ ἑνὸς τουτουΐ, παιδαγωγὸς γενόμενος κτλ.*, atque idem et hunc locum et

Digitized by Google

quentem et altercantem eo consilio faceret, ut per eius personam multitudinis opiniones Cynicorum et ipsius Teletis prae-

---

eum, qui cum eo consentit, ad Bionem, qui paulo ante (p. 123, 5) laudatur, referendos esse et personam, quam utroque loco Teles adloquitur, iam a Bione *λόγου ἕνεκα* fictam a Telete *λόγου ἕνεκα* receptam esse censet. Sed primum possunt quidem verba paginae 123 vers. 9 sqq. etiam ipsius Teletis esse; nam illo '*φησί*' a Theodoro epitomatore adiecto, etiam vol. II p. 67, 16 Teletis verba inducuntur. Quid? si illa necessario ad Teletem referenda sunt propter ea, quae sequuntur? *καὶ σὺ μὲν εὔπορος γενόμενος δίδως ἐλευθερίως, ἐγὼ δὲ λαμβάνω εὐθαρσῶς παρὰ σοῦ, οὐχ ὑποπίπτων οὐδὲ ἀγεννίζων οὐδὲ μεμψιμοιρῶν κτλ.* Quid? haec Teles dixisset, si altera persona ficta esset? Nam id, quod de se ipso — se paedagogum esse (II p. 66, 22 sq.) — exponit, verum esse iam vidimus. Idem repetit I 123, 10 sq. et ei, quem adloquitur, pro liberalitate et donis gratias agit. Ipse igitur aderat principum aliquis, apud quem Teles ea libertate, qua Cynici uti solent, orationem suam *περὶ φυγῆς* habuit.

Illo tempore Teles ipse exsul erat, ut p. 67, 4 testatur: *οὕτω καὶ δεῦρο, ἄβατον ἡγησάμενος τὴν ἰδίαν, μεταβὰς ἀλλαχοῦ κατοικῶ.* Quo autem in exsilium profectus sit, plane ignotum est. Nam ex iis locis, quos Wilamowitz p. 301 notavit, neque eum non Athenis exsulem fuisse neque Megaris in exsilio versatum esse concludi licet. Etiam Athenis Teles dicere potuit: *Χρεμωνίδης καὶ Γλαύκων οἱ Ἀθηναῖοι* (II p. 66, 11), quo eos a Hippomedonte Lacedaemonio (p. 66, 9) discerneret; item Athenis, quae p. 68, 30 sq. exstant: *καὶ Σωκράτην μὲν ἐπαινοῦσιν, ὅταν ἐπιλαμβανόμενος Ἀθηναίων λέγῃ;* Deinde illud exsulis Atheniensis cuiusdam dictum (p. 69, 5) quavis in urbe Graeciae laudare potuit. Quin etiam Teletem Megaris natum esse Wilamowitz contendit (p. 302) et tamen Megaris illam orationem *περὶ φυγῆς* habuisse proponit (p. 301). At quomodo Teles eadem in urbe ortus esse potest, in qua orationem *περὶ φυγῆς* habuit, cum eam, ut modo dixi, exsul factus habuerit?

Deinde fragmentum de divitum inopia in Stob. flor. LXXXXVII 31 Athenis scriptum esse Wilamowitz propterea putat, quod servus, cuius exemplo illud '*ἄπληστον γὰρ ἔχουσι κακοὶ νόον*' comprobare studet (p. 216, 3 sqq.), Atheniensis fieri velit. At primum quaerendum erat, num id exemplum ipse Teles invenisset nec potius, id quod tam saepe fecit, aliunde transcripsisset. Porro quod aliis quoque fragmentis Teletem Athenis commoratum esse demonstrari Wilamowitz in adnot. 11 animadvertit, vir doctus errat. Disputatio enim *περὶ τοῦ μὴ εἶναι τέλος ἡδονὴν* (flor. LXXXXVIII 72) tota a Cratete sumpta videtur esse, qui statim initio nominatur. Deinde I p. 124, 8 sq. Parthenon quidem commemoratur, at in Diogenis Cynici dicto, quod iam Bion laudaverat. Postremo IV p. 51, 15 Lacedaemonias mulieres cum Atticis mulieribus comparat, item Lacedae-

Digitized by Google

ceptis opponerentur et refutarentur, quo maiorem verbis suis fidem redderet (v. Wilamowitz. l. c. p. 307 sq.) neve idem sibi crimini verteretur, quod ipse iis exprobrat, qui oratione continua utuntur: *σὺ δὲ ἐκεῖνο μὲν προφέρῃ, ταῦτα δὲ ἀποκρύπτεις* (IV p. 165, 18 ed. Mein). Itaque in illo fragmento, quod apud Stob. LXXXXV 21 de paupertatis utilitate exstat, statim initio adversarius ponit: *ἡ πενία κωλύει πρὸς τὸ φιλοσοφεῖν, ὁ δὲ πλοῦτος εἰς ταῦτα χρήσιμον*, sed ea, quae inde initium capit, disputatione ad absurdum ducitur. Eadem indoles est eius orationis, quae in Stob. ecl. II 15, 47 p. 194, 27 Wachsm. exstat, et earum, quas Stobaeus in flor. LXXXXVII 31 (de paupertatis utilitate), CVIII 83 (*περὶ εὐπαθείας*), XXXX 8 (de exsilio) recepit, quo loco epitomator adversarii dubitationes et Teletis refutationem sic uno edicto comprehendit: *μήποτε πρὸς μὲν τὸν οἰόμενον ἀλογιστοτέρους τὴν φυγὴν ποιεῖν, ὀρθῶς ἂν παραβάλλοιτο τὰ ἐπὶ τῶν τεχνῶν κτλ.* Quare etiam in hoc orationum genere homiliarum species quodammodo servatur, quo cynicae philosophiae *τόπος* aliquis singulari sermone tractatur ita, ut vulgaris opinio, quae ei contraria est, simul refutetur.

Neque singulis Teletis consilium deerat, id quod ex Stobaei flor. III p. 214, 17 concludi potest. Cum enim a quodam interrogatus esset, num suaderet, ut filium ad Ptolomaeum quaestus parandi causa mitteret [1]), hac dicendi facultate data

---

monias p. 51, 30 cum mulieribus quibusdam, quas ita significat: *ὅρα οὖν, εἰ καὶ τῶν παρ' ἡμῖν τις γυναικῶν τοῦτ' ἂν ποιήσειεν.* Ergo Teles hanc orationem (*περὶ εὐπαθείας*) Athenis scripsit. Ita Wilamowitz concludit. Quid? necesse est illas mulieres *παρ' ἡμῖν* Atheniensium mulieres esse?

Iam res in eodem loco est, quo antea erat: nescimus neque ubi Teles natus sit neque quo in exsilium profectus sit.

1) Locus hic plane corruptus est; sed sententiarum conexus hic est: 'ne miseris filium tuum ad Ptolomaeum neve in Academiam, sed ad Cratetem. Nam etiam Metrocles, quamdiu Theophrastum et Xenocratem adiit, infelix erat et pauper; ad Cratetem transgressus omnibus illis molestiis liber factus est.' Itaque id, quod Wilamowitz coniecit, qui pro verbis traditis *ἀλλ' εἰς Ἀκαδήμειαν πρὸς Κράτητα* scil. *πέμπε* sic scripsit: *ἀλλ' εἰς Καδμείαν πρὸς Κράτητα*, non est verum. Nam verba *εἰς Ἀκαδήμειαν*

Digitized by Google

Teles ita usus est, ut longiore oratione responderet, qua de paupertatis utilitate disputabat. Eodem modo Epictetus a iuvene quodam interrogatus, num se Cynismum adire comprobaret, non soli ei, qui interrogaverat, responsum dedit, sed omnes qui aderant, adlocutus est.[1]) Item Iulianus de Cratete in or. VI p. 201 C narrat: *ἐπετίμα δὲ οὐ μετὰ πικρίας, ἀλλὰ μετὰ χάριτος, — ὠφελεῖν δὲ ἐθέλων αὐτούς τε ἐκείνους καὶ τοὺς ἀκούοντας.*

Iam ad recentiorem sive alterum Cynismum devenimus. De Musonio Rufo Tacitus in hist. III 81 haec tradit: ‘miscuerat se legatis Musonius Rufus equestris ordinis, studium philoso-

---

deesse propterea non possunt, quod Teles etiam Metroclem sine ullo fructu Academiam et Xenocratis scholas adisse commemorat. Magis placet, quod Nic. Posthumus, *de Crat. Cyn.* p. 57 adnot. 56 proponit: *μὴ πρὸς Πτολομαῖον πέμπε — περανεῖ δὲ οὐδέν· οὐδὲ εἰς Ἀκαδήμειαν, ἀλλὰ πρὸς Κράτητα· ἐκεῖνος —*. Sine dubio vir doctus rectam viam ingressus est. Sed magis commode, credo, quomodo verba corrumpi potuerint, explicatur et totus orationis tenor servatur, si tale quid exstitisse putamus: *μὴ πρὸς Πτολ. πέμπε — περανεῖ δὲ οὐδέν.* Iam illum, qui de filio interrogaverat, Teles haec quaerentem fingit: ‘*ἀλλ’ εἰς Ἀκαδήμειαν*’; eodem modo, quo saepius adversarii fictis dubitationibus et interrogationibus sermonem suum distinxit, non solum p. 213, 4 (*καὶ πῶς κτλ.*, cf. Wilamowitz. p. 298), sed etiam p. 213, 6: *οὐ γὰρ κτλ.*, quibus verbis Teles sic respondet: *εἰ δὲ καὶ τοῦτό τίς σοι δοίη ἐπὶ τοῦ παρόντος κτλ.* Tum autem Teletem illo loco perrexisse suspicor: ⟨*μηδ’ εἰς Ἀκαδήμειαν, ἀλλὰ*⟩ *πρὸς Κράτητα.*

Quis is Crates est? Nempe Thebanus, qui semper etiam in aliis orationibus a Telete laudatur, quem etiam Wilamowitz intellegit. Huic autem opinioni temporis ratio obstat. Nam illo tempore, quo haec Teletis oratio scripta est, post Agidis mortem et Hippomedontis fugam ad Ptolomaeum (ita Droysen in Epig. hist. I² p. 407, 2 et 435 rectius quam Niebuhr et Zeller in hist. phil. graec. III 1³ p. 43, 3), Crates, quippe qui secundum Diog. Laert. VI 87 Olympiade CXIII (a. Chr. 328—324) floruerit, non iam vixit, et ipse Teles Cratetem tanquam mortuum commemorat in Stob. flor. V 67 p. 126, 18 (*ἢ οὐ Κράτης καὶ Διογένης πένητες ἦσαν;*). — Deinde Teles dicit: ⟨*μηδ’ εἰς Ἀκαδήμειαν, ἀλλὰ*⟩ *πρὸς Κράτητα* (*πέμπε*) et tamen pergit: *ἐκεῖνος ἠδύνατο ἐξ ἀπλήστων — ἐλευθερίους — κατασκευάζειν.* Ergo latius patet ea corruptela et plura interciderunt (epitomatoris culpa?), quam quae ego per argumentandi causam temptavi. Nam *πέμπε* et *πρὸς Κράτητα* una collocari non possunt; de praeterito tempore agitur.

1) Cf. III 22, 40. 41 (*ἔχετε, ἴστε* etc.).

Digitized by Google

phiae et placita Stoicorum aemulatus, coeptabatque permixtus manipulis bona pacis ac belli discrimina disserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant, qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam.' Antiochus quidam Cynicus in Severi et Caracallae exercitu versabatur, quin etiam honoribus a principe adfectus est, quod incredibili constantia frigora tolerabat et magnitudine exempli sui milites commovit (Dio Cassius LXXVII 19, quem laudat Bernays, *Luc. u. d. Kyn.* p. 30). Deinde is Heraclius, contra quem Iulianus orationem septimam scripsit, unus e multis illis mendicis et praestigiatoribus erat, qui magno baculo adsumpto et capillis promissis iam Cynici facti per urbes et militum castra vagari solerent, quos Iulianus in or. VII p. 224 AB dixit mulionibus esse multo molestiores et magis metuendos quam ipsos milites neque quidquam scire nisi convicia et omnia scelera fraudesque. Porro *παντοφέχται* appellantur (Iulian. VI 197 B) et divitiarum cupidi (cf. Luciani pisc. 45. fugit. 14), qui laborum odio permoti dominos aufugiant et tamen *λοιδορεῖσθαι ἅπασι καὶ τοὺς ἄλλους παιδαγωγεῖν* audeant (v. piscat. 45). Velut Alcidamas Cynicus *βοὴν ἀγαθὸς* in Luciani convivio de virtutibus et vitiis disputat et aurum argentumque irridet, qui postea ebrius factus totum convivium turbat. Horum oratorum virtutem tantum in voce et clamoribus constare, quibus certatim e triviis homines ad se audiendos convocent (v. Luc. Peregr. 3, fugit. 15, Dem. 48, pisc. 35, vit. auct. 11, Iulian. in or. VII p. 214 C et saep.; cf. Bernays. l. c. p. 93 adnot. 13). Romam, Alexandriam (cf. Dionis Chrys. or. XXXII p. 657), Antiochiam (v. Bernays. l. c. p. 99 sq.) eos frequentes convenire et ex hominum stultitia quaestum facere. Nunquam enim deesse, qui eorum in loquendo libertatem tolerent, suadentibus morem gerant, vituperantibus timide concedant (fugit. 12). Quare oratorem stultissimum quemque, qui nihil omnino in eloquentia proficere possit, ne ab ipso quidem Mercurio eruditus, et qui tam perversa sit mente, ut ne ab ipsa quidem Minerva sanari possit, ad Cynismum transire

Digitized by Google

(Iulian. or. VII 225 D). Quam finitimae et quasi cognatae Cynismo homiliae illae et orationes exhortativae fuerint, etiam inde patet, quod Peregrinus primum apud Christianos propheta et praesul et contionator fuit, deinde ad Cynismum transiit et cynicus orator factus est (Bernays p. 37): in Italiam enim profectus omnibus conviciabatur, maxime imperatori, id quod saepius a Cynicis factum est [1]), inde cum in Graeciam venisset, Eleis male dicebat, Graecis suadebat, ut seditionem contra Romanos moverent, saepius apud Olympiorum spectatores contionatus est, postremo hominum amore (*φιλανθρωπίᾳ*) permotus Olympiae sese ipse cremavit, ut mortem contemnendam esse doceret. Menedemi similis erat is Cynicus, qui tribonem et peram e cynico more, pro baculo autem pistillum sumpserat (Luc. Demon. 48), et alius eiusmodi quasi hominum *Μορμώ*, Honoratius ille erat, qui ursi pelle indutus incedebat (Demon. 19).

Sed erant quoque, qui illis mendicis contemptis ad Cynicorum principum constantiam redirent. Velut Epictetus, de quo supra dictum est, et Demonax et Dio Chrysostomus.

Demonax *φιλανθρωπίᾳ* etiam Cratetem superavit; omnibus enim se amicum praestabat neque quisquam erat, quem non domesticum et familiarem putaret (v. Luc. Dem. 10). Medicorum exemplo, qui morbos propellunt, sed iis, qui morbis adflicti sunt, non irascuntur, peccantibus ignoscebat, peccata castigabat (§ 7). Sed non eam vituperationum asperitatem admisit, qua Diogenes utebatur, risus et lusus sibi sumpsit (8. 21). Summa orationis venustate instructus eos, qui felices esse viderentur, quam vanis bonis gauderent, admonebat; eos, qui paupertatem lugebant aut exsilium aegre ferebant aut senectutem et morbum, cum risu et hilaritate consolabatur (cf. 8. 24. 25. 37. 60); dissidentes autem inter se fratres in concordiam conciliabat, *καί που καὶ δήμοις ταραττομένοις ἐμμελῶς διελέχθη* [2]) *καὶ τοὺς πλείστους αὐτῶν ἔπεισεν ὑπουργεῖν τῇ πα-*

1) Cf. Bernays. l. c. p. 28 sq., Iulianum in or. VII p. 224 D.

2) De his Cynici officiis vide Iulianum in or. VII p. 223 BC disserentem.

Digitized by Google

τρίδι τὰ μέτρια (9, cf. 64). Quo factum est, ut a liberis pater nominaretur, et cum aliquam domum intraverat, pro deo et bono genio exciperetur. Post eius mortem Athenienses sedem lapideam, in qua fessus adquiescere solebat, ut augustum aliquod sacellum colebant et coronabant (67). Haec fere de Cynicorum homiliis et adhortationibus ad plebem habeo, quae dicam, in quibus iam Thersites princeps videbatur, quem Demonax *ὡς κυνικόν τινα δημηγόρον* laudasse a Luciano § 61 fertur.

Nunc intellegere possumus, quam vere Wilamowitz l. c. p. 313 haec scripserit: 'Dion und Maximus von Tyros sind die ächten nachkommen der wanderprediger des dritten jahrhunderts.' De Maximo non quaero; Dionem vero rectius dixisset vir doctus etiam in ea re se Cynicum praebere genuinum, quod exhortationes ad plebem et homilias scripsisset.

Etiam de Dione singulare caput in Marthae libro '*les moralistes sous l'emp. romain*' exstat [1]), quo id demonstrare studet et re vera demonstravit, quod p. 243 his verbis exponit: 'ce qui est nouveau (?) dans les maximes de Dion, c'est l'énergique recommandation de la propagande populaire,' et paulo infra: 'Ce qui nous intéresse en lui, ce que nous avons voulu mettre en lumière, ce n'est point son talent, ni sa philosophie, mais ce rôle singulier de sermonnaire païen.' Deinde Martha primam orationem homiliarum speciem prae se ferre perspexit, cum scribit p. 245, 1: 'On rencontre déjà chez les philosophes certaines formes oratoires consacrées depuis par la prédication chrétienne. Ainsi Dion prêche sur une texte, qu'il emprunte au livre par excellence, à Homère.' [2]) Significat autem or. I p. 47.

1) In hoc libro Martha multa eorum repetiit, quae iam in dissertatione sua inaugurali exposuerat, quae inscripta est: 'Dionis philosophantis effigies' Argentorati a. 1854 edita. Librum viri docti Francogalli, Étienne, qui de 'Dione philosopho' est, e Marthae dissertatione cognovi, ipsum mihi comparare non potui. Dubito tamen, num Dionis philosophiam altius a cynicis fontibus repetiverit.

2) Cf. O. Jahn., *eine antike Dorfgeschichte* (de Dionis oratione Eu-

Digitized by Google

Quae cum ita sint, meum erit de ea re accuratius quaestionem instituere, num etiam Dionis homiliae et exhortationes ad plebem a Cynicorum more et exemplo sint compositae.

Dio, postquam exsul factus Romam fugit, totam vitae rationem mutavit: ut Diogeni Sinopensi etiam Dioni exsilium philosophandi initium erat. Sed quomodo simul exsul et cynicus philosophus factus sit, ipse Dio in oratione tertia decima Athenis habita narrare videtur, id quod etiam Martha vidit (*Dion. philos. effig.* p. 9 sq.). Nam in exsilium eiectum meditatum se esse, num exsilium tam graviter et aegre ferendum esset, quam putari soleret. [1]) Ac postremo se cognovisse ipsum Apollinem in exsilio degere non omnino turpe et inutile iudicare, cum Croeso regi, si mulus Medorum regno potitus esset, ut ex Lydia fugeret, suasisset. Et cum persuasum habuisset *χαλεπὸν καὶ κατ᾽ ἄνθρωπον ψεύδεσθαι μὴ ὅτι γε κατὰ θεὸν* (p. 422 R.) — etiam Antisthenes mendacia dici non posse statuit (cf. Aristot. met. IV 29 p. 1024 b 32 = fr. I p. 36 Winck.) — ipsum oraculum adisse responsumque accepisse, ut in eo, quod tum faceret, perseveraret, dum ad extremas orbis terrarum oras venisset. Qua re permotus, humili habitu indutus quoquo versus cum vagaretur, se modo mendicum modo philosophum iudicatum esse, tum philosophi nomen se accepisse.

Itaque ne hoc quidem officium omisit, quod eius, qui ad Cynismum accedere vellet, gravissimum esse Epictetus dixit: quaesivit ex deo, num id, quod facere in animo haberet, comprobaret. Cum autem deum consentire vidisset, *εἰς τὸ νουθετεῖν ἀνθρώπους ἀπέλινεν* (Synesius in Dionis edit. Dindorf. vol. II p. 323, 30). Sed non de iis rebus homines edocere volebat, quae reconditiore doctrina et ut intellegerentur cultiore eruditione egerent, sed de iis, quas omnes scirent, de virtutibus et vitiis. Omnes enim vitia velut avaritiam dedecus

---

boica) in '*Grenzboten*' anni 1867, 3 p. 366 = '*Aus der Alterthumswiss., popul. Aufsätze*' p. 73: 'dessen (Homers) Gedichte diesen Schriftstellern häufig als Texte zu Homilien dienen.'

1) Ut Diogeni videtur apud Dionem in or. VIII 281; vide p. 137 adn. 3.

Digitized by Google

esse non ignorare, tamen ab ea abstinere nullo modo posse; quare eandem docendi rationem secutus est, quam Diogenes; dicit enim: *ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς μυστηρίοις ὁ ἱεροφάντης οὐχ ἅπαξ προαγορεύει τοῖς μυομένοις ἕκαστον ὧν χρή, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τοὺς ὑπὲρ τῶν συμφερόντων λόγους, ὥσπερ τινὰ πρόῤῥησιν ἱεράν, λυσιτελεῖ πολλάκις, μᾶλλον δὲ ἀεὶ λέγεσθαι* (or. XVII p. 464). Hoc autem loco se cum mystagogo aliquo comparat, orationes suas cum divinis et sacris effatis. In or. XII p. 397 philosophum hominibus optimum immortalis deorum naturae prophetam et interpretem appellat. Quare si addas, quae ego de oratione XIII. exposui, de Dione idem dici potest, quod de ceteris Cynicis, scilicet ut Marthae verbis utar (*les moralistes sous l'emp. romain* p. 246, 2): 'Dion a bien le rôle des prédicateurs que Bossuet appelle les ambassadeurs de Dieu.'

Neque ei deest persuadendi vis, quam Cynico genuino necessariam esse Epictetus dixit, id quod iam Philostratus in vit. soph. p. 8, 13 K. animadvertit. Herculem, Cynicorum patronum imitatus totum fere imperium Romanum peragravit, ut nonnulli volunt, leonis pelle indutus [1]), aut sine ullo comite aut exercitus, ut Musonius aliique Cynici, secutus. Haec enim narrat Philostratus in vit. soph. p. 8, 3 K.: *θαμίζων δὲ ἐς τὰ στρατόπεδα, ἐν οἷσπερ εἰώθει τρύχεσθαι, καὶ τοὺς στρατιώτας ὁρῶν ἐς νεώτερα ὁρμῶντας ἐπὶ Δομετιανῷ ἀπεσφαγισμένῳ οὐκ ἐφείσατο ἀταξίαν ἰδὼν ἐκραγεῖσαν, ἀλλὰ γυμνὸς ἀναπηδήσας ἐπὶ βωμὸν ὑψηλὸν ἤρξατο τοῦ λόγου ὧδε· 'Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς', καὶ εἰπὼν ταῦτα καὶ δηλώσας ἑαυτόν, ὅτι μὴ πτωχός μηδὲ ὃν ᾤοντο, Δίων δὲ εἴη ὁ σοφός, ἐπὶ μὲν τὴν κατηγορίαν τοῦ τυράννου πολὺς ἔπνευσεν, τοὺς δὲ στρατιώτας ἐδίδαξεν ἀμείνω φρονεῖν τὰ δοκοῦντα Ῥωμαίοις πράττοντας.* Huic narrationi per omnes partes propterea fidem habeo, quod cynicos Dionis mores adgnosco: cynicam impudentiam, mirabilem actionem, qua multitudinis oculos in se convertit, orationis libertatem,

1) Phot. bibl. cod. CCIX p. 165 a 41, quem Suidas s. v. *Δίων* exscripsit.

Digitized by Google

versum Homeri in ridiculum detortum, exhortationem ad multitudinem. Quid? ut hic Philostratus, nonne item etiam ipse Dio in or. XIII se modo mendicum modo philosophum iudicatum esse dixit? Ut Cynici ceteri etiam Dio id maxime studet, ut se ipse primus cognoscat (or. XIII p. 424), tum demum 'publicus ille censor' exstitit, sed 'non in curiis, in theatris, in hominum congregationibus versatur, sed in triviis ementes, ambulantes, colloquentes pugnantesque obiter intuetur, et in observandis hominum moribus magis se oblectat quam in scenae spectaculis' (Martha, *Dion. philos. effig.* p. 12 secundum or. LXXX init.). Nimirum *κατάσκοπος* vel *ἐπίσκοπος*, quem dicit Epictetus, hominum est.

Sed cum omnia ea lineamenta, quibus Dionis philosophantis effigies describenda est, a Martha in illa dissertatione illoque libro, quem supra laudavi, apte e Dionis orationibus electa et scite inlustrata sint, deinde cum iam Martha Dionem longe a sophistarum ostentatione et vana gloriae cupiditate abesse et omnem eloquentiam suam, omne studium ad hominum mores corrigendos contulisse recte perspexerit et varias rationes et orationum varia genera, quibus illud consilium exsequi conatus esset, optime exposuerit, ego haec omnia nunc repetere nolo et eos, qui haec mea legent, rogare velim, ut ipsius Marthae dissertationes adeant semperque ea, quae ego de Cynicorum dicendi genere exposui, seorsum spectata cum ea Dionis effigie comparent, quam Francogallus descripsit. Nos alia curamus.

Age nunc ad ipsas Dionis orationes accedamus. Sed cum nunc quidem eas omnes perlustrare non possim, paucas tantum eligere mihi liceat.

Atque initium faciamus ab iis, quas in contionibus habuit. Sed omitto de iis orationibus verba facere, quae de concordia urbium habuit (or. XXXIV. XXXVIII—XXXXI. XXXXVIII. XXXXIX), quod genus maxime Cynico conveniens esse iam supra p. 217 sq. vidimus. Omitto Tarsensem orationem priorem (XXXIII), taceo de aliis alibi habitis. Satis habeo unum exemplar instar omnium proposuisse. Eligo autem

Digitized by Google

or. XXXII, quoniam quae Dio de exhortationum ad plebem consilio et indole senserit, ex hac maxime oratione patet. Eam orationem Dio Alexandriae vili tribone amictus habuit (p. 664). ‘Eloquentia’ — inquit — ‘hominibus a dis ad vitia, quae hominum amentia et stultitia excitata totam vitam obruunt, propellenda quasi pro medicamento et incantamento data est (p. 661). Sed e contrario oratores, qui vulgo audiuntur, huic officio aut metu perterriti desunt aut id tam male exsequuntur, ut magis damno quam emolumento sint. Mitto Cynicorum iocos et responsa inurbana [1]), sed etiam ii oratores,

1) Plurima quidem eorum, quae contionatus est Dio, non tam profundam sapientiam et doctrinam prae se ferunt, ut non ab ipso Dione, qui fuit vir sana mente praeditus, inventa et excogitata esse possint; nam ea sunt, quae vel ipsius rei vel loci vel auditorum rationes postulabant. Sed multa etiam insunt passim dispersa, in quibus vel apertius vel tectius cynicae philosophiae tanquam fructus adgnoscuntur. Vehementissime autem in Pseudocynicos convicia ingerit, quorum fraudes et dolos his verbis aperit (p. 657 sq.): *τῶν δὲ Κυνικῶν λεγομένων ἔστι μὲν ἐν τῇ πόλει πλῆθος οὐκ ὀλίγον, καὶ καθάπερ ἄλλου τινὸς πράγματος καὶ τούτου φορὰ γέγονεν· οὐθὲν μέντοι γε καὶ ἀγεννὲς ἀνθρώπων οὐθὲν ὡς εἰπεῖν ἐπισταμένων, ἀλλὰ χρείων τροφῆς. Οὗτοι δὲ ἔν τε τριόδοις καὶ στενωποῖς καὶ πυλῶσιν ἱερῶν ἀγείρουσι καὶ ἀπατῶσι κτλ.* Hic locus, si recte corrigatur, novum cynicae philosophiae vestigium praebet. Omitto virorum doctorum coniecturas recensere, quae aut sententiarum nexui parum consentaneae aut propterea non aptae videntur esse, quod, si verba *οὐθὲν μέντοι* usque ad *τροφῆς* de Cynicis intelleguntur, verborum *οὗτοι δὲ* et quae sequuntur, quibus Cynici aliis quibusdam opponuntur, omnis vis perit. Maxime ea de causa etiam Hilgers vituperandus est, qui ‘in Dionis Chrysost. orat. Alexandrin. observat.’ p. 5—9 lectionem traditam permutandam non esse censet, nisi quod pro *φορὰ* scribit *φθορά*. Unde haec sententia evenit: ‘et ut ex alio quodam facinore sic ex hac quoque re, i. e. ex permagna Cynicorum in urbe multitudine pernicies exorta est.’ Verbum *φθορὰ* apte restitutum, explicatum vix recte est; etiam cetera eius inventa plane falsa sunt. Quare ego sic totum locum scribo: *τῶν δὲ Κυνικῶν λεγομένων ἔστι μὲν ἐν τῇ πόλει πλῆθος οὐκ ὀλίγον, καὶ καθάπερ ἄλλου τινὸς πράγματος, καὶ τούτου φθορὰ γέγονεν· οὐθὲν μέντοι γε καὶ ἀγεννὲς ἀνθρώπων οὐθὲν ὡς εἰπεῖν ἐπισταμένων ἄλλ’ ἢ χρειὼ τροφῆς· οὗτοι δὲ κτλ.* h. e. Cynicorum, qui dicuntur, in urbe magna multitudo est, et ut aliae res item haec in peius mutata est. Nam profecto per se omnino nil turpe habet, quod homines nil sciunt, nisi victus

Digitized by Google

qui eruditiores esse videntur, aut orationes demonstrativas habere solent aut aures vestras cantationibus inplent, sed omnes magis ipsorum laudi et emolumento quam vestrae saluti inserviunt (p. 658 sq.). Bonus orator libertate et audacia utitur, id solum agit, ut auditoribus prosit (p. 659 et saepius), eos meliores reddat (p. 657), ad moderationem perducat (p. 667), eorum morbis medeatur (p. 658 sq. 662 sq. 667), ut Dio omnia oratoris officia uno vere cynico verbo complectitur, eos conservet (p. 662). Talis orator ego sum, sed *οὐκ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ μοι δοκῶ προελέσθαι τοῦτο, ἀλλ᾽ ὑπὸ δαιμονίου τινὸς γνώμης. Ὧν γὰρ οἱ θεοὶ προνοοῦσιν, ἐκείνοις παρασκευάζουσι καὶ συμβούλους ἀγαθοὺς αὐτομάτους καὶ λόγους ἐπιτηδείους καὶ ξυμφέροντας εἰρῆσθαι* (p. 659). Quare dis gratias agite, quod talem oratorem invenistis (p. 665)!' Praestat igitur se Dio, ut dixi, deorum legatum et ministrum. 'Ego quidem', pergit Dio, 'non de caelo aut terra dicturus sum, sed, id quod maiorem utilitatem habet, de ipsius populi sive Alexandrinorum populi natura et indole' (p. 665). Homines autem de ipsorum natura edocere secundum Cynicorum praecepta, quae supra p. 101 exposui, nil aliud est, nisi eos ut se ipsi cognoscant, consuefacere. Videaris tibi videre Diogenem ipsum ex Orco iterum escendisse. An non Dio se cynicum contionatorem praestat genuinum, cum plebem vituperationibus cumulat sive, ut ipsius Dionis verbo (p. 666) utar, quod idem Diogenes semper in ore habebat, plebem *νουθετεῖ*? Sed non ita conviciis auditores obruit, ut eorum animos plane offendat, immo eos docere studet (p. 659), videlicet, ut Diogenis aliqua comparatione utar, vecordem sanari non posse ratus, si et ipse saevire incipiat. Ita autem docet, ut auditoribus non parcat neque a verborum amaritudine abstineat (p. 662). Consensit igitur cum Antisthene et Diogene, qui veritatem, ut vim haberet atque robur, amaram esse debere putaverunt.

---

inopiam, illi autem (scil. Pseudocynici) mendici quidem sunt, sed primum molesti fiunt, cum in triviis dona poscunt, deinde insuper pueros decipiunt et nautas et tale vulgus, quod iocis suis et hariolationibus et inurbanis responsis inescant.

Digitized by Google

Sed satis de orationis genere et indole dictum sit, qua in describenda nil fere erat agendum, nisi ut quae antea de Cynicorum exhortationibus ad plebem exposita sunt, repeterem: tam plane Dio cum illis consentit.

Age nunc videamus, num nova ex Dione de Cynicorum humiliis discere possimus. [1])

Atque primo loco id Dionis homiliarum genus commemoro, quo Homeri carminibus adhibitis locos quosdam, qui quidem ad rem propositam idonei videantur, ex huius poesi excerptos interpretatur ita, ut mox eam interpretationem longiore oratione continua ad ethica praecepta inde elicita deflectat, quod homiliarum genus per necessitatem quandam a Cynicorum ratione in Homericorum carminum interpretatione adhibita prodiit.

Haec num vere dicta sint, ut cognoscatur, haec de Cynicorum, inprimis Antisthenis et Dionis, qui eum secutus est, Homerica interpretatione praemonenda sunt.

Fons et origo moralis Homeri interpretationis, ut iam supra dictum est, in ea opinione est, qua poetae docere et erudire homines velle putantur. Qua cum opinione altera arte cohaeret ea, quam Democritus apud Dionem in or. LIII 274 hisce verbis proponit: *Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων, ὡς οὐκ ἐνὸν ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως οὕτω καλὰ καὶ σοφὰ ἔπη ἐργάσασθαι.* Homerus igitur etiam altiore quam pro hominibus et quasi divina sapientia praeditus esse putatur. Idem Antisthenem sensisse, etsi per se credibile est, Dionis loco quodam saepe laudato, sed adhuc non satis explicato confirmatur. Dico enim Dionis or. LIII p. 276, ubi haec leguntur: [2]) *ὁ δὲ Ζήνων οὐδὲν τῶν τοῦ Ὁμήρου ψέγει, ἅμα διηγούμενος καὶ διδάσκων, ὅτι τὰ μὲν κατὰ δόξαν, τὰ δὲ κατὰ ἀλήθειαν γέ-*

---

1) Dionem homilias scripsisse ab iis viris doctis didici, quos p. 218 laudavi; de certo quodam homiliarum genere, de quo postea dicturus sum, Rohde me docuit.

2) Haec ex Zenonis libris *προβλημάτων ὁμηρικῶν πέντε* excerpta esse nullo argumento addito Wellmann in annal. philol. CVII (1873) p. 443 suspicatur.

Digitized by Google

γραφεν, ὅπως μὴ φαίνηται αὐτὸς αὑτῷ μαχόμενος ἔν τισι δοκοῦσιν ἐναντίως εἰρῆσθαι. Ὁ δὲ λόγος οὗτος Ἀντισθένους ἐστὶ πρότερον, ὅτι τὰ μὲν δόξῃ, τὰ δὲ ἀληθείᾳ εἴρηται τῷ ποιητῇ. Ἀλλ᾽ ὁ μὲν οὐκ ἐξειργάσατο αὐτόν, ὁ δὲ καθ᾽ ἕκαστον τῶν ἐπὶ μέρους ἐδήλωσεν. Antisthenem et Zenonem Dio sequitur, qui in or. VII p. 254 sq. Homerum ipsum de Menelao rege contraria dicere videri exponit, quam sententiam postquam accuratius explicavit, pergit sic: talia dicimus, non quo poetarum clarissimorum gloriae ex poesi egregie comparatae invideamus aut vituperandi et coarguendi prava cupiditate ducamur (scil. ut Homeromastiges), *ἀλλὰ παρ᾽ ἐκείνοις μάλιστα εὑρήσειν ἡγούμενοι τὴν τῶν πολλῶν διάνοιαν περί τε πλούτου καὶ τῶν ἄλλων, ἃ θαυμάζουσι καὶ τί μέγιστον οἴονται σφίσι γενέσθαι ἂν ἀφ᾽ ἑκάστου τῶν τοιούτων.* Nam cum fieri non possit, ut singulos adeas et quaeras tale quid: ‘cur tu, homo, paupertatem metuis, divitias magni aestimas? et tu quod tandem lucrum te facturum esse putas, si divitias comparaveris aut commerciorum causa negotiator aut rex factus sis?’ — haec igitur cum nemo facere possit, *οὕτως οὖν ἐπὶ τοὺς προφήτας αὐτῶν καὶ συνηγόρους, τοὺς ποιητάς, ἐξ ἀνάγκης ἴωμεν, ὡς ἐκεῖ φανερὰς καὶ μέτροις κατακεχλεισμένας εὑρήσοντες τὰς τῶν πολλῶν δόξας. Καὶ δῆτα οὐ πάνυ μοι δοκοῦμεν ἀποτυγχάνειν.*

Quid igitur docet Homerus? Atque Antisthenes non ex iis Homeri interpretibus est, qui Homerum rerum naturae peritissimum fuisse et narrationibus suis multas et praeclaras *φυσικὰς ὑπονοίας* sive allegorias abdidisse putabant, inter quos erat Theagenes Rheginus, omnium, qui tunc florebant, *τῶν περὶ Ὁμήρου δεινῶν* princeps, vel Metrodorus, Anaxagorae discipulus (v. Diog. Laert. II 11), sed eum inter eorum numerum referendum esse, qui Homerum ad ethica praecepta adhibuerunt, ex iis omnibus, quae et de eius philosophiae indole et interpretationis Homericae studio accepimus, colligere licet. Secutus igitur est Metrodorum, qui praeterquam quod physicas allegorias ex Homero conquisivit, etiam aliam Homeri interpretandi rationem iam ab Anaxagora inventam

Digitized by Google

excolebat, qua Homeri poesin *περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης* esse ostendebat (v. Diog. l. c.).

Antisthenis qualis fuerit interpretatio, aptius significari non poterit quam Useneri verbis ex quaestionibus eius Anaximeneis (p. 15) petitis hisce: ‘propria illi aetati communisque interpretandi ratio eo potest comprehendi, quod prorsus eadem erat atque argumentorum tractatio et rhetorica et dialectica; tenendum enim est hinc omnino accensa illa studia esse. Poetarum loci personaeque habebantur *παραδείγματα, μαρτυρίαι* (cf. Arist. rhet. II 15), *ἀφορμαὶ ἐκ τῶν κεκριμένων*.’ Profecto haec erat totius interpretationis Antisthenicae summa et consilium primarium, nimirum quod ad illam Cynicorum opinionem referendum est, quam saepius commemoravi, qua virtutum et vitiorum certa exempla proposita ad hominum mores corrigendos efficaciora esse putabant quam longas disputationes et meras exhortationes. Hoc igitur sensu secundum Antisthenem in Iliade temperantiae exemplar Nestor est, sapientiae Minerva; in Odyssea Ulixes tanquam viri sapientis exemplum inducitur, qui *πολύτροπος* ab Homero propterea nominatur, quod artem rhetoricam ita callebat, ut ea, quae dicturus erat, vario modo eorum qui audirent ingeniis semper accommodare posset (schol. ad α 1 = fr. I p. 24 W. coll. Dindorfi adn. ad Od. schol. I p. 10 v. 4; Duemmleri Antisth. p. 23).

Sed ea re Antisthenes a Metrodoro longe differt, quod is Homerum nil aliud spectare exponit, nisi ut virtutes doceat (*περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης*), contra Antisthenes eum etiam vitiorum exemplaria proposuisse putabat. Nam Plato Antisthenis interpretationem denotat, ut Duemmler l. c. p. 25 sqq. demonstravit, cum in reip. libro X p. 598 D haec dicit: *οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, μετὰ τοῦτο ἐπισκεπτέον τήν τε τραγῳδίαν καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῆς Ὅμηρον, ἐπειδή τινων ἀκούομεν, ὅτι οὗτοι πάσας μὲν τέχνας ἐπίστανται, πάντα δὲ τὰ ἀνθρώπεια τὰ πρὸς ἀρετὴν καὶ κακίαν καὶ τά γε θεῖα.*

Hanc eandem rationem Dio excepit. Oratione enim LV, qua ut Socratem Homeri discipulum esse evinceret, cum alias similitudines, quae inter illos intercederent, tum eam com-

Digitized by Google

memoravit, quae in horum duorum philosophia exstaret (p. 285): *πρὸς δὲ τούτοις ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐσπουδαζέτην καὶ ἐλεγέτην, ὁ μὲν διὰ τῆς ποιήσεως, ὁ δὲ καταλογάδην· περὶ ἀρετῆς ἀνθρώπων καὶ περὶ κακίας καὶ ἁμαρτημάτων καὶ κατορθωμάτων, καὶ περὶ ἀληθείας καὶ ἀπάτης καὶ ὅπως δοξάζουσιν οἱ πολλοὶ καὶ ὅπως ἐπίστανται οἱ φρόνιμοι.* Porro sicut poeta narratione sua id egisset, ut exempla virtutum et vitiorum proponeret hominibus, item Socratem certis quibusdam personis usum esse ad res propositas declarandas (p. 289). Itaque in Iliade Dolonem exemplar ignaviae esse et gloriae cupiditatis, impietatis Pandarum, contumaciae et iactationis Asium, prudentiae et artis imperatoriae Polydamantem, moderationis Nestorem, incontinentiae Agamemnonem. Odysseae personas Dio neglexit, tantum Antinoum tanquam insolentiae et petulantiae exemplar commemorat.

Etsi nemo pro certo adfirmare potest, Antisthenem ipsum de personis illis Homericis item iudicavisse, ut Dio iudicavit, tamen tota interpretandi ratio est profecto Antisthenica.

Eadem etiam in aliis Dionis orationibus adgnoscitur, velut in or. LVII, quae est de Nestore tanquam sollertis oratoris exemplo, qua ea subtilius exponuntur, quae in or. LV 288 tantum breviter commemorata erant. Sed cum Antisthenis fragmenta non exstent, quibuscum singula huius orationis argumenta comparari possint, res incerta est, ex quibus fontibus Dio orationem suam hauserit. Tamen summatim Nestor Dioneus non differt ab Antistheneo, de quo vide fr. I p. 24 Winck.

Porro sine dubio is Ulixes, cuius mores et sapientiam in or. LXXI p. 377 sq. Dio laudat, Antistheneus est. Negat enim orator philosophi esse, de omnibus rebus sententiam dicere; immo philosophum de iustis et veris verba facere, alias autem artes eum curare non oportere. Duos autem excipit philosophos, qui omnes scientiae et artis genus tenuerint, Hippiam et Ulixem. Hunc enim non solum sapientem et prudentem fuisse Homerus narrat, sed etiam omni eloquentiae genere eruditum. Apud quemvis enim apte — inquit Dio —

Digitized by Google

verba facere potuit: apud multitudinem et apud paucos singulosque, praeterea in contionibus et inter convivantes, et si ita evenerat, in itineribus, apud reges, privatos, liberos, servos; quin etiam ubi deformis et mendicus factus est, non minus apud viros, mulieres, puellas. Quid? talem oratorem nonne *πολύτροπον* eo sensu nominare licet, quo Antisthenes vocabulum illud acceperat? Et sicut Hippias, item Ulixes multas artes et opificia didicerat; sed ipse sis Dionem adeas. Ulixes igitur genuinus sophista est, non solum propterea, quod totius *παιδείας* sive cultus humani scientiam unus per se cognitam tenet, sed etiam, ut Duemmler l. c. p. 23 recte animadvertit, 'rhetorico studio cuius Antisthenes e sophistarum institutione aestimationem magnam semper retinuit, exstitit patronus.' Adde, quod ipsa Ulixis eloquentia e sophistarum disciplina est, cum *πολύτροπος* sit et ad quidvis *διὰ βραχέων* respondere et de quavis re *διὰ μακρῶν* perorare paratus. [1]) Quae cum ita sint, non nimiae audaciae est totum Dionis locum ad Antisthenem referre.

Etiam in or. LIII p. 278 sq. Dio Antisthenis Homericam interpretationem imitatur. Multa — inquit — Homerus utilia et praeclara scripsit: *τὰ μὲν ἄλλα εἰ διεξίοι τις, πολὺ ἄν*

---

1) Vide anonymum sophistam apud Mullach. in fragm. phil. graec. I p. 551 b 18 sqq., qui hominis et artis eiusdem esse exponit — id enim verba corrupta *ἀνδρὸς κατὰ τὰς αὐτὰς τέχνας* significant, quae hoc fere modo emendanda videntur: *(τῶ αὐτῶ) ἀνδρὸς καὶ τᾶς αὐτᾶς τέχνας* —, *κατὰ βραχύ τε δύνασθαι διαλέγεσθαι ... καὶ δαμαγορὲν οἷόν τ' ἦμεν* h. e. continua oratione longa perorare [Mullach coniectura sua *καὶ διὰ μακρῶν* hunc locum plane corrupit]. Et quis est, qui Platonem legerit, qui nesciat illo tempore *λόγον μακρὸν* et *βραχὺν* non minore acerbitate inter se certasse, quam *λόγον δίκαιον* et *ἄδικον* apud Aristophanem? Socrates et Socratici *βραχὺν λόγον* sive dialogum adiuverunt, *λόγος μακρὸς* oratorum provincia est (v. Protag. p. 328 E 329 A), sophistae se utriusque potentes esse profitentur: cf. Protag. p. 329 B: *Πρωταγόρας δὲ ὅδε ἱκανὸς μὲν μακροὺς λόγους καὶ καλοὺς εἰπεῖν, — ἱκανὸς δὲ καὶ ἐρωτηθεὶς ἀποκρίνασθαι κατὰ βραχὺ καὶ ἐρόμενος περιμεῖναί τε καὶ ἀποδέξασθαι τὴν ἀπόκρισιν* —. V. Phaedr. p. 267 B. Huc pertinet etiam Antisthenis fragmentum, de quo in 'Addendis' dicturus sum.

Digitized by Google

ἔργον εἴη, ὅσα πεποίηκε περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, περὶ δὲ τῶν βασιλέων ἐν βραχεῖ, οἵους φησὶ δεῖν εἶναι. Cum enim regem aliquem laudat, eum *Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον* nominat, et omnes bonos reges *διοτρεφέας*, Minoem, quem propter iustitiam praeclarum factum esse apud omnes constat, tanquam *Διὸς ὁμιλητήν τε καί*, ut Dio illa verba explicat, *μαθητὴν* praedicat. Quare ostendit bonos reges Iovis aemulos esse debere.

Haec et alia ista in oratione breviter explicata accuratius et copiosius in or. IV et orationibus primis tribus Traiano imperatori dedicatis, qui Dionis fautor et amicus erat (v. Themist. or. V p. 63 d, Philostr. vit. soph. p. 8, 15 K.), disserit.

Ac primum in oratione quarta illo loco, ubi Diogenem de divina et humana institutione verba facientem inducit, Cynicus p. 154 (coll. cum p. 149 et 151) Alexandrum recte Iovis filium nominari exponit, si quidem prudens fortisque sit et divina institutione et regiis virtutibus a Iove imbutus. Nam quod Homerus Iovem deorum et hominum patrem dicat, per se apparere deum optimum improborum et scelestorum patrem non esse. Etiam Minoem omnes regias virtutes, quibus excelleret, a Iove didicisse, epitheto, quo eum ornaverit, Homerum ostendere; nam Iovis *ὀαριστὴν* appellari. *Ἆρ' οὐ τὸ ὀαρίζειν ὁμιλεῖν ἐστιν; Οὐκοῦν ὁμιλητὴν τοῦ Διός φησιν αὐτὸν εἶναι, ὥσπερ ἂν εἰ ἔφη μαθητήν. Ἆρ' οὖν ὑπέρ τινων ἄλλων αὐτὸν οἴει ὁμιλεῖν τῷ Διὶ πραγμάτων ἢ τῶν δικαίων καὶ βασιλικῶν;* [1]) cf. or. I 56. Porro si reges *διοτρεφεῖς* et *Διὶ φίλους* (cf. or. I 56) et *ποιμένας λαῶν* (cf. I 48) laudationis causa appellet, item eum significare velle eos re vera reges esse, qui Iovis eruditione instructi sint.

Nunc autem disputatio nostra eo devenit, ut intellegamus, quomodo Dio his studiis Homericis ad homilias scribendas adductus sit.

Quid? nonne prima oratio homiliarum indolem manifesto prae se fert? Priusquam ad ipsam rem accedat, sub

1) Cf. [Platon.] Min. p. 319 A—320 D.

Digitized by Google

prooemii finem Suadam, Musas, Apollinem invocat eodem modo, quo oratores christiani ab ipso deo auxilium precari solent.[1]) Tum autem quam rem tractaturus sit, his verbis p. 47 proponit: *φέρε εἴπωμεν τά τε ἤθη καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ χρηστοῦ βασιλέως ἐν βραχεῖ περιλαμβάνοντες, ὡς ἔνεστιν,*

ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βουλεύῃσιν.

Primum igitur Dio, ut fere in homiliis fit, eum locum proponit, de quo verba facere cogitat. Atque oratores quidem christiani ad hanc rem libris sacris uti solent, Dio Homerum adhibuit, qui erat, ut ait Martha, 'le livre par excellence.' Et ut libri sacri, ut recte intellegantur, interpretis alicuius arte et sapientia indigent, item secundum Dionis sententiam, ut vidimus, Homerus. Quare Dio, ubi illos versus laudavit, statim quid Homerus dicere voluerit, quaerit; pergit enim sic: *πάνυ γὰρ οὖν καλῶς σὺν ἄλλοις πλείοσιν Ὅμηρος ἐμοὶ δοκεῖν καὶ τοῦτο ἔφη, ὡς οὐχ ἅπαντας παρὰ τοῦ Διὸς ἔχοντας τὸ σκῆπτρον, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην, ἀλλὰ μόνους τοὺς ἀγαθούς.* Tum alios Homeri locos laudat, qui ad rem propositam explicandam apti ei videntur.

Hac orationis parte p. 49 finita illam interpretationem inlustrat ita, ut quas virtutes ex Homeri sententia modo adumbrata regem habere oporteat, ut et dis placere (p. 49) et imperio digne fungi possit (— p. 55), longiore oratione exponat. De certo enim quodam rege verba facere recusat, ne sibi adulatio aut calumniandi cupiditas exprobretur, praesertim cum, si de rege ipso qualis esse debeat, simpliciter disserat, simul boni reges, quantum boni regis exemplo a se proposito similes sint, laudentur, mali reges, quantum ab eo differant, vituperentur. Nam cum oratores eos qui audiunt singulos omnes adloqui et *ἐξελέγχειν* nequeant, etsi fuerunt contionatores, qui eos, quos castigationibus punire volebant, vel digito monstrarent, tamen ea semper homiliarum condicio et indoles esse debet, ut in universum de virtutibus et vitiis in iis

1) Ita recte Martha, *les moralistes sous l'emp. rom.* p. 245, 1.

Digitized by Google

agatur et ita ii qui audiunt eo perducantur, ut ipsi se cognoscant et quid peccaverint, quid recte fecerint, edoceantur. Eodem igitur modo Dio boni regis speciem describit, sed, ut ipse p. 58 dicit, omnes, quotquot legionum duces sint et castrorum et urbium et nationum praefecti et imperatores, admonitos esse vult, ut exemplo a se proposito similes fiant.

Sicut oratio I, item secunda ad homiliarum genus pertinet. Qua Philippus et Alexander de Homeri virtutibus inter se colloquentes inducuntur. Alexander autem a patre interrogatus, quibus de causis Homerum tam valde adamaverit, haec respondet: *τὴν δέ γε Ὁμήρου ποίησιν μόνην ὁρῶ τῷ ὄντι γενναίαν καὶ μεγαλοπρεπῆ καὶ βασιλικήν, ᾗ πρέπει τὸν νοῦν προσέχειν ἄνδρα μάλιστα μὲν ἄρξειν μέλλοντα τῶν ὅποι ποτὲ ἀνθρώπων* (p. 74). Nam Homerum multa docere, quae ad veram et genuinam regis eruditionem pertineant (p. 87), non solum bonorum sed etiam malorum regum exemplis propositis (p. 85 sq.).

Tota autem oratio in eo versatur, ut, quid Homerus de rege bono senserit, interpretatione eadem, qua antea Dio usus est, adhibita exponatur, multique versus et loci Homeri carminum laudantur et explicantur, quos longum est perlustrare. Iam cum sub finem orationis Philippus valde de filii sapientia gavisus Aristotelem multis donis dignum esse putet, *εἰ τοιαῦτά σε*, inquit, *διδάσκει περί τε ἀρχῆς καὶ βασιλείας, εἴτε Ὅμηρον ἐξηγούμενος εἴτε καὶ ἄλλον τρόπον*, his verbis ipse Dio concedere videtur Homeri interpretationem, qua in ea oratione usus est, ab Aristotelis doctrina alienam esse. [1])

Profecto tota interpretandi ratio Antisthenica est. Nam cum Plato, ut Duemmler in Antisthenicis p. 25 sqq. exponit, in reip. libr. X et in Ione dialogo Antisthenis interpretationem castigaverit, e reip. l. c. p. 598 D 606 E discimus Homerum ab Antisthene omnium rerum humanarum et divinarum optimum praeceptorem et summum ad recte agendum auctorem existimatum esse; eademque sententia in Ione a Socrate

1) Ita Rohde hunc locum explicat.

Digitized by Google

vel potius Platone refutatur. Plane eandem Dio prodit, cum reges semper ad illa exempla oculos referre iubet, quae Homerus proposuerit.

Sed ne id quidem a Dione fictum esse item e Platone apparet. Nam Ion rhapsodus in dialogo illo p. 540B Socrati artes quidem ex Homero disci non posse concedit, sed *ἃ πρέπει, — ἀνδρὶ εἰπεῖν καὶ ὁποῖα γυναικί, καὶ ὁποῖα δούλῳ καὶ ὁποῖα ἐλευθέρῳ, καὶ ὁποῖα ἀρχομένῳ καὶ ὁποῖα ἄρχοντι*, harum igitur rerum, nimirum quae ad morum eruditionem pertineant, Homerum fontem et principium esse adfirmat. Itemque in reip. X p. 599C etiam eam opinionem impugnat, qua Homerus in carminibus suis artem imperatoriam, civitatis administrationem, morum educationem consulto tradidisse putetur. Hoc cum Platonis loco iam Duemmler p. 29 sq. Xenophontis conv. IV 6—8 aptissime contulit. Ibi Niceratus gloriatur se omnes Homeri *ὑπονοίας* intellegere et ea instructum sapientia homines meliores reddere posse. *Ἴστε γὰρ δήπου, ὅτι Ὅμηρος ὁ σοφώτατος πεποίηκε σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων· ὅστις ἂν οὖν ὑμῶν βούληται ἢ οἰκονομικὸς ἢ δημηγορικὸς ἢ στρατηγικὸς γενέσθαι ἢ ὅμοιος Ἀχιλλεῖ ἢ Αἴαντι ἢ Νέστορι ἢ Ὀδυσσεῖ, ἐμὲ θεραπευέτω. Ἐγὼ γὰρ ταῦτα πάντα ἐπίσταμαι. Ἢ καὶ βασιλεύειν, ἔφη ὁ Ἀντισθένης, ἐπίστασαι, ὅτι οἶσθα ἐπαινέσαντα αὐτὸν τὸν Ἀγαμέμνονα, ὡς βασιλεύς τε εἴη ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής; Καὶ ναὶ μὰ Δί', ἔφη κτλ.* Item Agamemnon apud Dionem *'βασιλικῆς παιδεύσεως'* exemplum est, velut p. 87. 89. 90 sq., ubi idem Homeri versus laudatur, qui ab Antisthene apud Xenophontem citatur:

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής (*Γ* 179),

deinde p. 96 (cf. *B* 412 sqq.); eadem autem in pagina haec verba exstant: *πλὴν ὅτι γε τὴν αἵτοῦ γνώμην ἅπασαν ἀποδείκνυται σαφῶς, ὅτι πάντων ἄριστον οἴεται δεῖν τὸν βασιλέα εἶναι· μάλιστα δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος* (v. quae seq.).

Sed alia Antisthenica vel Cynica multa in ea Dionis oratione esse suspicor. Primum inter se conferri possunt verba paginae 87: *τὸν γοῦν Διομήδη πάνυ στερεῶς κατέκλινεν ἐπὶ*

Digitized by Google

βύρσης ἀγραύλου βοὸς et Diogenis epist. XXXVII 4: *ἡμᾶς δὲ κατάκλιναι, ὡς Ὅμηρος τοὺς ἥρωας ἐν Ἰλιάδι* (*K* 155) *κατέκλινεν ἐπὶ ῥινοῦ βοὸς ἀγραύλοιο.*' — Deinde mirum quantum Dio cum Nicerati illo dicto conspirat: Niceratus se homines meliores esse redditurum pollicetur, cum Achilli vel Aiaci vel Nestori vel Ulixi similes redditurus sit; eorundem heroum exempla regibus a Dione proponuntur, Achillis p. 79. 80. 82. 92, Aiacis p. 80. 87, Nestoris p. 80, Ulixis p. 80. Porro Niceratus gloriatur se Homeri interpretatione *δημηγορικὸν* factum esse; Dio Achillis et Ulixis exemplis ostendit rem magni pretii esse regi eloquentiam p. 79 sq. Iam ipse Xenophon indicare videtur, cum Antisthenem Nicerati verba supplentem faciat, ne illa quidem ab Antisthenis doctrina aliena esse (v. Duemmler. l. c. p. 30). Quid igitur est? iam Antisthenes illos heroes laudavit, et ita laudavit, ut Niceratus et Dio.

Oratio tertia aliam praestat homiliae speciem iam antea commemoratam, cum de Telete verba fecimus. Cuius generis sunt etiam nonnullae aliae Dionis orationes velut or. VI. IX; nimirum, ut Rohde animadvertit, Dio etiam tales easque vere cynicas homilias habuit, quarum in initio philosophi alicuius dictum ponitur, quod explicetur confirmeturque ipsius oratoris, quae sequitur, disputatione. Hoc modo Dio in or. III Socratem de Persarum regis dignitate disserentem facit, ipse Dio, quam recte ille dixerit, ita ostendit, ut de virtutibus et felicitate regis boni et de tyranni vitiis et miseriis (p. 137 usque ad fin.) disputet. In priore parte (— 114), quae Socrati tribuitur, Dio cynicos fontes secutus est [1]), in altera eadem fere de

---

1) Iam Buecheler in mus. rhen. vol. XXVII, in quo Themistii oratio 'de virtute' ex Syriaca lingua in nostram conversa exstat, p. 451, 1 animadvertit Socratem Themistii, qualem p. 451—453 se praebet, eius Socratis similem esse, quem Dio in or. III p. 102. 109—114 de rege Persarum disputantem fecit. Quare si Themistius ex cynicis fontibus hausit, item Dio, si quidem similiter de Socrate narrat, ipse cynicam doctrinam secutus est.

De fontibus suis ipse Themistius profitetur, cum philosophia, quae de virtute sit, in tres partes inter se diversas divisa sit, se primum eam viam, qua ad vitae felicitatem progrediamur, quam Epicurus et Aristoteles

Digitized by Google

rege exponit, quae in duabus primis orationibus. P. 114 autem Dio Socratis verbis haec adicit: *τοιαῦτα μὲν ἐκεῖνος εἰώθει*

et Socrates eumque secuti Antisthenes, Diogenes, Crates ostenderint, allegorice describere (p. 440—442) et regiones, per quas itinera illa facienda sint, et pericula, quae proficiscentibus immineant. Disertis verbis addit initio Zenonem et Chrysippum philosophiam cynicam secutos postea mediam inter Diogenem et Aristotelem viam ingressos esse. Themistius ergo non stoicam, sed cynicam virtutem describit, cuius in laudem tota oratio habita est. — Nam cum primum allegorice eam viam commendaverit (p. 442), simpliciter, quaenam cynica virtus sit, exponit (p. 447—453). Hominum, ait, bona non ea sunt, quae putantur, quae ab alienis parantur, sed in ipsa cuiusque animi et ingenii virtute cernuntur. Hoc praeceptum de virtute vere cynicum est (v. Zeller., quem iam Buecheler comparavit, II 1³ p. 258). Pergit Themistius (p. 447—449) de virtute eodem sensu, quo Antisthenes apud Diog. Laert. VI 12sq.: *ἀναφαίρετον ὅπλον ἀρετή, . . . τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν.* Etiam eius rei probandae causa exempla singula, quae adfert, ex bonae notae fontibus sumpta: de Cratetis macie (p. 449 sq.), de Hercule Antisthenis (p. 450 sq.), de Diogene in moribus naturam ipsam sequente, a quibus docte dictum Cleanthis discernit, quo eandem vitam commendaverat. P. 453 porro quod dicit, 'Den Sokrates aber, der dies redete, räumten die Athener, weil sie ihn nicht ertrugen, in Art von Kindern, die Ort und Zeit finden ihren Pädagogen zu misshandeln, mit Gift aus dem Wege', imitatus esse potest Antisthenem, qui de Thebanis pugna apud Leuctra commissa gloriantibus dixit *οὐδὲν αὐτοὺς — διαφέρειν παιδαρίων ἐπὶ τῷ συγκόψαι τὸν παιδαγωγὸν γαυριώντων* (Plut. vit. Lycurg. c. 30 = fr. XXXXVII p. 65 Winck.). — Iam quid iudicandum est de Socratis exemplo, quod his cynicae philosophiae reliquiis insertum est, eo consilio, ut id, quod antea Themistius proposuit, nil nisi virtutem sequendam esse, comprobetur? Is Socrates non ille Xenophonteus esse potest — nam tale Socratis dictum de Xerxe in memorabilibus non exponitur — nec sophistarum (vide anonymum sophistam apud Mullach. fragm. philos. graec. I p. 545a 22), neque ullus alius nisi aut Platonicus (Gorg. 470 E, cf. Wyttenb. ad Plut. de educ. pueror. p. 6 A) aut Stoicus (v. Zeller. III 1³ p. 254) aut Cynicus. Sed concedendum est, cum, quod iam dixi, Socrates inducatur, ut cynicam doctrinam auctoritate sua stabiliat, nos quidem suspicari posse neminem illo auctore usum esse aptius quam ipsum Cynicum aliquem. — Quam Socratis disputationem breviter enarrem. Socrates ab aliquo interrogatus, num ei Persarum rex felix videretur, id negavit, quoniam eum sapientiae studere nesciret. — Eadem, ut nunc de similitudine dicam, quam Themistius cum Dionis orationis III p. 102. 109—114 habet, Socrates apud Dionem (p. 102) interrogatus respondet. — Iam apud Themistium is, qui So-

Digitized by Google

λέγειν, προτρέπων ἀεὶ πρὸς ἀρετὴν καὶ βελτίους ποιῶν καὶ ἄρχοντας καὶ ἰδιώτας. Apparet idem consilium Dionis fuisse, cum has orationes de regno scripsit. Vere igitur Rohde iudicavit Dionem etiam in ea re Cynicorum sectatorem se praebere, quod secundum eorum exempla protreptica [1]) scripsit ad hominum mores corrigendos (v. p. 200 sq., ubi Cynicorum protreptica recensui).

Postremo loco tertiam commemoro Dionis homiliarum speciem, qua e genuino Cynicorum more exemplum aliquod proponitur et postea, quid inde discamus, longiore oratione exponitur. Huc pertinet celeberrima illa narratio Euboica, cuius indolem O. Jahn (*pop. Aufsätze* p. 74) tam scite descripsit, ut facere non possim, quin ipsius eius verba apponam: ‘er (Dio) interessiert sich ernstlich für den Biedermann, der wie Seume's Canadier die übertünchte Höflichkeit der Stadt nicht kennt, und ihm wesentlich als Folie für seine moralische Betrachtung dient.’ Quid rectius dici potest? Nam, ut etiam Martha (*Dion. philos. effig.* p. 23 sq.) vidit, hanc fabellam Dio non ea tantum de causa enarravit, ut audientium animos delectaret, sed ‘ut laude non incredibili pauperum conversatio-

---

cratem compellaverat, tale iudicium valde admiratus ingentem regni magnitudinem, potentiam, divitias Persarum regis laudibus tollit, de quibus si Socrates audisset, aliter eum iudicaturum fuisse putat. Animadverte eandem interrogantis admirationem apud Dionem p. 110. 112. — Ad haec Socrates se illa omnia scire respondet; sed in iis vitae felicitatem et virtutem constare se iudicare non posse. Quae autem sit ea virtus, illo iterum interrogante respondet, esse scientiam et prudentiam et veritatem; opus esse unicuique scire, quid in sua cuiusque potestate situm sit et quid non situm sit. Iam videamus Socratis responsum apud Dionem p. 111. 112 sq.; dicit (p. 111): *εἰ μὲν ἦν σώφρων καὶ ἀνδρεῖος καὶ δίκαιος καὶ μετὰ γνώμης ἔπραττεν, ὅσα ἔπραττεν, ἰσχυρὸν αὐτὸν ἡγοῦμαι καὶ μεγίστην ἔχειν τῷ ὄντι δύναμιν. Εἰ δὲ αὖ δειλὸς καὶ ἀνόητος καὶ ἀσελγὴς καὶ παράνομος καὶ δι' ὕβριν ταῦτα ἐπιχειρῶν, τοὐναντίον ἔμοιγε ἀσθενέστερος εἶναι δοκεῖ τῶν σφόδρα πενήτων καὶ μηδὲ ἕνα γῆς κεκτημένων βῶλον.* Ipse perlegas sis p. 112 sq., videbis, quanta sit sententiarum similitudo.

1) Cf. or. IV p. 161: *ταῦτα δὲ ἔλεγεν ὁ Διογένης προτρέπων αὐτὸν κτλ.*, p. 168: *ἄν πως ἰσχύσωμεν ἀποτρέψαι κακίας καὶ ἀπάτης.*

Digitized by Google

nem et innocentiam velut oculis proponendo, ipsam pauper-tatem honestaret.'

Profecto in universum hic Dionis mos est, ut virtutum certa quaedam exempla proponat et ad eos aemulandos ad-hortetur. Huc pertinent eae orationes, quae de Diogene sunt. Videtur enim Dio philosophum illum suae ipsius aetatis so-phistis opponere voluisse, quorum odio vehementissimo Dio ardere nunquam desiit, ex quo tempore eloquentiam sophisti-cam dimiserat, et ut ipse Diogenes sophistarum et oratorum inimicissimus erat (cf. Diog. Laert. VI 28. 47. 48, Luc. dial. mort. X 10), item Dio eum orationibus suis eorum vanitatem et dolos castigantem inducit (or. IV 147. 151. 152 sqq. 165, VIII 277. 287). Et in universum credibile est Dionem Dio-gene pro sapientis et veri philosophi exemplo usum esse [1]) et ad eandem virtutem, qua ille insignis fuit, et ad eam philosophiam, quam ille professus erat, homines invitare voluisse.

Quod autem huius rei causa hunc virum e Cynicis elegit, illorum temporum cogitationes et voluntates secutus est, quo-rum hominibus, etsi Antisthenis scripta nondum oblivione ob-ruta erant, tamen Antisthene multo magis cognitus et acceptus erat Diogenes, quem multi etiam Cynicorum principem existi-maverunt, velut ea sententia in Cratetis epist. XVI legitur (*ἡ μὲν κυνικὴ φιλοσοφία ἐστὶν ἡ Διογένειος*), quae a Iuliano refutatur in or. VI p. 187 C, et in Luciani vit. auctione, ut per Chrysippi personam stoica vita venumdatur, ita per Dio-genis cynica.

V

Praeter Diogenem etiam Hercules apud Dionem cynicae virtutis exemplar est. Idem enim, quod de Homeri interpre-tatione valebat, etiam de ea ratione, qua Cynici fabulas inter-pretabantur, valet. Nam ex toto heroum numero Herculem

1) Rohdii coniectura est.

Digitized by Google

elegerunt eo consilio, ut illum tanquam exemplum genuini Cynici omnibus huius philosophiae sectatoribus proponerent; neque unquam, ex quo tempore Antisthenes clarissimum librum de Hercule scripsit, illum Cynici tanquam patronum suae sectae celebrare desierunt. Quid? quod etiam Cynici quidam eum sectae cynicae principem fuisse putabant? Discimus hoc ex Iuliani or. VI p. 187 BC, qui de Hercule statim initio cynicarum suarum hypotyposeon, ut ita dicam, haec dicit: *ἡγεμόνα μὲν ⟨οὖν* add. Reiske⟩ (Cynismi scil.) *οὐ ῥᾴδιον εὑρεῖν. — Ὁ Κυνισμὸς οὔτε Ἀντισθενισμός ἐστιν οὔτε Διογενισμός. Λέγουσι μὲν γὰρ οἱ γενναιότεροι τῶν κυνῶν, ὅτι καὶ ὁ μέγας Ἡρακλῆς — τούτου τοῦ βίου παράδειγμα τὸ μέγιστον οὗτος κατέλιπεν ἀνθρώποις.* Quae opinio sine dubio Antisthenis scriptis illis confirmata est, quorum *τύπον* tanquam tantum sui similem Iulianus VII p. 217 A laudat. Et ut extremis cynicae sectae e temporibus petita exempla adferam, ut Lucianus in Demon. vita c. 1 narrat, Sostratus quidam Boeotus in Parnasso vitam degit, qui ut alter Hercules ingenti corporis robore praeditus latrones sustulit, vias munivit, pontes in locis transitu difficilibus fecit (v. adnot. in tom. V p. 535 sq. edit. Bip.). *Πατρῷε Ἡράκλεις*' sic eum Lucianus in Peregr. 4 appellat; Peregrinus Herculis exemplo se ipse comburit (ibid. c. 21. 24. 25, alia exempla Zeller collegit in hist. phil. graec. II 1³ p. 261, 4; cf. Duemmler. in Antisthenicis p. 23).

Quare hoc ex more est, quod Dio Alcidam in or. VIII 284 sqq. tanquam laboriosae vitae exemplum proponit et eodem modo non solum in Traiani usum illum omnium regum optimum fuisse in or. I p. 59 sqq. demonstrat, sed etiam Alexandro in or. IV 151 sq. aemulandum opponit.

Sed quaeritur, utrum Dio ipse haec omnia de Hercule invenerit an e cynico quodam fonte hauserit. Quodsi Cynicorum scripta, quae de Hercule sunt, recensemus et reputamus, quaenam ex iis eum in hoc argumento secutum esse verisimile sit, e fontium numero statim Diogenis tragoedia secludenda est, in qua, ut supra demonstravimus, iocose de Hercule egit. Restant igitur Cratetis tragoedia 'Hercules' et Anti-

Digitized by Google

sthenis libri *Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ φρονήσεως καὶ ἰσχύος* [1]) et *Ἡρακλῆς καὶ Μίδας*, si genuinus est.

E duobus Cratetis quae traduntur fragmentis (v. Duemmler. in Antisthenicis p. 68) nil de Dione discimus. Age Antisthenei Herculis reliquias cum eo comparemus!

Habemus autem octo fragmenta, si ad ea, quae Winckelmann p. 15. 16. 18 fr. IV et VI [2]) collegit, unum addas e Themistii oratione *περὶ ἀρετῆς* in mus. rhen. XXVII p. 450 sq. Praeterea Antisthenis sententias, quas de Hercule dixerat, hos locos referre equidem puto:

I) Dionis or. IV p. 151 sq. (1. de Herculis eruditione; 2. de Hercule rege).
II) Eiusdem or. I p. 64 (de Herculis *αὐταρκείᾳ*).
III) Diogenis Laertii VI 10—13 nonnulla Antisthenis placita.
IV) Euseb. praep. ev. XV 4, 16 (de Herculis virtute).
V) Iuliani or. VII p. 219 D.
[VI) Dionis or. I p. 64 sqq. (de Herculis regno)].

Quomodo hi loci ad Antisthenem redeant, nostrum est, accuratius exponere.

I ! Incipiamus a Dionis or. IV 151 sq. Hic Diogenes duas homines instituendi rationes esse exponit, alteram humanam, alteram divinam, quam his verbis describit: esse *ἐνίοτε μὲν παιδείαν, ἐνίοτε δὲ ἀνδρείαν καὶ μεγαλοφροσύνην. Καὶ οὕτω δὴ Διὸς παῖδας ἐκάλουν οἱ πρότερον τοὺς τῆς ἀγαθῆς παιδείας ἐπιτυγχάνοντας καὶ τοὺς τὰς ψυχὰς ἀνδρείους καὶ πεπαιδευμένους ὡς Ἡρακλέα ἐκεῖνον.* [3]) De gente idem Diogenes dicit, quod anus illa Dorica, quacum Dio se collocutum esse

---

1) Hoc enim titulo duos eos libros coniungendos esse Mueller, *de Antisth. vita et scriptis* p. 41 putat (quem sequuntur Chappuis, *Antisthène* p. 29 et Susemihl in Fleckeiseni annal. 135 [1887] p. 209), quos Diog. Laert. recenset sub titulo *Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ ἰσχύος* et *Ἡρακλῆς ἢ περὶ φρονήσεως ἢ* (melius *καὶ* praeeunte Welckero opusc. II p. 483 Krische, *die theol. Lehren d. griech. Denker* p. 244) *ἰσχύος*.

2) Cf. Duemmler. in Antisthenicis p. 6, 1 et Susemihl. l. c. p. 212; num fr. II p. 17 sq. Winck. et V p. 18 'Herculi' cum veritate adscribantur, dubium est; v. Susemihl. l. c. p. 212 sq.

3) Secundum Dionem Iulianus in or. II p. 82 A sqq. eadem exponit.

Digitized by Google

narrat, in or. I 63 adumbrat; de disciplina Herculis locus similis est in or. I p. 64: *ἦν δὲ καὶ πεπαιδευμένος ἁπλῶς, οὐ πολυτρόπως οὐδὲ περιττῶς σοφίσμασι καὶ πανουργήμασιν ἀνθρώπων κακοδαιμόνων.* In oratione autem IV 152 ita Diogenes pergit: *οὐκοῦν ὅστις ἂν ἐκείνην τὴν παιδείαν* (divinam) *ἔχῃ καλῶς πεφυκώς, ῥᾳδίως καὶ ταύτης*[1] *γίγνεται μέτοχος ὀλίγα ἀκούσας καὶ ὀλιγάκις, αὐτὰ τὰ μέγιστα καὶ κυριώτατα, καὶ μέμνηται καὶ φυλάττει ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ οὐδεὶς ἂν αὐτὸν ἔτι τούτων ἀφέλοιτο οὔτε καιρὸς οὔτε ἄνθρωπος σοφιστής, ἀλλ' οὐδ' ἂν πυρί τις ἐκκαῦσαι βουλόμενος· ἀλλὰ κἂν ἐμπρήσῃ τις τὸν ἄνθρωπον, ὥσπερ τὸν Ἡρακλέα φασὶν αὐτὸν ἐμπρῆσαι, μένοι ἂν αὐτοῦ τὰ δόγματα ἐν τῇ ψυχῇ.*

Statim elucet omnia haec, cum Hercules hac institutione imbutus sit, etiam ad eum pertinere.

Tota autem sententia sapientiam sophisticam redolet. Nam simillimam anonymus sophista, ex quo tam multa de huius disciplinae institutis discimus, apud Mullach. in phil. graec. fragm. I p. 551 a 12 praebet: *ἔστι δέ τις καὶ φύσις. Αἱ γάρ* (codd. *δὲ*) *τις μὴ μαθὼν παρὰ σοφιστῶν ἱκανὸς ἐγένετο,*[2] *εὐφυὴς* (scil. *ἐντὶ*) *καὶ γενόμενος ῥᾳδίως συναρπάξαι τὰ πολλὰ ὀλίγα μαθών, παρ' ὥνπερ καὶ τὰ ὀνύματα μανθάνομεν.* Similia apud Platonem saepius leguntur. Talia, praesertim cum de institutione ea, qua Hercules eruditus est, dicantur, etiam Antisthenem, qui Gorgiae sectator erat, scribere potuisse facile concedemus.

Sed quid multa et incerta quaerimus, quoniam casu felici contigit, ut duobus Antisthenis fragmentis cum hoc loco comparatis, Dionem ex Antisthenis Hercule hausisse rivulis nescio quibus intercedentibus demonstrare possimus?

Primum enim ex Hercule fragmentum illud exstat, quo de virtute dicitur *ἀναπόβλητον ὑπάρχειν* (Diog. Laert. VI 105).

Deinde autem totius loci Dionei summa cum illo Herculis

---

1) I. e. huius, quae apud nos est, humanae igitur, ut recte explicavit O. Ribbeck.

2) Sic interpungendum est; aliter M. Schanz de hoc loco in Hermae vol. XIX p. 383 sq.

Digitized by Google

fragmento consentit, quod Themistius tradit. Dio enim exponit eum, qui divinam institutionem nactus sit, hac comparata etiam humanam institutionem facile sibi paraturum esse. Eandem sententiam secundum Themistium Antisthenes in Hercule ita protulerat, ut Promethea Herculi haec dicentem fingeret: ‘sehr verächtlich ist deine Handlungsweise, dass du um weltliche Dinge dich bemühst; denn du hast die Sorge um das Wichtigere unterlassen. Denn du bist kein vollendeter Mann, bis du das gelernt, was höher ist als die Menschen, und wenn du dies lernst, lernst du auch das Menschliche. Wenn du aber allein das Irdische lernst, bist du irrend wie die wilden Thiere.’

Hac Dionis et Themistii sententiarum similitudine fit, ut alter locus altero explicetur et corrigatur.

Ac Dionis quidem locus aptus est, ex quo mendum aliquod in Antisthenis illo fragmento latens corrigamus. Buecheler in adnot. p. 450 de Themistii fragmento haec dicit: ‘der Tadel gegen Herakles konnte bei der Geltung dieses Gottes in der kynischen Schule nur vorübergehend ausgesprochen werden, musste in der weiteren Entwicklung berichtigt und beseitigt werden.’ Sed Promethea haec Herculi exprobrasse persuadere mihi non possum. Nam Dio in or. IV p. 152 de his duabus instituendi rationibus disserit, de eodem argumento Themistius agit; uterque scriptor divinam institutionem laudat: eo usque alter cum altero consentit, deinde inter se discedunt. Dio Herculem divina institutione imbutum esse dicit; ad eandem apud Themistium Prometheus Herculem excitat. Quid ergo? ‘Prometheus sprach zum Herakles’ — ita num recte Themistii verba se habent in interpretatione Syriaca? Immo erat, ut Hercules diceret haec Prometheo. Quare debebat exstare: ‘Herakles sprach zum Prometheus.’ Quam facile haec nomina vel auctor ipse vel interpres vel librarius inter se commutare potuit! Et verba: ‘Wenn du aber allein das Irdische lernst, bist du irrend wie die wilden Thiere’ Herculem ut cynicum philosophum multo magis decent quam Promethea. De animalibus enim Cynicos et saepe et varia

Digitized by Google

ratione disputasse p. 106 sqq. et eodem modo, quo Themistius disputavit, p. 174. 175 sq. demonstravi.

Age nunc explicemus, quid de Dione ex ipso Antisthenis fragmento discamus. Quis enim sophista est, a quo Dio eum, qui divina virtute instructus sit, hac privari posse negat? Ut enim certum quendam sophistam significari statuam, ea re permoveor, quod Dio virtutem neque a sophista deleri neque igni exuri posse dicit et verbis, quae statim sequuntur, se Herculis mortem in Oetaeo monte factam notare significat. Quid? is sophista nonne Prometheus est? Quoniam is apud Themistium humana eruditione imbutus ab Hercule res divinas curante vituperatur et propterea, quod hominum varia *μαθήματα*, quae Cynici neglegebant, intenta cura tractat, sophista ab Antisthene appellari poterat. Huc accedit, quod Diogenes apud Dionem ipsum fabulam ita interpretatur, ut Promethea sophistam fuisse convincat: *τὸν δὲ Προμηθέα, σοφιστήν τινα, ἐμοὶ δοκεῖν, καταλαβὼν* (scil. Hercules) *ὑπὸ δόξης ἀπολλύμενον καὶ νῦν μὲν οἰδοῦντος αὐτῷ καὶ αὔξοντος τοῦ ἥπατος, ὁπότε ἐπαινοῖτο, πάλιν δὲ φθίνοντος, ὁπότε ψέγοιεν αὐτόν, ἐλεήσας καὶ φοβήσας ἔπαυσε τοῦ τύφου καὶ τῆς φιλονεικίας· καὶ οὕτως ᾤχετο ὑγιᾶ ποιήσας* (VIII p. 286). Hunc Promethea, qui certe Cynicus est [1]), iam Buecheler (ad Themistii locum) fortasse Antistheneum esse rectissime adnotat. Nam cum Dio in or. IV p. 151 sq. Antisthenem secutus sit, cur non idem de or. VIII p. 286 putemus, praesertim cum hic locus cum Themistiano Antisthenis fragmento optime conciliari possit? [2])

1) Eodem modo Alexandri mores a Diogene in or. IV (p. 156 huius libelli) describuntur. Dein verba *δόξα* et *τῦφος* Cynicorum quasi tesserae sunt.

2) Cf. Servium ad Verg. ecl. VI 42: 'haec autem omnia non sine ratione finguntur' — dicit autem fabulas, quae de Prometheo narrantur — 'nam Prometheus vir prudentissimus fuit, unde etiam Prometheus dictus est *ἀπὸ τῆς προμηθείας*.' — Sed cum alii virum sollertem propterea incusarent, quod inutiles artes homines docuisset, maxime hac de causa alii eius *φιλανθρωπίαν* praedicabant. Itaque quod Prometheum artem sophisticam callere saepius legitur, haec sententia ad Antisthenem redire videtur. Velut Iuppiter apud Lucianum commiseratur, quod a callido illo

Digitized by Google

Hac ratione ego Antisthenis fragmentum apud Themistium servatum rectius explicasse mihi videor, quam Duemmler in Antisthenicis p. 14. Is enim sub Herculis persona Antisthenem ipsum, Platonem sub Promethei latere putat, qui rerum humanarum studio contempto idearum conspectum philosopho appetendum esse doceat. Verba autem Antisthenis sunt haec: ‘Der aber, dessen Interesse für die Dinge dieser Welt ist, und der die Denkkraft seiner Intelligenz und seiner Klugheit auf diese schwachen und engen Dinge beschränkt, ist nicht ein Weiser, —. Denn erhaben sind alle himmlischen Dinge und erhabene Gedanken müssen wir über sie haben’, quae verba Duemmler Prometheo adscripsit, ego Herculi adscribo et hoc modo interpretor: is, qui mentem suam et prudentiam inpendat ad rerum humanarum naturam cognoscendam divina eruditione neglecta, stultus est.

Hoc est Herculis et Promethei colloquium, cuius de consilio et fine O. Ribbeck in hist. poes. rom. I p. 254 sq. optime haec coniecit: ‘Herakles aber hatte ihm nachgewiesen, dass der Adler, welcher seine Leber plage, eben der philosophische Dünkel sei, und hatte ihn von diesem Ungetüm befreit. Vielleicht hat schon Antisthenes wie Theophrast unter der prometheischen Gabe des Feuers den verhängnisvollen Trieb zur Philosophie verstanden, welchen der Titane dem irdischen Geschlecht zu dessen Unglück eingepflanzt habe.’

Itaque cum nobis contigerit, ut Antisthenis Herculem Dionis fontem fuisse duobus de locis demonstraremus, alios quoque locos, qui de Hercule sunt, ex eodem Cynico haustos esse suspicari licet. Sed videamus, num certiora argumenta adferre possimus.

I 2 Duo sunt loci, quibus de Hercule hominum rege, sed

---

homunculo tam saepe deceptus sit (Iuppit. trag. 1, deor. dial. I 1), et ne iterum ludibrio habeatur, quam sapienter cavet! *Κατασοφίζῃ με, ὦ Προμηθεῦ*, Prometheo petenti, ut a Caucaso solvatur, respondet (deor. dial. I 2); cf. etiam Luc. Prom. s. Cauc. 4 (Mercurius loquitur): *τὴν ἐν τῷ μέσῳ δὴ ταύτην σχολὴν καλῶς ἂν ἔχον εἴη, ἐς ἀκρόασιν καταχρήσασθαι σοφιστικήν, οἷος εἶ σὺ πανουργότατος ἐν τοῖς λόγοις.*

Digitized by Google

plane diverso modo agitur, or. IV p. 150 sq. et or. I p. 63 sqq. Priore loco Alexander timore perterritus, ne eruditionis regiae imperitus esse videatur, quis eam doceat, e Diogene quaerit. Ad haec Diogenes respondet: 'ipse eam Iuppiter habet et cum iis communicat, quibuscum vult. *Οἷς δὲ ἂν μεταδῷ, πάντες οὗτοι Διὸς παῖδές εἰσί τε καὶ λέγονται.*' Tum de divina et humana eruditione disputatur, ut supra exposuimus, et p. 151 sub finem ita pergitur: *καὶ οὕτω δὴ Διὸς παῖδας ἐκάλουν οἱ πρότερον τοὺς τῆς ἀγαθῆς παιδείας ἐπιτυγχάνοντας καὶ τοὺς τὰς ψυχὰς ἀνδρείους καὶ πεπαιδευμένους ὡς Ἡρακλέα ἐκεῖνον.* Quid igitur Dio de Hercule dicit? Nimirum haec: Hercules, quod divinam sive regiam eruditionem a Iove accepit, recte in fabulis Iovis filius appellatur. Regni autem verbum non proprie usurpatur, sed ad id imperium transfertur, quod in animi mentisque virtutibus constat (cf. supra p. 91 sq.). Hercules igitur, ut probum Cynicum decet, rex est et Iovis filius. Deinde Luciani Cynic. 13 conferendus est: *Ἡρακλέα τὸν πάντων ἀνθρώπων ἄριστον, θεῖον δὲ ἄνδρα καὶ θεὸν ὀρθῶς νομισθέντα,* et Epictetus III 24, 16 Herculem sic praedicat: *οὐ γὰρ μέχρι λόγου ἠκηκόει, ὅτι πατήρ ἐστιν ὁ Ζεὺς τῶν ἀνθρώπων, ὅς γε καὶ αὐτοῦ πατέρα ᾤετο αὐτόν.* Ex his argumentis Dioneum Herculem Cynicum esse apparet; cum autem Antisthenes in Hercule divinam ab humana discreverit eruditionem et Herculem ipsum divina imbutum esse exposuerit, etiam eam fabulae interpretationem, quae ex hoc discrimine pendeat, Antistheneam esse verisimile est. Quodsi Dio propterea Herculem regem fuisse et recte Iovis filium existimatum esse exponit, quod divina eruditione educatus sit, ea quoque in re Antisthenem sequitur.

Sed etiam in or. I 63 sq. Hercules rex nominatur. Postquam Dio in universum de bono rege disputavit, inde a p. 59 ita pergit, ut fabulam sive potius narrationem referat, quam, cum exsul per Elidis loca deserta vagaretur, ex muliere aliqua Dorica greges pascente audivit. Quae vaticinationis, inquit, perita exsilium meum mox peractum iri praedixit; nam imperatorem praepotentem me inventurum esse dixit, cui ut

Digitized by Google

ea, quae mihi narrasset, nuntiarem, me monuit. *Ἦν μὲν γὰρ* (Hercules), incipit anus illa, *ὡς πάντες λέγουσι, Διὸς υἱὸς ἐξ Ἀλκμήνης*. De genere ergo idem, in quo omnes consentiunt, etiam mulier illa narrat. Sed statim ipsa fabulae obloquitur; quae iam de Hercule dicit, ea nihil aliud sunt, nisi fabulae interpretatio euhemeristica. Fuit enim Hercules *βασιλεὺς δὲ οὐ μόνον Ἄργους, ἀλλὰ καὶ τῆς Ἑλλάδος ἁπάσης — τοῦτο δὲ οἱ πολλοὶ οὐκ ἴσασιν — ἀλλ' ὅτι* (nisi quod) *αὐτὸς ἀπεδήμει στρατευόμενος καὶ φυλάττων τὴν ἀρχήν· οἱ δ' Εὐρυσθέα φασὶ βασιλεύειν τότε. Ταῦτα μὲν οὖν λέγεται μάτην ὑπ' αὐτῶν,* immo Hercules, quippe qui *πάντων πολὺ κρείττων* fuerit, non solum Graeciae, sed etiam omnium, quae a solis ortu usque ad occasum patent, terrarum rex fuit. Item falso fabula Herculem solum terras peragrantem labores illos ingentes perfecisse tradit; quomodo enim urbes capere, tyrannos interficere potuit nisi exercitu adiutus? Sed fama illa orta est, quoniam Hercules *αὐτουργὸς ἦν καὶ τῇ ψυχῇ πρόθυμος καὶ τὸ σῶμα ἱκανός, καὶ πάντων μάλιστα ἐπόνει* (p. 64).

Vides Herculem, Cynicorum principem: *αὐτουργὸς* enim Cynicus esse debet et *φιλόπονος* (cf. Musonium in Stob. flor. II p. 337, 7). Sed reliqua ea in re ab illa interpretatione cynica abhorrent, quam in or. IV p. 150 sq. exstare vidimus, quod hic Hercules rex propter animi virtutes, in or. I propter potentiam et opes nominatur. Quare haec interpretatio non ex cynico fonte hausta esse potest, sed Dio eos sequitur, quorum sententias Dionysius ant. rom. I 40 sub finem et 41 his verbis tradit: *ὁ μὲν οὖν μυθικὸς λόγος ὑπὲρ αὐτοῦ τοιόσδε παραδέδοται· ὁ δ' ἀληθέστερος — τοιόσδε· ὡς στρατηλάτης γενόμενος* [1]) *ἁπάντων κράτιστος τῶν καθ' ἑαυτὸν Ἡρακλῆς καὶ δυνάμεως πολλῆς ἡγούμενος, ἅπασαν ἐπῆλθε τὴν ἐντὸς Ὠκεανοῦ.* Sed ut cognoscere possis, quantum Dio a Cynicorum vel Stoicorum interpretatione aberraverit, Epicteti diss. III 26, 32 conferre liceat: *καὶ ἦν Εὐρυσθεὺς μέν, ὃς ἦν, οὔτε*

1) Cf. c. 41 *ἀφίκετο δ' εἰς Ἰταλίαν οὐ μονόστολος*. Vide etiam Diodor. IV 17, 1. 18, 2. 34, 1. 32, 2 coll. cum Isocr. or. V 111.

Digitized by Google

Ἄργους οὔτε Μυκηνῶν βασιλεύς, ὅς γ' οὐδ' αὐτὸς ἑαυτοῦ· ὁ δ' Ἡρακλῆς ἁπάσης γῆς καὶ θαλάττης ἄρχων καὶ ἡγεμὼν ἦν, καθαρτὴς ἀνομίας καὶ ἀδικίας κτλ. (cf. II 16, 44).

In sequentibus autem Dio euhemeristicis plane omissis Herculis mores, quales fuisse Cynici sibi finxerunt, describit: Hercules *αὐτουργός*, praeterea *πεπαιδευμένος ἁπλῶς* (cf. supra p. 239), *οὐ πολυτρόπως κτλ.* De habitu eius veram et genuinam Herculis imaginem fabula servavit, quam dummodo memoriam traditam recte explices, facile restituere licet. Hercules enim nudus incessisse tantum leonis pelle indutus et clava armatus traditur. Quod ita explicatur, quasi eius fabulae inventores eum neque aurum neque argentum nec vestes magni fecisse significare voluerint, nisi quantum ad dona danda valeant. Hoc Cynicum esse docent exempla, quae Zeller hist. phil. graec. II 1[3] p. 269 sq. collegit. — *Πολλοῖς γοῦν οὐ μόνον χρήματα ἄπειρα καὶ γῆν καὶ ἀγέλας ἵππων καὶ βοῶν, ἀλλὰ βασιλείας καὶ πόλεις ὅλας ἐδωρήσατο.* Undenam accepit? *ἐπίστευε γὰρ αὑτοῦ πάντα εἶναι καὶ* II
οὐδὲν ἀλλότριον. Nonne eandem sententiam ex Antisthenis placitis Diog. Laert. servavit, cum VI 11 dicit, quem locum Rohde rectissime comparavit: *αὐτάρκη τ' εἶναι τὸν σοφόν· πάντα γὰρ αὐτοῦ εἶναι τὰ τῶν ἄλλων?* Iam supra dixi, quoniam in or. IV p. 151 sq. Dio Antisthenis Herculem sequatur, semper aliis quoque locis, quibus de Hercule verba faciat, primum de Antisthene tanquam fonte cogitari posse. Hoc ad argumentum confirmandum in or. I p. 64 consensus ille accedit, qui est inter Dionem et Antisthenis placitum, et ita optime explicari potest, ut uterque, et Dio et Diogenes Laertius, ex Antisthenis Hercule pendere sumamus.

Adde, quod illud placitum apud Diogenem aliis eiusdem generis dictis circumdatur, quae ex Hercule hausta sunt, ut et illud ipsum eodem redire verisimile sit.

Statim elucet, si Diogenis VI 10 sq. 12 cum Antisthenis Herculis fragmentis apud eundem § 105 conferas, utroque loco simili ratione *ἀρέσκοντα* [1]) enumerari. Sed videamus de singulis:

1) Iam Mueller, *de Antisth. vita et script.* p. 42 sq. haec placita ad

Digitized by Google

III 1 § 10 *Ἤρεσχεν αὐτῷ καὶ τάδε· διδακτὴν ἀπεδείκνυε τὴν ἀρετήν* = § 105.

2 § 11 uno intercedente placito haec leguntur: *αὐτάρκη δὲ τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος*, ex 'Hercule' sumpta. Nam primum 'Hercules' de prudentia et robore (*περὶ ἰσχύος*) erat (Diog. VI 18), deinde verba, quae exscripsi, cum Eusebio (praep. ev. XV 4, 16) consentiunt, qui locus ad Antisthenis Herculem referendus est.

Haec enim sunt verba: *οὐ γὰρ ἔστιν, ὅπως ἄν τις ἐκ τούτων ὁρμώμενος παραδέξαιτο τὰ Ἡράκλεια καὶ θεῖα ἐκεῖνα δόγματα, ὡς ἰσχυρόν τι καὶ πάγκαλον χρῆμα ἀρετή, καὶ οὔτε ποτὲ ἐνδέουσα πρὸς εὐδαιμονίαν οὔτε ποτὲ αὐτῆς ἀφαιρουμένη, ἀλλὰ κἂν πενία κἂν νόσος — κἂν τὰ ἐκ τῆς τραγῳδίας ἅμα πάντα ἐπιρρυῇ, ἔτι ὁ δίκαιος εὐδαίμων καὶ μακάριος*. His quidem verbis Eusebius Diogenis Sinopensis dictum hoc notare videtur: *εἰώθει δὲ λέγειν τὰς τραγικὰς ἀρὰς αὐτῷ συνηντηκέναι· εἶναι γοῦν*

ἄπολις, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος κτλ.

(Diog. Laert. VI 38). Sed re vera omnia fere ad Antisthenem redeunt. Nam *Ἡράκλεια δόγματα* non solum ea placita nominari possunt, quae animi fortitudinem et robur laudant, velut ipse Antisthenes ab Eusebio l. c. XV 13, 7 *Ἡρακλεωτικός τις ἀνὴρ τὸ φρόνημα* appellatur, sed etiam ea, quae ipsius Herculis sunt. Et profecto illa placita a quovis Cynico comprobari possunt. Cur igitur non ab Hercule Cynicorum principe? Ubinam autem Hercules ea proposuit? Nempe apud cynicum aliquem scriptorem. Quorum unus restat, de quo cogitari possit, Antisthenes. Nam Eusebii verba *ὡς ἰσχυρόν τι καὶ πάγκαλον χρῆμα ἀρετή, — οὔτε ποτὲ αὐτῆς ἀφαιρουμένη*, consentiunt cum Antisthenis hoc placito: *ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή* (Diog. VI 12). Deinde cum eis, quae Eusebius addit: *οὔτε ποτὲ ἐνδέουσα πρὸς εὐδαιμονίαν* Antisthenis verba con-

---

Herculem restituendum usurpavit; sed neque causas, cur hoc vel illud placitum ad illum referret, attulit et ea adhibuit, quae num eodem pertineant, dubium est.

Digitized by Google

ferri possunt: *αὐτάρκη δὲ τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν* (ibid. 11). Consentiunt enim inter se virtutem semper cum felicitate coniunctam esse, nisi quod Antisthenes eam ad felicitatem comparandam solam per se valere adicit. Si recte disputavi, cui Antisthenis scripto aptius illa *δόγματα Ἡράκλεια* adscribantur, quam Herculi? —

Uno autem placito intercedente apud Diog. Laert. VI 11 id sequitur, quod apud Dionem in or. I p. 64 invenimus: *αὐτάρκη τ' εἶναι τὸν σοφόν κτλ.*

Tribus placitis intercedentibus his verbis pergit: *καὶ* III 3
ἐρασθήσεσθαι δέ· μόνον γὰρ εἰδέναι τὸν σοφόν, τίνων χρὴ ἐρᾶν. Haec ex eadem argumentatione sumpta videntur esse, qua in Hercule Antisthenes demonstravit: *ἀξιέραστόν τε τὸν σοφόν* (Diog. VI 105).

Iam nova *ἀρεσκόντων* series incipit a § 12: *ἀναγράφει* 4
δ' αὐτοῦ καὶ Διοκλῆς ταυτί· τῷ σοφῷ ξένον οὐδὲν οὐδ' ἄπορον· ἀξιέραστος ὁ ἀγαθός· οἱ σπουδαῖοι φίλοι. De duobus 5. 6. 7
postremis cf. Diog. VI 105: *ἀξιέραστόν τε τὸν σοφόν — καὶ φίλον τῷ ὁμοίῳ.*

Eorum, quae primo loco feruntur, illud 'τῷ σοφῷ ξένον *οὐδέν*' in Antisthenis Hercule exstitisse potest, quoniam Crates Thebanus eandem sententiam in tragoedia Hercule proposuit (v. Duemmler. Antisth. p. 68). Accedit, quod certe aliud illud cum altero arte coniunctum: *τῷ σοφῷ — οὐδὲν — ἄπορον* in Antisthenis Hercule scriptum erat.

Iulianus enim in or. VII p. 219 D exponit, Herculem tanto V
fuisse robore et vi, ut etiam naturae rerum vires et pericula superaret, velut eum mare aureo calice traiecisse. Apponam ipsius scriptoris verba: *ἐπὶ τῆς χρυσῆς κύλικος, ἣν ἐγὼ νομίζω, μὰ τοὺς θεούς, οὐ κύλικα εἶναι, βαδίσαι δὲ αὐτὸν ὡς ἐπὶ ξηρᾶς τῆς θαλάττης νενόμικα. Τί γὰρ ἄπορον ἦν Ἡρακλεῖ;* Haec, cum Hercules Cynicis pro sapientis exemplari fuerit, eadem sunt atque Antisthenis placitum: *τῷ σοφῷ οὐδὲν ἄπορον.* Iam repetere licet quam supra admisi argumentationem; quoniam Iulianus, cum de Hercule dicit, cum Antisthenis dicto aliquo ad verbum consentit, haec res quo-

Digitized by Google

modo simplicius et rectius explicari potest, quam ut Antisthenem in Hercule *τῷ σοφῷ οὐδὲν ἄπορον* docuisse suspicemur eamque doctrinam e fabuloso Herculis itinere in Hispaniam facto [1]) enucleasse?

[VI] Sed nunc ad Dionem redeamus et de or. I p. 64 (usque ad finem) verba faciamus. Dio enim, ut solet, [2]) fabulam aliquam narrat vel potius mulierem illam Doricam narrantem facit. Pater Herculis, Iuppiter, filii neglegens non erat, sed cum eum imperare velle [3]) vidisset, Mercurium ad eum, ut animi indolem exploraret sibique de ea re renuntiaret, misit. Quomodo Mercurius hoc imperium exsecutus esset, iam antea rettuli (p. 172).

Nunc age videamus, num etiam hac in narratione Antisthenis doctrina inveniatur. Sed ad hanc quaestionem solvendam si quis aliunde auxilium nobis futurum esse exspectaverit, valde errabit; nam ex Themistio, qui in or. XXII (*περὶ φιλίας*) eandem *σκηνοποιΐαν*, quam Dio habet, propterea de Dionis fontibus nihil discitur, quod is sophista non solum totam Dionis *σκηνοποιΐαν* et sententias, sed etiam saepius singula verba in suum usum vertit. [4])

Atque primum quidem Dionis narratio prosopopoeiam ex-

---

1) Fabulam ipsam alii alio modo narraverunt: vide Athen. XI p. 469 C—E 470 CD et inprimis Stesichorum apud eundem (XI p. 781 D, cf. Bergk. ad Stesich. fr. 8 in poet. lyr. gr. III⁴ p. 209); cf. etiam Apostol. II 47 (paroemiogr. II p. 275 sq.).

2) *Χαίρει δὲ μάλιστα καὶ μυθολογήμασι τὰς παραινέσεις συνδιαπλέκειν* (Phot. bibl. cod. 209 p. 165 b 18), videlicet ex sophistarum more: cf. Themist. or. XXII p. 278 D *καὶ ὄντινα ἔχω πρόχειρον μῦθον, εἰποιμ' ἂν ὑμῖν, εἴ μου πρᾴως ἀνέξεσθε παραβαλλομένου τοῖς σοφισταῖς.*

3) Luc. Cyn. 13: *κρατεῖν ἤθελε* (sua sponte) *καὶ τριφᾶν οὐκ ἐβούλετο* (Hercules).

4) Hoc vidit Welcker (opusc. II p. 488 sq.). — Themistius inter personas allegoricas, quas in scaenam ducit, etiam *Μετάνοιαν* recepit, Cebetis nimirum exemplum secutus: cf. [Cebetis] tab. c. 35 et Luc. de merc. cond. c. 42. Ceterum velim scire, quantum in orationibus Themistius ex aliis scriptoribus hauserit, quantum sibi ipsi debeat: credo ne dimidiam quidem partem de suo addidit. Velut Dionis orationibus saepius usus est, inprimis iis, quae de regno sunt, quas in orr. I. II. XV scribendis adhibuit.

Digitized by Google

hibet, ut vidimus, e genuino Cynicorum more excultam; simul autem fabulam continet ita inventam, id quod Photius recte animadvertit (vide p. 248 adn. 2), ut adhortationes regibus de stinatas ei intexuerit.

Sed eiusdem generis fabulae etiam in Antisthenis Hercule inerant. Antisthenis enim morem fuisse, ut multa fabulis doceret, Iulianus in or. VII 209 A et 215 C auctor est, et idem p. 217 A dicit: *Ἀντισθένει δὲ καὶ Ξενοφῶντι καὶ αὐτῷ Πλάτωνι πραγματευομένοις ἠθικάς τινας ὑποθέσεις οὐ παρέργως, ἀλλὰ μετά τινος ἐμμελείας ἢ τῶν μύθων ἐγκαταμέμικται γραφή.* Quae verba falso Lobeck in Aglaoph. I p. 378 ad Antisthenis 'commentationes Homericas' rettulit; non de Homeri interpretatione apud Iulianum res est, sed tota oratione de fabularum usu (*εἰ πρέπει τῷ κυνὶ μύθους πλάττειν*) agitur. Postremo Iulianus, si quis fabulas narrare velit, ei suadet, ut Antisthenem et Xenophontem et Platonem imitetur et hac in opera studeat *ἀντὶ μὲν Ἡρακλέους μεταλαμβάνειν Περσέως ἢ Θησέως τινὸς ὄνομα καὶ τὸν Ἀντισθένειον τύπον ἐγχαράττειν, ἀντὶ δὲ τῆς Προδίκου σκηνοποιΐας ἀμφὶ τοῖν ἀμφοῖν τούτοιν θεοῖν ἑτέραν ὁμοίαν εἰσάγειν εἰς τὸ θέατρον* (p. 217 AB). Quid igitur dicit Iulianus? Nimirum suadet, ne Herculis personam fabulis novis subiciat, quoniam haec provincia iam satis ab Antisthene exculta sit, sed ut Antisthenis quidem rationem, quam ille ad Herculem adhibuerit, retentam in Perseum et Theseum transferat. Sequitur, ut Antisthenes etiam in Hercule fabulis enarrandis philosophiae praecepta docuerit. Verba autem *ἀντὶ δὲ τῆς Προδίκου σκηνοποιΐας κτλ.* Iulianus cum scribebat, Dionis eius fabulae videtur recordatus esse, de qua nunc res est.

Sed videamus, num etiam Dio Antisthenis *τύπον* in fabula sua expresserit. Cynicae sapientiae vestigia insunt haec: primum is vertex, in quo Tyrannis sedet, *Τυφῶνος ἄκρα* nominatur. *Τῦφος* autem et *τετυφωμένος* verba apud Cynicos saepissime usitantur. Deinde tota fabula in eo fundata est, quod Hercules Iovis filius appellatur, qui eius eruditioni regiae ut pater prospicit eique imperium totius mundi dat. *Τοιοῦτος*

Digitized by Google

γάρ ἐστιν ὁ Κυνικὸς τοῦ σκήπτρου καὶ διαδήματος ἠξιωμένος παρὰ τοῦ Διός (Epictet. IV 8, 30). Adde, quod ab Antisthene Herculem Iovis filium propterea existimatum fuisse verisimile est, quod divina et regia institutione educatus esset (v. p. 243), et ea Cynicorum praecepta habebis, quae Dio fabula sua inlustrare voluit.

Fabulae autem *σκηνοποιΐα* secundum Prodici exemplum facta est, sed ea re ab illo discrepat, quod Dominatio et Tyrannis, ad quas Hercules ducitur, in altissimi montis fastigio sedes suas habent.[1]) Sed non primus Dio ita Prodici allegoriam mutavit, ante quem iam Pseudocebes in tabula sua *Παιδείαν* sive veram Eruditionem una cum Moderatione in alto et undique abrupto colle, cuius difficilis erat adscensus, collocatam pinxerat (v. tab. c. 15, cf. Lucian. de merc. cond. 42). Quid? quod iam Simonides, quem Welcker quoque laudat, cecinit:

ἔστι τις λόγος ποτὲ τὰν ἀρετάν
ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις,
νῦν δέ μιν θεῶν χῶρον ἁγνὸν ἀμφέπειν (fr. 58 Bergk.).

Huc pertinet etiam Diogenis epistula XXX, quam patri scripsit non multo postquam Athenas profectus est. Patri enim renuntiat se Antisthenis, quem verbis *τὸν Σωκράτους ἑταῖρον* significat, adisse scholas; hunc tum de viis, quibus ad virtutem perveniretur, disputasse et duas esse exposuisse, alteram brevem, longam alteram; et cum rursus se ad eum contulisset, se illum rogasse, ut accuratius, quid de duabus istis viis animo sentiret, sibi diceret. Antisthenem autem statim discipulos per urbem ad acropolin duxisse et duas vias monstrasse, alteram brevem, abruptam, difficili adscensu, alteram

1) Vide Welcker. opusc. II p. 488 sq.; is l. c. inde a p. 474 eos recenset scriptores, qui Prodici allegoriam imitati sunt; Luciani praeter somn. 6 etiam rhet. praec. 5 sq. laudare potuit: *ἐθέλω δέ σοι πρῶτον, ὥσπερ ὁ Κέβης ἐκεῖνος, εἰκόνα γραψάμενος τῷ λόγῳ ἑκατέραν ἐπιδεῖξαι τὴν ὁδόν. Δύο γάρ ἐστον, αἳ πρὸς τὴν ῥητορικὴν ἄγετον.* Item Cebetis tabulam in Hermot. 22 sq. imitatur. Cf. de merc. cond. 42. Praeter ea Welcker Diogenis Cynici epist. XXX omisit.

Digitized by Google

longam, planam, facilem, et dixisse illis cum viis eas comparandas esse, quibus homines ad felicitatem adducerentur; breviore autem via vitam cynicam significasse. Epistolographus autem aut ipse Prodici allegoriam imitatus est aut Antisthenis ipsius imitationem ad Prodici exemplum factam denuo rettulit. Sed hanc quaestionem proposuisse satis habeo et aliis solvendam relinquo.

Haec habeo, quae ad Antisthenis Herculem restituendum invenire potui. Recte iam Mueller l. c. p. 42 perspexit Antisthenem Herculem tanquam principem et auctorem philosophiae cynicae induxisse.

Utrum autem totam eius vitam in Hercule an selectas fabulas tractaverit, ex iis, quae scimus, non satis clare apparet. In fragm. IV. V p. 16 Winckelm. et VI p. 18 sq. scaena Chironis antrum est, cum Prometheo Hercules disputat apud Themistium, in solis calice mare in Hispaniam transvehitur apud Iulianum. Sed ex hac scaenae varietate id colligi non potest, quod Duemmler in Antisthenicis p. 6, 1 concludit, Herculi dialogo Antisthenem ab argumento videri nomen imposuisse, 'non a disserentis alicuius persona.' Repugnat Plutarch. de vit. pud. c. 18 (fr. III Winck.), qui scribit: *οὕτως ἄτρεπτος ἦν καὶ ἀνάλωτος ὑπὸ τῶν τοιούτων καὶ κρατῶν ἐκείνης τῆς παραινέσεως, ἣν ὁ Ἀντισθένειος Ἡρακλῆς παρῄνει τοῖς παισὶ διαχελευόμενος κτλ.*, repugnat porro Proclus ad Plat. Alcib. p. 98 (fr. V Winck.): *λέγει οὖν ὁ Ἀντισθένους Ἡρακλῆς περί τινος νεανίσκου παρὰ τῷ Χείρωνι τρεφομένου.* Ipsum ergo Herculem Antisthenes in libello suo verba facientem induxit, scil. tanquam philosophum cynicum, qui se ipsum hominibus imitandum proponat exemploque suo philosophiae praeceptis maiorem vim reddat (v. etiam Susemihl. in Fleckeis. annal. CXXXV [1887] p. 213).

Panca de Herculis fr. IV et V Winckelm. adicere mihi liceat, quae de Hercule et de Chirone sunt. Apud Eratosthenem (catasterism. c. 40 — fr. IV) haec leguntur: *μόνον δὲ τὸν Κένταυρον* (Chironem) *οὐκ ἀνεῖλεν, ἀλλ' ἦχουεν αὐτοῦ, καθάπερ Ἀντισθένης φησὶν ὁ Σωκρατικὸς ἐν τῷ Ἡρακλεῖ.* Quas

Digitized by Google

partes Centauri praeter Chironem ab Antisthene acceperint, e Dionis or. XXXII p. 700 concludi potest, ubi eorum intemperantia notatur, et Rohde apte eiusdem orationis IV p. 184 contulit, quo loco Centaurorum varium et commixtum genus ex opaca aliqua nube ab Ixione conceptum cum oratorum civilibus orationibus et sophistae alicuius commentationibus gloriae cupiditati dediti comparantur.[1] Ab his igitur Antisthenes communem omnium opinionem secutus[2] Chironem discrevit. Sed nisi omnia fallunt, illum quoque sophistam fuisse exposuit, at hominibus multo utiliorem et doctiorem et iustiorem nec cum aliis illis Centauris comparandum. Nam Hercules *ἔχουεν αὐτοῦ, καθάπερ Ἀντισθένης φησίν,* eius hospitio usus, ut schol. Germanici cod. S p. 178 Breyss. ex Antisthene refert. Quid aliud haec verba significant, nisi Chironis auditorem fuisse Herculem?

Verba autem fragmenti IV Winck., quae de Achillis et Herculis amore sunt, ab iis, quae ad Antisthenem redeunt, secernenda esse iam Welcker l. c. p. 8 adn. 21 animadvertit.

Haec de 'Hercule' dicta sint; si quis, quae illius libri ratio fuerit atque indoles, quasi imaginem sibi fingere velit, suadeo, ut Buttmanni Mythologum adeat et legat, quae vir ille in primo tomo de Herculis fabulae *ὑπονοίᾳ* scripsit: similem enim ibi fabulae interpretationem inveniet atque apud Antisthenem.

Nunc Antisthenis Hercule dimisso cynicae de Herculis fabula interpretationis reliquias, quidquid earum cognovisse mihi videor, colligam. Nam etsi in tanta testimoniorum penuria aut difficillimum est aut omnino effici non posse videtur, ut, quid Antisthenis sit, quid Diogenis vel Cratetis discernatur, tamen si non omnia ad ipsius Antisthenis librum redeunt, at certe multa ab eius doctrina profecta esse persuasum habeo, praesertim cum semper eundem Herculis *τύπον,* quem Antisthenes expresserat, ab eius sectatoribus retentum esse appareat.

---

1) Vide de Centauris Welcker. in opusc. III p. 9 sq.

2) Cf. Welcker. l. c. p. 1—8. 9.

Digitized by Google

Initium faciamus a Dione et de oratione V et LX panca dicamus.

Or. V *Λιβυκὸς μῦθος* inscripta est, quae fabula quo con- I
silio facta sit, ex or. IV p. 163 apparet. Diogenes in Alexandro pravam opinionum vanitatem vituperat, quam si ultra teneat, genuinum regem nominari non posse; sin autem ea desistat, eum non solum omnibus viris, sed etiam mulieribus imperaturum esse, ut Hercules quondam imperaverit. Interrogatus, quasnam mulieres dicat, respondet non Amazones, sed multo periculosiores, et Libycam fabulam narrat. Nihil aliud refertur nisi eum narrasse; ipsam fabulam et eius allegoricam interpretationem Dio in or. V narrat. Fabula autem haec est: Hercules orbem terrarum pervagatus in Libyam quoque venit[1]) ibique portentum immane interfecit, quod mulieris facie et pectoris mira pulchritudine praeditum, sed in taetrum anguem desinens homines adliciebat et appropinquantes devorabat.[2]) Interpretatione allegorica haec fabula ita trahitur et vertitur, ut de libidinibus, quibus Hercules sese liberavit, intellegenda sit. *Καὶ τοῦτο αὐτῷ βούλεσθαι δηλοῦν τῆς γῆς τὴν ἡμέρωσιν* (p. 195); nam ut in or. I p. 71 dicitur, non credibile esse Herculem bestias interfecisse, ut vulgo credatur, sed malos et feros homines et tyrannos intellegendos esse. Interpretationis eius ratio sane cynica est; nam philosophus cynicus libidinibus et opinionibus non obnoxius esse debet. Etiam Herculem interpretabantur, cum summum eius officium in tota vita terra marique expurgando constaret (cf. Luc. Cyn. 13, Iuliani epist. ad Them. p. 254 A), non solum contra opiniones pugnasse (Diog. epist. 10) et iniuriarum totum genus (Luc. bis acc. 20) et, si Iovi placeret, contra Pseudocynicos (Luc. fugit. 23),

---

1) Cf. or. XXXXVII (II p. 221 R.) et XXXIII (II p. 24). De Libya portentorum et monstrosi generis ferarum plena cf. Morelli in Reiski edit. Dionis II p. 571 sq.; de eadem re agit ex. c. Lucianus libello, qui est *περὶ διψάδων*, singularem libellum *περὶ δραχόντων Λιβυκῶν* anonymus paradoxographus scripsit, cuius Tzetzes memoriam facit (v. Westermann. in paradoxogr. p. XVIII).

2) Cf. Themist. or. XXII p. 279 B—D.

Digitized by Google

sed etiam contra voluptates bella gessisse (Luc. vit. auct. 8 [1]), cf. schol. ad Apollon. I 855): quomodo gesserit, Dio or. V uno exemplo demonstrat. Tum quod Dio eas bestias, quas Hercules interfecit, hominum adfectus intellegit, id a cynico more non alienum esse iam supra vidimus.

Huc pertinent etiam duo loci duorum fabularum *θεραπευτῶν* sive interpretum, quos cum eandem fabulae interpretationem atque Dio praebeant, ad Cynicos referre nequaquam II dubito. Primum apud Themistium in or. XIII p. 169 D 170 A haec leguntur: Hercules non propterea Iovis filius nominatus est, quod bestias vicit, sed quod potens erat irae et libidinis et audaciae et, ut in codicibus traditur, *κούφων καὶ ἐνέδρας ἐγχειρημάτων*, aut ut Lobeck correxit, *κ. κ. ἀνεδράστων ἐγχειρημάτων*. Nam quae sunt in fabula bestiae, rectius intellegentur, si pro mentis animique illis perturbationibus accipiantur. Item enim duos illos angues, quos Hercules admodum puer interfecit, pro inlecebris sunt, quae iuventutem et virium potentiaeque conscientiam sequi solent, nisi mente prohibeantur (cf. p. 169 C).

III Adde alterum locum e Crameri anecdotis Parisinis II p. 380 sq. sumptum. Ibi Herodotus quidam eam fabulam, qua Hercules tria Hesperidum mala draconte, cuius in custodia illa erant, interfecto abstulisse narratur, ita intellegendam esse censet: *τουτέστι νικήσαντα τὸν πολυποίκιλον τῆς πικρᾶς ἐπιθυμίας λογισμὸν διὰ τοῦ ῥοπάλου τῆς φιλοσοφίας, ἔχοντα περιβόλαιον φρόνημα ὡς δορὰν λέοντος· καὶ οὕτως ἀφείλετο τὰ μῆλα, ὅπερ ἐστὶ τρεῖς ἀρετάς· τὸ μὴ ὀργίζεσθαι, τὸ μὴ*

---

1) Eodem loco emptor admiratur, quod Diogenes non ut Hercules, cuius aemulus sit, leonis pelle indutus sit baculumque pro clava habeat. Sed Diogenes respondet: '*τουτί μοι*' inquit '*λεοντῆ τὸ τριβώνιον.*' Dio quidem leonis pellem gestasse fertur, Diogenes autem non adsumpsit, ita scilicet ratiocinatus: *σὺ δὲ τὸν τρίβωνα λεοντῆν νόει, τὸ δὲ βάκτρον ῥόπαλον, τὴν δὲ πήραν γῆν καὶ θάλατταν, ἀφ' ἧς τρέφῃ· οὕτω γὰρ ἂν Ἡράκλειον διανασταίη σοι φρόνημα καὶ πάσης τύχης κρεῖττον* (Diog. epist. XXVI, cf. Diog. Laert. VI 45). De Diogene Herculis sectatore vide etiam Libanium IV p. 862 R.

Digitized by Google

φιλαργυρεῖν, τὸ μὴ φιληδονεῖν. Διὰ γὰρ τοῦ ῥοπάλου τῆς καρτερικῆς ψυχῆς καὶ τῆς δορᾶς τοῦ θρασυτάτου, σώφρονος λογισμοῦ ἐνίκησε τὸν νιὸν τῆς φαύλης ἐπιθυμίας, φιλοσοφήσας μέχρι θανάτου, καθὼς Ἡρόδοτος ὁ σοφώτατος συνεγράψατο. Ἡρόδωρος Lobeck in Aglaoph. p. 1310 scripsit, sed Mueller fragm. hist. graec. II p. 34 (Herodori fr. 24), num haec ex Herodoro Heracleensi hausta sint, dubitat. Equidem subscribo. Nam etsi Herodorus non plane Herculis fabularum interpretatione euhemeristica abstinebat (cf. fr. 24 de Atlante), tamen ea, quae apud Cramerum exstat, interpretatio tam aperte non solum Cynicae, sed etiam Antisthenis rationi consentanea est, ut eam ab Herodoro alienam esse pro certo constet. Quid? Hercules is nonne cynicus est, qui, ut apud Herodotum illum fit, philosophus dicatur, qui ira avaritia libidine superior sit, qui *καρτερικὴν ψυχὴν* habeat? Velut Diog. Laert VI 2 de Antisthene scribit: *ἤκουε Σωκράτους, παρ' οὗ καὶ τὸ καρτερικὸν λαβὼν καὶ τὸ ἀπαθὲς ζηλώσας.* Deinde verba *ἔχοντα περιβόλαιον φρόνημα ὡς δορὰν λέοντος* cf. cum hoc Antisthenis dicto: *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν* (Diog. VI 13), et cum Diogenis epist. XXVI loco, quem in p. 254 adn. 1 exscripsi. Atque illae translationes (*ῥόπαλον τῆς φιλοσοφίας* etc.) ab armis repetitae nonne inprimis ab Antisthene usurpatae sunt?

De Herculis morte Dionis or. LX est, ad quam nunc veni- IV
mus, 'egregium interpretationis cynicae exemplum', ut Duemmler in Antisthenicis p. 74 dicit. Ac ne primo quidem obtutu cuiquam dubium esse potest, quin Duemmler recte iudicaverit. Hercules enim ut genuinus Cynicus fingitur: cum ipse totam suam vitam ad virtutem adsequendam conferre constituisset, in laboribus ferendis et egestate toleranda se exercet, quae exercitatio p. 310 *ἄσκησις* vere cynico nomine [1]) appellatur; nudus, leonis tantum pelle indutus incedere solet, sine teguminibus sub caelo dormire, simplici cibo vesci; haec eodem narrantur modo, quo in or. VIII p. 285. Tali modo Hercules educatus tamen a Deianira corrumpitur. Primum, id quod

1) Cf. Iuliani or. VI 195 A.

Digitized by Google

semper fieri videmus, interpretatione nova opus esse ad fabulam intellegendam demonstratur, ut ea, quae vulgo circumferuntur, falso narrari et inter se dissentire appareat. Ita via munita nova interpretatio proponitur. Centaurum, qui Deianiram per flumen portabat, eam non violare voluisse, sed falsis et dolosis verbis, scilicet velut sophistam aliquem ostendisse, si marito suo, ut tandem laboribus desisteret et molliori vitae se daret, persuasisset, eam multo mitiorem et sibi morem gerentem Herculem habituram esse. Ecce novus ex Ixionis gente exstitit sophista et Promethei et Chironis collega. Neque aliter res evenit atque Centaurus dixerat; sed Hercules, cum eum in virtute non mansisse paeniteret, ipse se combussit. Hic fuit *ὁ λεγόμενος τῆς Δηιανείρας χιτών*; cf. [Dionis]
V or. LXIV (II p. 337 R.). Eadem de Herculis morte interpretatio cynica apud Eustathium in schol. ad Dionys. v. 431 legitur, quem non ex Dione hausisse apparet, primum quod nova adfert, quae frustra apud Dionem quaeras, deinde quia cynica de Amaltheae cornu interpretatio antecedit, ut utramque ex uno eodemque fonte Eustathium sumpsisse verisimile sit. De morte autem Herculis haec scribit: *ὅτι μέντοι ἐμελέτησεν οἰκουρεῖν ἀναπεισθεὶς ὑπὸ γυναικός, καὶ σκιατραφούμενος ἱμάτια περιεβάλλετο θάλποντα καὶ οὐκέτι πρὸς ψυχὰς ἐγυμνάζετο, ἀλλ᾽ ἐθάλφθη καὶ ὑπεμαλάχθη πρὸς τρυφὴν ἀποκλίνας, καταχαίει ὁ λόγος τὸν ἥρωα, τὴν ἐκ τῆς περιβολῆς θάλψιν εἰς πυρὰν αὐτῷ ὑπανάψας* (ex Eustathio hausit Eudocia p. 39 et p. 213).

VI Ac de Amaltheae cornu Eustathius quattuor eorum interpretationes adfert, quos *τῶν μύθων θεραπευτὰς πρὸς ἀλήθειαν συμβιβάζοντας* nominat, quarum altera a Cynicis inventa est: *ἄλλοι δὲ τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, δι᾽ οὗπερ εὖ ἔχει τὰ κατὰ τὸν Ἡρακλέα, τὸ σκληρόν φασι τῆς διαίτης ἐκείνου καὶ τόν ποτε κατ᾽ ἀρετὴν βίον αἰνίττεσθαι, ὅπηνίκα ἡμίγυμνος περιῶν καὶ ἐκκαθαίρων κακίας τὴν γῆν οὐ μαλθακῶς εἶχεν, ἀλλὰ σκληρότερον τοῖς φαύλοις προσεφέρετο· καὶ τοῦτο ἦν τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, ἡ ἀμάλθακτος πρὸς πόνους ἀντιτυπία τοῦ ἥρωος* (ex Eustathio sumptam habet Eu-

Digitized by Google

docia no. 436 a p. 212, no. 52 p. 39). Cf. similem Socratis interpretationem in Stob. flor. LVI 16.

Haec fere sunt, quae adhuc indagare potui, Herculeae fabulae cynicae interpretationis vestigia; Dionis loci, qui ad Herculem pertinent, excerpti sunt ni fallor ex alio eiusdem libro, fortasse eclogis collectis ex Herculis encomio, quod Suidas s. v. *Δίων* inter eius scripta refert. Priusquam enim Dio philosophiae se dedit, sophista erat (Philostr. vit. soph.), sed quod *ἐγκώμιον Ἡρακλέους* scripsit, titulus ipse mihi prodere videtur eam laudationem compositam esse, cum Dio iam ad philosophiam cynicam inclinaret, sed sophisticam eloquentiam non plane valere iussisset.

ADDITAMENTUM

Haec, quae additurus sum, ut omnino addere possem, effecit C. Wachsmuthi humanitas et liberalitas, qui non solum, ut est harum litterarum peritissimus, quantam sententiarum et apophthegmatum materiem ii Cynicis deberent, qui talia philosophorum dicta collegerunt, benevole me docuit, sed etiam eorum apophthegmatum, quae adhuc inedita bibliothecarum libris manuscriptis conduntur, exempla quaedam mecum communicavit propterea utilissima, quod his testimoniis ea, quae de Cynicis exposui, vel confirmantur vel inlustrantur. In codice enim Vindobonensi theol. CXLIX Ness., XCIII Lambec. saec. XIII, cuius imaginem Diels in mus. rhen. XXIX p. 114—116 delineavit (cf. Wachsmuthi libellum, qui inscribitur: '*die Wiener Apophthegmen-Sammlung*' in '*Festschrift zur Begrüssung der XXXVI. Philologenversammlung*' a. 1882 p. 4), inde a fol. 302^{v} usque ad finem florilegium quoddam exstat, quod complectitur '*ἀποφθέγματα καὶ γνῶμαι διαφόρων φιλοσόφων κατὰ στοιχεῖον*' tres in partes divisa. Quarum prima (fol. 302^{v}—306^{r}) clarorum virorum, tertia (fol. 307^{v}—308^{r}) mu-

Digitized by Google

lierum apophthegmata continet, utraque autem fluxit ex magno illo apophthegmatum corpore (v. l. c. p. 34 sq.) a Wachsmuthio feliciter indagato, quod omnium, quae Byzantinorum temporibus collecta sunt, florilegiorum fons erat et origo. Has duas partes, cum ad illud corpus restituendum magnam utilitatem haberent, Wachsmuth in ea dissertatione, quam laudavi, ex Dielsii apographo a Meklero iterum cum codice Vindobonensi collato publici iuris fecit, omissa ea, quae inter duas illas intercedit, parte (inde a fol. 306^{r}—307^{r}), cum hanc ex alio quodam fonte haustam esse Diels l. c. p. 117 ei persuasisset. Atque concedendum est eius argumenta ex iis, quae tunc sciri poterant, prudenter inventa esse; nunc novum florilegium e codice Vaticano Gr. 743 saec. XIV excerptum Sternbachi opera in '*Wiener Studien*' IX (1887) p. 175 sqq. innotescit, quod gnomologii Vindobonensis quasi 'alterum exemplum, longe illud plenius atque integrius' est, quo adhibito eam florilegii Vindobonensis partem, quam Wachsmuth omisit, eandem originem habere quam ceteras demonstrari posse Sternbach l. c. p. 175 adfirmat. Sed exspectandum est, dum Sternbachi dissertatio tota typis expressa erit.

Utut res se habet, tertia illa pars — continet autem Aristippi, Aristonis, Diogenis, Demosthenis, postremo loco Demadis apophthegmata a Dielsio l. c. edita — egregia Cynicorum dicacitatis et facetiarum exempla praebet. Iam ex hac parte exhibere mihi liceat, quae debeo Wachsmuthi benignitati.

fol. 306^{r} 1. *Ἀριστων*[1] *ὁ φιλόσοφος τοὺς πλουσίους καὶ φειδωλοὺς ὁμοίους*[2] *ἔφησεν εἶναι τοῖς ἡμιόνοις, οἵτινες χρυσὸν καὶ ἄργυρον φέροντες χόρτον ἐσθίουσι.*

2. *Ὁ αὐτὸς πολυκέφαλον θηρίον εἶπε πάντα δῆμον.*

Habemus igitur duas comparationes a bestiis repetitas, quo de comparationum genere apud Cynicos usitato p. 174. 175 sq. verba feci; cf. Marcks., symbola critica ad epistolographos graecos, diss. inaug. Bonnae a. 1883 ed. p. 15 sq. Cum priore

---

1) *Ἄριστος cod., corr. Diels l. c. p. 116.*
2) *ὁμοίως in ὁμοίους corr. cod.*

Digitized by Google

Aristonis fragmento Bionis et Teletis comparationes in Stob. flor. XCVII 31 p. 213, 5 sqq. traditae apte conferri possunt, quae et ipsae de divitibus sunt, qui magnis suis divitiis uti nolunt (v. huius libri p. 184 sq.). De Aristonis comparationibus v. p. 185 sq.

3. *Ὁ αὐτὸς τοὺς τὰ γραπτὰ λέγοντας ὁμοίους ἔφησεν εἶναι τοῖς λεοντοχάσμασι τοῖς ἐπὶ τῶν χεράμων. Ἐκεῖνα μὲν γάρ, ἕως ἂν βρέχῃ*[1]*, ῥεῖ, ὅταν δὲ παύσηται*[2]*, κέχηνε· οὗτοι δέ*[3]*, ἕως ἂν ἔχωσι γραπτὰ λέγειν, εὐρόως φέρονται, ὅταν δὲ ἐκλείπῃ*[4]*, χάσκουσι.*

Quam dilucide et concinne dictum! Similiter Diogenes Cynicus eos contempsit, qui chartis inanimis, ut ipse dixit, doctrinam suam mandare mallent quam ipsi viva voce homines adloqui (v. p. 201).

4. *Ὁ αὐτὸς παρεκελεύετο τοὺς τῶν ὑγιαινόντων πόνους ἀναδέχεσθαι, ἵνα μὴ τοὺς τῶν νοσούντων ὑπομένωμεν.*

Ut Aristo duo laborum genera discernit, simili modo Cynici et veros et *ἀχρήστους* labores esse docebant (v. p. 105 sq.).

5. *Διογένης θεασάμενος πόρρωθεν προσιόντα κυρτόν, ἐπειδὴ ἐγγὺς ἐγένετο, εἶπεν· ‘ἄνθρωπε, ᾤμην*[5]*) τινά σε φέρειν.’*

6. *Ὁ αὐτὸς νοσήσας ποτὲ ἐν πανδοκείῳ καὶ κινδυνεύων, πυθομένου αὐτοῦ*[6]*) τινος, εἰ ἀποθάνοι*[7]*), τίς αὐτὸν ἐκκομίσει*[8]*), ἔφη· ‘ὁ τῆς οἰκίας δεσπότης.’*

Wachsmuth Diogenem apud Diog. Laert. VI 52 confert: *ἐρωτηθείς, εἰ παιδισκάριον ἢ παιδάριον ἔχοι, ἔφη· ‘οὔ.’ Τοῦ δὲ εἰπόντος· “ἐὰν οὖν ἀποθάνῃς, τίς σε ἐξοίσει;” ἔφη· ‘ὁ χρήζων τῆς οἰκίας.’* Menagius ad Diogenis l. c. Demonactem in Luciani Dem. 66 laudat: *ὀλίγον δὲ πρὸ τῆς τελευτῆς ἐρομένου τινός· ‘περὶ ταφῆς τί κελεύεις;’ “Μὴ πολυπραγμονεῖτε” ἔφη· “ἥ γὰρ ὀδμή με θάψει.”*

---

1) *βρέ cod.* 2) *πανσητε cod.*
3) *τούτους τὲ cod., corr. W(achsmuth).*
4) *ἐνλειπει cod.* 5) *ὠμὴν cod., corr. W.*
6) *πνθόμενον αὐτῶ cod., corr. W.*
7) *ἀποθάνει cod.* 8) *ἐκκομιση cod.*

Digitized by Google

7. *Ὁ αὐτὸς ἔφη· ‘πάντα ἔχω τὰ ἐν ταῖς τραγῳδίαις· εἰμὶ γὰρ*

πτωχός, πλανήτης, βίον ἔχων ἐφήμερον.

ἀλλ’ ὅμως τοιούτων ὑπαρχόντων τῶν κατ’ ἐμέ, ἕτοιμός εἰμι περὶ εὐδαιμονίας τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαγωνίσασθαι.’

De versu illo eiusque usu a Diogene facto vide Nauck. fragm. trag. Graec. inc. n. 107 [cf. Eusebii praep. ev. XV 4, 16]. Iis autem verbis, quae de Persarum rege adduntur, ea optime confirmantur, quae p. 86 sq. de Dionis orationis sextae p. 200 et 210 exposui atque de certamine, quo Diogenes cum Xerxe de felicitate contendere ausus est. — De eadem re locos Wachsmuth mihi indicavit bosce: flor. Monac. 179 (= Leid. 168): *ὁ αὐτὸς* (Diogenes, cuius nomen sub n. 176 exstat) *ἔφασκεν ἡδονὴν ἀληθῆ εἶναι τὸ τὴν ψυχὴν ἐν ἱλαρότητι καὶ ἡσυχίᾳ ἔχειν, ἄνευ δὲ τούτου οὔτε τὰ Μήδου οὔτε τὰ Κροίσου χρήματα ὠφέλιμα εἶναι. Ἐὰν δέ τις ἢ ὑπὲρ μικροῦ ἢ ὑπὲρ μεγάλου λυπῆται, οὐκ εὐδαίμων, ἀλλὰ κακοδαίμων.* Cf. Diogenem in Stob. flor. CIII 20 sq. [et apud Dionem in or. VI (de Xerxis misera vitae condicione) p. 214: *σχεδὸν ἀμφότερα τοῖς τυράννοις καὶ τὰ ἡδέα καὶ τὰ λυπηρὰ ἀεὶ πάρεστιν, ὡς λυπούμενον μὲν μηδέποτε παύεσθαι σχεδόν, ἡδόμενον δὲ μηδέποτε αἰσθάνεσθαι*]. In Melissa Augustana inedita leguntur in fol. 82^{r} cap. XXV haec: *Διογένους· ὁ αὐτὸς ἔφασκεν ἡδονὴν ἀληθινὴν εἶναι τὸ* (*cod.* τ᾽ *corr. W.*) *τὴν ψυχὴν ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἱλαρότητι ἔχειν· ἄνευ δὲ τούτου οὔτε* (*cod.* οὐδὲ *corr. W.*) *τὰ Μήδου οὔτε* (*item*) *τὰ Κροίσου χρήματα ὠφέλιμά* (*corr. W., cod.* ὀφέλημά) *ἐστιν.*

8. *Ὁ αὐτὸς παραινοῦντος αὐτῷ τινος τῶν φίλων ἤδη*
fol. 307^{r} *ὄντι* [1] *ἐν γήρᾳ κἂν νῦν προσανεῖναι* [2] *διὰ τὴν ἡλικίαν, | ὅμοιον ἔφη εἶναι, ὡς εἰ ἀγωνιζομένῳ αὐτῷ δρόμον καὶ ἤδη ἐγγίζοντι τῷ βραβείῳ προσανεῖναι τὸ τάχος παρεκελεύετο, ὅτε ἔδει τοὐναντίον παραινεῖν.* [Eadem fere apud Diog. Laert. VI 34 exstant.]

Praeterea ex codice Vatic. et Vindob. haec duo Antisthenis apophthegmata maxime commemoranda sunt:

1) *ὅτι cod., corr. W.* 2) *προσαν εἶναι cod., corr. W.*

Digitized by Google

1. Vat. 1 (= Vindob. 95): *Ἀντισθένης τοὺς πόνους ἔφησεν ὁμοίους εἶναι κυσί· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τοὺς ἀσυνήθεις δάκνουσιν.* De canum usu in philosophia cynica v. p. 109 sq. Secundum Diogenem etiam voluptatis contemptus exercitatione continua iucundissimus fit (Diog. Laert. VI 71).

2. Vat. 12 (= Vindob. 99): *Ὁ αὐτὸς* (Antisthenes) *ἔφη τὴν ἀρετὴν βραχυλόγον*[1] *εἶναι, τὴν δὲ κακίαν ἀπεραντο⟨λόγον⟩.*[2] Nimirum, ut Plutarchi verbis de Lycurgo in eius vita c. 19 dictis utar, erant Cynici *βραχυλόγοι τε καὶ ἀποφθεγματικοί* et id semper ostentabant; qua de causa Laconum sicut morum et institutionum studio ducebantur, item dicacitatem quoque imitabantur (v. p. 207), sophistarum verbositatem aspernabantur (v. p. 135), ut, cum illis temporibus lis exorta esset inter se altercantium, quodnam eloquentiae genus genuinum oratorem deceret (v. p. 228, 1), ad Socratis partes accederent, qui dialogum vel *βραχυλογίαν* excoluerat. Huc igitur, ut Wachsmuth animadvertit, etiam illud, quod exhibui, Antisthenis fragmentum pertinet. — Diogenis dicendi genus inlustratur etiam fragmento a Dresselio in quaest. critic. ad Maxim. et Anton. Gnomologias Lips. a. 1869 ed. p. 24 ex Maximi florilegii codice Laurentiano (plut. IX 29 saec. XIII vel XIV fol. 38[r]) exscripto hoc: *Διογένης ὁ κύων λέγειν ποτὲ κωλυόμενος ὑπὸ Ἀθηναίων ἐν ἐκκλησίᾳ, βραχὺ ἔφη βούλεσθαι*[3] *πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τι. Τῶν δὲ σιωπησάντων 'νεανίας' εἶπε 'θέρους ὥρᾳ ἐμισθώσατο ἐξ ἄστεος ὄνον· μεσούσης δὲ τῆς ἡμέρας καὶ σφοδρῶς φλέγοντος τοῦ ἡλίου ἑκάτερος αὐτῶν ἐβούλετο ὑποδύεσθαι ὑπὸ τὴν σκιὰν τοῦ ὄνου καὶ εἶργον ἀλλήλους (cod. ἀλλήλοις), ὁ μὲν γὰρ μεμισθωκέναι ⟨τὸν⟩ ὄνον, οὐ τὴν σκιὰν λέγων, ὁ δὲ μεμισθωμένος τὴν πᾶσαν ἔχειν (cod. ἔχει) ἐξουσίαν.' Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπῄει. Τῶν δὲ Ἀθηναίων ἐπισχόντων καὶ δεομένων πέρας ἐπιθεῖναι τῷ λόγῳ· 'εἶθ' ὑπὲρ μὲν ὄνου σκιᾶς βούλεσθε ἀκούειν, λέγοντος δὲ ὑπὲρ σπουδαίων πραγμάτων οὐ βούλεσθε;'* Eadem narratio secundum

1) *Minus recte Sternbachium secundum cod. Vat. βραχύλογον scripsisse W. me docuit.* 2) *corr. W., ut illi 'βραχυλόγον' responderet.*
3) *βούλομαι dicendum erat.*

Digitized by Google

Wachsmuthium etiam in Maximi Barberino I n. 158 cod. 365 saec. XI, de quo vide 'Studien zu den griech. Floril.' p. 105, praeterea in codicibus Vaticanis 739 et 740 saec. XII exstat (v. Wachsmuthium ibid. p. 103. 105). Similem narrationem p. 207 commemoravi. —

Ad p. 93, 1: Verba 'omnia vestigia desunt, quibus Dione epistolographos anonymos usos esse demonstrari possit' ita corrigenda sunt: 'omnia vestigia desunt, quibus Dionem epistolographis anonymis usum esse demonstrari possit.' Nam Cynicorum epistulae Augusti fere aetate scriptae sunt, ut Marcks l. c. p. 8 sqq. demonstravit.

Ad p. 131: de barbarorum apud Cynicos usu cf. E. Schwartz. in mus. rhen. XL p. 251 sq.

Ad p. 142 (Diogenes de servo fugitivo): cf. Diog. Laert. VI 55: *πρὸς τοὺς συμβουλεύοντας τὸν ἀποδράντα αὐτοῦ δοῦλον ζητεῖν 'γελοῖον' ἔφη, 'εἰ Μάνης μὲν χωρὶς Διογένους ζῇ, Διογένης δὲ χωρὶς Μάνου οὐ δυνήσεται.'*

Ad p. 228 (de verbi '*πολύτροπος*' explicatione): cf. Iuliani or. I p. 12D: *καίτοι τὸν Ὀδυσσέα συνετὸν Ὅμηρος ἐκ παντὸς ἀποφῆναι προαιρούμενος πολύτροπον εἶναί φησι καὶ πολλῶν ἀνθρώπων τὸν νοῦν καταγνῶναι καὶ ἐπελθεῖν ταῖς πόλεσιν, ἵν' ἐξ ἁπάντων ἐπιλεξάμενος ἔχοι τὰ κράτιστα καὶ πρὸς παντοδαποὺς ἀνθρώπους ὁμιλεῖν δύναιτο.*

Ad p. 261: in corrigendis his plagulis qui me adiuvat, P. Krumbholz, recte animadvertit in ea narratiuncula '*ἑκάτερος*' non habere, quo referretur, et suspicatus est *ἐξ ἄστεος* corruptum videri. Estne restituendum *ἐξ ἀστραβηλάτου ἐξ ἄστεος*?

p. 79, 17	leg. '*τῦφον*'	p. 104, 9	leg. *ἀφικνεῖτο πρὸς*
„ 82, 4. 3	a nov. del. '(cf. 264 CD)'	„ 104 adn. 3	leg. *ψάμμου ζεστῆς*
„ 86, 17	leg. *πάλιν εἰς Κόρινθον*	„ 105 „ 2	„ *κέαρ* pro *κρέαρ*
„ 88, 7	a nov. leg. 281	„ 110, 4	leg. *τῶν Διογένην*
„ 92, 2	„ *ἔτι οὗτος*	„ 111, 13	a nov. leg. III 22, 99
„ 92, 11 „	„ „ p. 59	„ 115, 16 „	„ „ *ἐφήρμοσας*
„ 93, 9	„ 12 pro 13	„ 117, 10 „	„ „ 206
„ 93, 10	„ I 1 „ I 2	„ 123, 19	leg. 286
„ 94, 5	„ LXXXXIV	„ 128, 10	a nov. 229, 18 pro 68, 37
„ 94, 14	„ 451	„ 201 adn. 1 v. 1	l. protrepticon.

Digitized by Google

TABULA ARGUMENTI

	pagina
Praefatio	79 sq.
De subsidiis quaestionis instituendae	80—82
I De Dionis orationibus iis, quae ad Diogenem pertinent	82—173
De fontibus Dionis eorumque vario usu in universum agitur	82—85
De oratione VI	85—98
Ex hac duo maxime cynicae philosophiae loci cognoscuntur:	
a) de paegniis	85—91
b) de sapientis imperio	91—98
II Cynicorum philosophiae fundamenta sunt haec: *κατὰ φύσιν ζῆν, παραχάραξον τὸ νόμισμα, γνῶθι σαυτόν*	98—103
III Ea praecepta inlustrantur Dionis orationibus VI, VIII, IX, X	103—154
1. De vita secundum naturam agenda	103—133
Animalia vitae naturalis exempla	106—112
De Cynicorum fabulis iocosis sive *παιγνίοις*	112—117
De aurea aetate	117—127
De barbarorum moribus: *νόμιμα βαρβαρικά*	127—133
2. De orationibus VIII et IX; *παραχάραξον τὸ νόμισμα*	133—141
De oratione VIII et de verborum apud Cynicos usu	133—140
De oratione IX	140—141
3. Oratio X, *γνῶθι σαυτόν* inlustratur	141—153
De Diogenis tragoediis	143—149. 153
De Hercule pseudotragoedia	149—154
Diogenes Homeromastix	151—153
IV De Cynicorum docendi generibus	154—236
De oratione IV	154—173
1. De Cynicorum prosopopoeiis	161—173
2. De Cynicorum comparationibus	173—198
De Cynicorum ‘similibus’	180—189
De comparationum origine	189—198
a) De Platonis Hippia maiore	189—197
b) De Socratis in hac re auctoritate	197—198
3. De Cynicorum homiliis et exhortationibus ad plebem	198—236
V De Antisthenis Hercule	236—257
Additamentum	257—262
Indices	264—268

Digitized by Google

INDEX RERUM

Alexander Magnus Diogenis fautor 82 sq. 98, 2; vituperatus a Dione 95. 154—160. 241, 1. 253.

ἀναχώρησις 126.

anonymi *διαλέξεις* 130, 3. 193, 2. 195, 1. 228, 1. 239.

Antiochus Cynicus 216.

Antisthenes sophistarum sectator 228. 239. A Platone perstringitur 137, 2; in Hippia maiore 189—197; in aliis dialogis 191. 192. 193 sqq. 226. 231 sq. 232. *Διασοὺς λόγους* de eadem re dici non posse 193, 2. Eius *παλγνια* 87; eius scripta de sapientis imperio 92, de verborum usu 139, de Hercule 140. 237—252, de Hercule et Mida 92. 94. 238, de Cyro 92. 131; Homerica interpretatio 224 sqq., 249, verbi *πολύτροπος* (α 1) explicatio 226. 227 sq., 262, *περὶ τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης καὶ περὶ τοῦ κυνός* 110 sq. Fabulas ad homines docendos adhibet 249 sqq.

apomnemoneumata 83 sq.

ἄσκησις 255.

aurea aetas 117—127. 127 sq.

Bion sophista 88. 180, 2. 182. Homeromastix 180, 2. Stilponem imitatur 164 sq. Eius prosopopoeiae 162 sqq., chriae et *ὅμοια* 181 sqq., *φορτικὰ ὀνόματα* 183 sq.

canis dialecticus 110. 111, 1; canum virtutes 108—111. 261.

Cebetis tabula 248, 4. 250.

Centauri 251 sq. 256.

Chiron sophista 251 sq.

chriae 83; v. Bion.

Chrysippus *π. τοῦ κυρίως κεχρῆσθαι Ζήνωνα τοῖς ὀνόμασιν* 179; v. Stoici.

Cleanthis allegoriae 169 sqq.

Crantoris allegoria 166.

Crates 211. 214, 1. Paegnia excoluit 89 sqq., eius hymni 89 sq., necyia 90, Sardanapalli epitaphium 90, ephemeris 90, consolatio 211, Hercules tragoedia 237 sq. 247.

Cynici, nominis origo 108 sqq. Socratis genuini discipuli 102. 111. 116, 1. 139. 142. 157 sq. 172 sq. 257. 261. Litterarum inimici 103. 106. 252; Saturni aetatem restituere conantur 103. 117 sqq. *Παραχαράττουσι τὸ νόμισμα* legum, morum, opinionum 99 sqq. 102 sq. 108. 115. 133. 136 sqq.

Digitized by Google

140. 148, linguae 138 sq.; quomodo verbis usi sint 87. 98. 137, 2. 138 sq. 178. 243; *φαῦλα ὀνόματα* 190 sq. 197. Quid notiones '*φύσει*' et '*νόμῳ*' apud eos valeant 92. 98 sqq. 99, 1. 112 sq.. In tyrannos! 91 sqq., Persarum rex vituperatus 85 sqq. 94 sqq. 156. 157, 1. 233, 1. 260; v. Alexander.

Cynicorum apomnemoneumata 83 sq., protreptica 200 sq. 208. 235. Eloquentiae demonstrativae inimici 168; eorum genus dicendi 198 sqq. 261 sq., *βραχυλογία* 261, *ἀποφθεγματικοί* 257. 261, ars rhetorica 208 sqq., virtutum et vitiorum certa exempla proponunt (e sophistarum more 145, 1) 90. 93 sq. 108. 226 sq. 235 sq. Artem poeticam pro philosophiae ancilla adhibent 79. 91. 170, 1; Homeri versus *ἠθικῶς* explicant 98. 102 cf. 117. 108. 148 (v. Antisthenes), in ridiculum detorquent 161. 209. 220 sq., castigant 151 sqq. (v. Homeromastiges) eius fabulas imitantur 115, comparationes ex eo repetunt 182. 185 sq.; Euripidem adamaverunt 210, 1 et castigaverunt 193, 2.

Cynicorum epistulae a Iuliano usurpatae 98, 2; earum auctoritas 93, 1. 262; epist. sententiae cum Cynicorum reliquiis collatae 88, 1. 92. 93, 1. 94. 96, 1. 106. 106, 1. 107, 5. 111. 118. 121. 132. 135, 3. 136. 137, 4. 138. 140. 141. 146. 148. 167. 178, 1. 179 (comparatio). 201. 205. 208. 232 sq. 250. 253. 254, 1. 255; v. Dio.

Demonax 217 sq.

Demophili 'similitudines' 186, 1.

Dio, eius fontes 81 (Diogenis apomnemoneumata 83 sq., eius diatriba 95 sqq. Antisthenis Hercules 237 sqq.), quomodo fontibus usus sit 84 sq., auctores contaminavit 82. 97 sq., Xenophonte utitur 142 sq., se ipse exscribit 154, saepius; a Iuliano usurpatus 98, 2. 238, 3; a Themistio 248; a Maximo Tyrio 121, 3. Fabulas narrat: Panis 113. 114. 117, Oedipodis 131. 143 sqq., Medeae 147 sq., Promethei et Herculis 117. 153 sq. 172. 236 sq. 238 sqq. 243 sq. 248 sqq. 253 sq. 255 sq., eius *ἐγκώμιον Ἡρακλέους* 257.

Dionis sententiae cum Cynicorum et Stoicorum sententiis collatae: 108, 2. 137, 2; cum Antisthenis 87. 96, 1. 2. 106, 2. 156. 158, 1. 179 (comparatio). 219. 226 sq. 228. 232. 233. 239 sqq. 245; cum Diogenis 86 sq. 88, 1. 95, 1. 96, 1. 104, 3. 105 sq. 105, 1. 105, 2. 107, 2. 3. 4. 108 sq. 108, 2. 109. 112. 112, 4. 113. 120 sq. 121, 2. 134, 1. 2. 135, 1. 2. 136, 3. 137, 1. 5. 138, 1. 139 sq. 140, 2. 141. 147. 179 (comparatio). 180 (item). 201, 2. 212. 219, 1. 222 sq. 260. 262; Cratetis 86, 1. 108, 1. 135, 1; Metroclis 86; Monimi 209, 1; Bionis 104, 1. 105, 3. 112, 1; Menippi 88, 1. 159; Teletis 104, 2. 142; Cynicorum epistularum 88, 1. 94. 96, 1. 106, 1. 107, 5. 179 (comparatio). 232 sq. 250 sq. 253; cum Luciani Cynico 104 sq. 108, 1. 2. 112, 4. 155. 203, 1. 209, 1. 243. 248, 3. 253; cum Iuliani sententiis 88. 96, 2. 104, 2. 135, 1. 137, 4; cum Themistio (*περὶ ἀρετῆς*) 94. 96, 2. 157, 1. 233, 1; cum Cynicorum sententiis a Zellero in hist. phil. graec. collectis 104, 5. 106. 112, 2. 3. 135, 1. 136, 2. 245; cum schol. David. ad Aristot.

Digitized by Google

109. Cum Zenonis sententiis 117, 1. 145. 225; Musonii 105, 4; Epicteti 94 sq. 158. 159 sq. 243. 244 sq. 249 sq.
Tractatur Dionis
or. I 229 sqq. 237.
I p. 64 sqq. 172. 238 sq. 248 sqq.
p. 63 sq. 243.
II 231 sqq.
III 233 sqq.
orr. de Diogene 236.
or. IV 154—161. 171 sq. 229. 237.
IV p. 151 sq. 238 sqq.
p. 150 sq. 243.
p. 184 252.
V 253 sq.
VI 85—133.
VII 124. 218, 2. 225. 235 sq.
VIII et IX 133—140.—141. 237. 241. 255.
X 141—154.
XIII 219.
XX 126.
XXXII 222 sq.
LIII 224 sq. 228 sq.
LV 226 sq.
LVII 227.
LX 255 sq.
LXXI 227 sq.
LXXX 172, 1.
Diogenes ὁ Κύων 108 sq., cum sophistis comparatus 88, Cynicorum princeps habitus est 236; χρᾶσιν δι' ὅλων docet 146, 1; μισάνθρωπος 113. 134 sq., Heracliti sectator? 135, 3, hominum medicus et servator 134. 135 sq. 207 sq., προφήτης 205 sq. Cynicorum paegnion auctor 85 sq. 87 sqq., σπουδογελοῖος 91, παίζει et καταπαίζει 112 sq., eius paegnia de Venere 112 sq., de Hercule 113. 149 sqq., Homeromastix 152 sq. Orationes Olympiae habebat 136 sqq., eius colloquia 140 sq., diatribae 81. 95 sqq., 105, chriae 83, respublica 123, 'πόρδαλος' 99, 1; tragoediae 113 sq. 116 sq. 132. 143—149, pseudotragoedia Ἡρακλῆς (=Ἡρακλεῖς? 153, 1) 113 sq. 149—153. 237, genuinae sunt 153.
διπλοῖ λόγοι 193, 2.
Epicteti or. III 22 tractatur 202 sqq.; v. etiam Stoici.
Euripides cum Cynicorum sententiis comparatus 100. 113, 1.
Eusebius cum Antisthenis placitis collatus 246 sq.
ἐφημερίδες 90 sq.
florilegium Vindobonense, ex eo excerpta quaedam 257 sqq.

Digitized by Google

Heraclius Cynicus 114—117. 216. Diogenis et Oenomai tragoedias imitatur 116.
Hercules Cynicus 92. 94. 111. 236—257. *Ἡράκλεια δόγματα* 246 sq. V. Antisthenes, Dio, Diogenes. Herculis fabulae interpretationes praeter cynicas 241, 2. 244 sq. 248, 1. 251 sq. 253 sq. 255; Buttmanni interpretatio 252.
Herder 125, 1.
Herodotus quidam 254 sq.
Hippiae *Τρωϊκὸς λόγος* 200.
Homeromastiges Diogenes et Bion 152 sq. 180, 2.
Homerus eandem apud Graecos auctoritatem habet quam libri sacri apud Christianos 218. 230. V. Antisthenes, Cynici, Sophistae.
Honoratius Cynicus 217.
Iuliani fontes in or. sexta et septima 98, 2; or. septima 114 sqq. 238. 247 sq.
Kleist, Henricus de 125.
Lucianus, eius comparationes 176. 188 sq., mort. dial. XVI Diogenis 'Herculis' argumentum praebet 149 sqq., deor. dial. 115, paegnia 91, *περὶ διψάδων* 253, 1. Cebetis tabula utitur 248, 4. 250, 1; Prodici allegoria utitur 250, 1.
Maximus Tyrius de aurea aetate 121 sq.
Menedemus Cynicus 211 sq.
Menippus, in tyrannos! 93. Eius paegnia 91, necyia 93, deor. epist. 115.
Monimus, eius paegnia 89.
Musonius 215 sq.; v. etiam Stoici.
νόμιμα βαρβαρικά 125, 1. 135, 3; eorum auctoritas 127—130; eorum usus apud sophistas, tragicos poetas, philosophos, rhetores (130 sq.), Cynicos, Stoicos 131 sqq. 262.
νόμος = *νόμισμα* 99 sq.
Oenomai tragoediae 116, *αὐτοφωνία* 116, 1.
Arr. c. 24, 1 *καὶ λέγουσιν οἱ πολλοὶ τῶν ξυγγραψάντων τὰ ἀμφ' Ἀλέξανδρον ..... οὐ μὴν ἀγνοήσαντα Ἀλέξανδρον τῆς ὁδοῦ τὴν χαλεπότητα ταύτῃ ἐλθεῖν, τοῦτο μὲν μόνος Νέαρχος λέγει ὧδε, ἀλλὰ ἀκούσαντα γὰρ ὅτι οὔπω τις πρόσθεν διελθὼν ταύτῃ ξὺν στρατιᾷ ἀπεσώθη ὅτι μὴ Σεμίραμις ὅτε ἐξ Ἰνδῶν ἔφυγε. καὶ ταύτην δὲ ἔλεγον οἱ ἐπιχώριοι ξὺν εἴκοσι μόνοις τῆς στρατιᾶς ἀποσωθῆναι· Κῦρον δὲ τὸν Καμβύσου ξὺν ἑπτὰ μόνοις καὶ τοῦτον. ἐλθεῖν γὰρ δὴ καὶ Κῦρον ἐς τοὺς χώρους τούτους ὡς ἐσβαλοῦντα ἐς τὴν Ἰνδῶν γῆν, φθάσαι δὲ ὑπὸ τῆς ἐρημίας τε καὶ ἀπορίας τῆς*

Strab. XV p. 686 § 5 *φησὶ γοῦν Νέαρχος φιλονεικῆσαι αὐτὸν διὰ τῆς Γεδρωσίας ἀγαγεῖν τὴν στρατιάν, πεπυσμένον διότι καὶ Σεμίραμις ἐστράτευσεν ἐπὶ Ἰνδοὺς καὶ Κῦρος· ἀλλ' ἡ μὲν ἀνέστρεψε φεύγουσα μετὰ εἴκοσιν ἀνθρώπων, ἐκεῖνος δὲ μεθ' ἑπτά· ὡς σεμνὸν τὸ ἐκείνων τοσαῦτα παθόντων αὐτὸν καὶ στρατόπεδον διασῶσαι μετὰ νίκης διὰ τῶν αὐτῶν ἐθνῶν τε καὶ τόπων.*

p. 722 § 5 *φασὶ δὲ φιλονεικῆσαι τὸν Ἀλέξανδρον καίπερ εἰδότα τὰς ἀπορίας πρὸς τὴν κατέχουσαν δόξαν, ὡς Σεμίραμις μὲν ἐξ Ἰνδῶν φεύγουσα σωθείη μετὰ ἀνδρῶν ὡς εἴκοσι, Κῦρος δὲ ἑπτά, εἰ δύ-*

1) Sic statuendum esse docuit me cum in eo esset, ut falso de hoc loco iudicarem, C. Wachsmuthius praeceptor excellentissimus.

Digitized by Google

ὁδοῦ ταύτης ἀπολέσαντα τὴν πολλὴν τῆς στρατιᾶς. καὶ ταῦτα Ἀλεξάνδρῳ ἐξαγγελλόμενα ἔριν ἐμβαλεῖν πρὸς Κῦρον καὶ Σεμίραμιν. τούτων τε οὖν ἕνεκα καὶ ἅμα ὡς τῷ ναυτικῷ ἐγγύθεν ἐκπορίζεσθαι τὰ ἀναγκαῖα, λέγει Νέαρχος ταύτην τραπῆναι Ἀλέξανδρον.

ναιτο αὐτὸ τοσοῦτο στράτευμα διασῶσαι διὰ τῆς αὐτῆς χώρας, νικῶν καὶ ταῦτα.

Ex Arriani verbis elucet plerosque Alexandri rerum scriptores adfirmasse regem non ignorasse quidem itineris illius difficultatem, sed illac proficisci voluisse ea de causa, quia Cyrum et Semiramin eandem expeditionem suscepisse audivisset. Hoc quidem etiam Nearchum tradidisse (*τούτων ἕνεκα-λέγει Νέαρχος ταύτην τραπῆναι Ἀλέξανδρον*) sed illud negasse; immo non novisse Alexandrum tantam itineris difficultatem (*οὐ μὴν ἀγνοήσαντα Ἀλέξανδρον τῆς ὁδοῦ τὴν χαλεπότητα ταύτῃ ἐλθεῖν, τοῦτο μὲν μόνος Νέαρχος λέγει ὧδε, ἀλλὰ κτλ.*). Voluit nimirum Nearchus regem a nimiae audaciae opprobrio defendere. Strabonem autem et plerorumque scriptorum et Nearchi memorias compertas habere videmus ex locis, quos exscripsi; praecipue alter locus (p. 722) maximi est momenti. Quibus verbis antecedunt apud Strabonem Nearchi ipsius verba. Nonnulli vero, ut Coraes et Grosskurdius, mutaverunt illud *φασὶ* in *φησί*, quia quae hic de Cyro et Semiramide narrarentur prorsus congruerent cum illo Nearchi fragmento p. 686. Haec quidem mera est hariolatio; obstant Arriani verba, ex quibus Nearchum non dixisse verba *καίπερ εἰδότα τὰς ἀπορίας* adparet. Immo haec sunt verba *τῶν πολλῶν*. Itaque illud *φασὶ* Strabonem consulto dixisse credemus. Luculenter vero ex consensu quo viri docti illi abusi sunt efficitur ut opinor Strabonem variorum scriptorum composuisse memorias ita, ut Arrianus eas perhibet; uno nimirum loco ex opere suo exscripsit sententiam Nearchi, altero *τῶν πολλῶν*. Aliter consensum illum vix explicaveris. Simul autem nunc manifestum fit Arrianum hausisse ex Strabone.

Digitized by Google

Accedit aliud, quod dignissimum est memoratu. C. 24, 4 ita pergit Arrianus, ut ea quae secuntur ex Nearcho fluxisse adfirmandum sit; atque recte monuit Vogelius [1]) c. 24, 4—6; 25; 26, 4—5, quibus Arrianus alteram itineris per Gedrosiam facti descriptionem priori ex Aristobulo sumptae (c. 21—23) adserit, deprompta esse ex Nearcho, quia Arrianus prorsus consentit cum Strabone p. 721 sqq., quem sua scriptori illi debuisse dilucidum est. At in hac ipsa descriptione invenimus verba illa *φασὶ δὲ κτλ.* Itaque dubitari iam nequit, quin Arrianus omnia haec sumpserit ex Strabone. Neque enim quamquam in historia Indica conscribenda Nearchum in manibus habuit, hic Arrianum eum ipsum evolvisse credam, quia media in Nearchi narratione deprehenditur luculentum operis conlectanei vestigium c. 26, 1—3 *ἔνθα δὴ ἔργον καλὸν εἴπερ τι ἄλλο τῶν Ἀλεξάνδρου οὐκ ἔδοξέ μοι ἀφανίσαι, ἢ ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ πραχθὲν ἢ ἔτι ἔμπροσθεν ἐν Παραπαμισάδαις, ὡς μετεξέτεροι ἀνέγραψαν.* Quae non sumpta esse ex Nearcho quivis concedet. Sed artissime cohaeret haec fabula cum eis quae antecedunt. Praeterea si Strabonem inspicimus, invenimus fabulam quandam, quae et ipsa ex vulgari memoria desumpta est, p. 723 § 7 *ἐν δὲ τοῖς Ὠρίταις τὰ τοξεύματα χρίεσθαι θανασίμοις φαρμάκοις ἔφασαν;* tum adnectitur narratio illa de Ptolemaeo vulnerato et mirum in modum sanato, quae item deprehenditur Diod. XVII 103 Curt. IX 8, 22 Iustin. XII 10, 3. Ex Nearcho eam non esse petitam inde quoque elucet, quod ipse Strabo de fabulae illius fide iudicium sobrium plenumque dubitationis subiungit: *εἰκὸς δέ τινα μηνῦσαι τῶν εἰδότων, τὸ δὲ μυθώδες προσετέθη κολακείας χάριν.* Videmus igitur Strabonem hanc libri quinti decimi partem sumpsisse ex opere historico.

Denique ostendi potest etiam in Plutarchi fonte Nearchi narrationem adhibitam esse. Cuius descriptio quamquam brevissima est, tamen certum illius auctoris vestigium in ea cognoscitur:

---

1) De fontibus, quibus Strabo in libro XV conscribendo usus sit. p. 34.

Digitized by Google

Plut. 66. *καὶ πλείστους ὁ λιμὸς διέφθειρεν, ἄσπορον χώραν ἐπιόντας ἀνθρώπων κακοβίων, ὀλίγα καὶ ἀγεννῆ πρόβατα κεκτημένων, ἃ τοὺς θαλαττίους ἰχθῦς εἰθισμένα προσφέρεσθαι σάρκα μοχθηρὰν εἶχε καὶ δυσώδη.*	Strab. p. 720 § 2 *τοῖς δ' ἰχθύσι χρῶνται καὶ αὐτοὶ καὶ θρέμματα καὶ τοῖς ὀμβρίοις ὕδασι καὶ ὀρυκτοῖς· καὶ τὰ κρέα δὲ τῶν θρεμμάτων ἰχθύων προσβάλλει.* Cf. etiam Arr. hist. Ind. c. 19, 13 et Vogel. l. l. p. 32 sq.

Itaque hac quoque ex parte comprobatur Strabonem esse operis conlectanei auctorem.

In recensendis reliquis locis, quibus idem evincemus, sequemur ordinem libri Arrianei.

L. III 2, 1—2 refert Arrianus vaticinium quoddam Aristandri vatis Telmissensis, cuius narrationis originem produnt verba initio posita: *λέγεται δέ τις καὶ τοιόσδε λόγος, οὐκ ἄπιστος ἔμοιγε.* Narratur Alexandrum, cum condendae Alexandriae operam dedisset, circuitum urbis farina designasse, quia nihil praesto fuisset, quo aptius terra potuisset inscribi. Quod omen esse secundum Aristandrum edixisse. Fraenkelius p. 270 ex Aristobulo haustam esse hanc fabulam contendit, quem non fuisse fontem elucet his ex verbis: *Ἀρίστανδρον τὸν Τελμισσέα, ὃς δὴ πολλὰ καὶ ἄλλα ἀληθεῦσαι ἐλέγετο.* Nam quomodo Arrianus sic loqui poterat, si Aristobulus iam antea Aristandrum saepius commemoraverat? Eandem fabulam narrat Plutarchus, qui c. 26 et 27 agit de Alexandro in Aegypto versante. Facile vero est demonstratu Plutarchum hausisse ex Strabone.

Initio c. 26 commemorat Plutarchus Iliadem *τὴν ἐκ τοῦ νάρθηκος λεγομένην*, cuius paene eisdem verbis mentionem facit Strabo XIII p. 594.

Plut. *κιβωτίου δέ τινος αὐτῷ προσενεχθέντος, οὗ πολυτελέστερον οὐδὲν ἐφάνη τοῖς τὰ Δαρείου χρήματα καὶ τὰς ἀποσκευὰς παραλαμβάνουσιν . . . αὐτὸς ἔφη τὴν Ἰλιάδα φρουρήσειν ἐνταῦθα κατατθέμενος.*	Strab. *ἔπειτα κατατθέντος εἰς νάρθηκα ὃν εὗρεν ἐν τῇ Περσικῇ γάζῃ πολυτελῶς κατεσκευασμένον.*

Digitized by Google

Tum capite extremo exponit Plutarchus viam ad Hammonem ferentem valde periculosam esse ea de causa, quia saepissime magna austri vi proficiscentes harena obruerentur; exemplum adfert Cambysis regis, cuius exercitus ita interisset. De qua re mirum quantum consentit cum Strabone XVII p. 820, qui sua hausit ex Herodoti l. III c. 26:

Plut. *τὸν δέ, εἰ λάβρος ἐν ἄμμῳ βαθείᾳ καὶ ἀχανεῖ πορευομένοις ἐπιπέσοι νότος, ὥς που καὶ πάλαι λέγεται περὶ τὸν Καμβύσου στρατὸν ἀναστήσας θῖνα μεγάλην καὶ κυματώσας τὸ πεδίον μυριάδας ἀνθρώπων πέντε καταχῶσαι καὶ διαφθεῖραι.*

Strab. *ἐκ δὲ Ψέλχιος ἦκεν εἰς Ἱρῆμνιν ἐρυμνὴν πόλιν διελθὼν τοὺς θῖνας, ἐν οἷς ὁ Καμβύσου κατεχώσθη στρατὸς ἐμπεσόντος ἀνέμου.*

De Alexandri itinere ad Hammonis templum facto laudat Plutarchus c. 27 Callisthenem; hunc ipsum Strabonem adhibuisse et exscripsisse de eadem re videmus ex l. XVII p. 813 – 814, ubi multa ex eo proferuntur de expeditione illa oraculisque acceptis ab Hammone.

Uterque consentit de forma urbis conditae: c. 26 *εἰς σχῆμα χλαμύδος* = Strab. p. 793 *ἔστι δὲ χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμα τοῦ ἐδάφους τῆς πόλεως.*

Denique Straboni id maxime convenit, quod Plutarchus Homeri quosdam versus de Pharo insula adfert; quam studiose Strabo Homerum in libris geographicis laudaverit quis nescit?

Itaque dubium manere nequit, quin haec capita fluxerint ex Strabone. Accedit vero, quod ipsam fabulam, de qua nunc agimus, apud Strabonem invenimus, XVII p. 792, ubi loquitur de Alexandria condita. Dixerit quidem quispiam ex Strabone Plutarchum hic ideo haurire non potuisse, quia novam fabulam de avibus farina vescentibus addat. Quid tamen impedit, quominus Strabonem non omnia ex hypomnematis in libros geographicos transtulisse arbitremur? Nonne etiam Arrianus fabulam de avibus prolatam omisit? Hic quidem Aristandrum commemorat, cum Strabo et Plutarchus in universum de vatibus loquantur; sed Arrianum quoque de com-

Digitized by Google

pluribus vatibus dicere videmus: *τοῦτο δὲ ἐπιλεξαμένους τοὺς μάντεις καὶ μάλιστα δὴ Ἀρίστανδρον τὸν Τελμισσέα.* Atque de ceteris Strabo et Arrianus tantopere consentiunt, ut iure hunc ex illo sua petisse statuere possimus. Id autem semper in his quaestionibus respiciendum est saepius Plutarchum fontem suum abbreviasse, haud paucas memorias prorsus praeterisse, denique complures in unam contraxisse, quoniam omnia commemorare neque volebat neque poterat; quam rationem etiam saepius inlustrabimus exemplis sat luculentis. Ita intellegitur, quomodo factum sit, ut Arrianus et Plutarchus, quamquam in summa re consensus perspicitur, tamen singulis rebus nonnunquam inter se discrepent.

Quae cum ita sint, communem hic Arriani Plutarchique fontem fuisse Strabonis hypomnemata nos contendimus.

Lib. VI 11 profert Arrianus multas de Alexandro apud Mallos vulnerato memorias atque § 1 et 2 disserit de sagitta ex vulnere extracta. Tum § 3 sqq. exponit Alexandrum non in Oxydracis, quod falso multi tradidissent, sed in Mallis vulnus accepisse neque Ptolemaeum regem ex vitae periculo imminenti servasse. Addit § 4—6 similem locorum commutationem a rerum scriptoribus commissam; errore enim deductos plerosque referre (*ὁ πᾶς λόγος κατέχει*) ultimum cum Dareo proelium pugnatum esse apud Arbelam, non apud Gaugamelam. Invenimus hanc eandem quaestionem de proelii illius loco in Plutarchi vit. c. 31; ambo vero scriptores prorsus de hac re congruunt cum Strabone XVI p. 737 § 3.

Arr. § 4 *ἐπεὶ καὶ τὴν τελευταίαν μάχην τὴν πρὸς Ἀραξον γενομένην, καθ' ἥντινα ἔφυγε Δαρεῖος ... πρὸς Ἀρβήλοις γενέσθαι ὁ πᾶς λόγος κατέχει .... Ἄρβηλα δὲ τοῦ χώρου ἐν ᾧ τὴν ἐσχάτην μάχην Δαρεῖός τε καὶ Ἀλέξανδρος ἐμαχέσαντο οἱ μὲν*	**Plut.** *τὴν δὲ μεγάλην μάχην πρὸς Δαρεῖον οὐκ ἐν Ἀρβήλοις, ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσε. Σημαίνειν δέ φασιν οἶκον καμήλου τὴν διάλεκτον, ἐπὶ τῶν πάλαι τις βασιλέων ἐκφυγὼν πολεμίους ἐπὶ καμήλου δρο-*	**Strab.** *Γαυγάμηλα κώμη, ἐν ᾗ συνέβη νικηθῆναι καὶ ἀποβαλεῖν τὴν ἀρχὴν Δαρεῖον. ἔστι μὲν οὖν τόπος ἐπίσημος οὗτος καὶ τοὔνομα· μεθερμηνευθὲν γάρ ἐστι καμήλου οἶκος· ὠνόμασε δ' οὕτω Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπεω, κτῆμα δοὺς εἰς διατροφὴν τῇ*

Digitized by Google

τὰ πλεῖστα ξυγγράψαντες λέγουσιν ὅτι ἑξακοσίους σταδίους ἀπέχει, οἱ δὲ τὰ ἐλάχιστα, ὅτι ἐς πενταχοσίους. ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γὰρ γενέσθαι τὴν μάχην πρὸς τῷ ποταμῷ Βουμώδῳ λέγει Πτολεμαῖος καὶ Ἀριστόβουλος. πόλις δὲ οὐκ ἦν τὰ Γαυγάμηλα, ἀλλὰ κώμη μεγάλη, οὐδὲ ὀνομαστὸς ὁ χῶρος οὐδὲ εἰς ἀκοὴν ἠδὺ τὸ ὄνομα· ἔνθεν δή μοι δοκεῖ πόλις οὔσα τὰ Ἄρβηλα ἀπηνέγκατο τὴν δόξαν τῆς μεγάλης μάχης.

μάδος ἐντανθα καθίδρυσεν αὐτήν, ἀποτάξας τινὰς κώμας καὶ προσόδους εἰς τὴν ἐπιμέλειαν.

καμήλῳ τῇ συνεκπεπονηκυίᾳ μάλιστα τὴν ὁδὸν τὴν διὰ τῆς ἐρήμου Σκυθίας μετὰ τῶν φορτίων, ἐν οἷς ἦν καὶ ἡ διατροφὴ τῷ βασιλεῖ. οἱ μέντοι Μακεδόνες τοῦτο μὲν ὁρῶντες κώμιον εὐτελές, τὰ δὲ Ἄρβηλα κατοικίαν ἀξιόλογον, κτίσμα ὥς φασιν Ἀρβήλου τοῦ Ἀθμονέως, περὶ Ἄρβηλα τὴν μάχην καὶ νίκην κατεφήμισαν καὶ τοῖς συγγραφεῦσιν οὕτω παρέδωκαν.

Facile intellegitur Arrianum et Plutarchum ad eundem redire auctorem, quem fuisse Strabonem negari nequit. Quoniam vero Strabonem quaestionem illam ante ipsius proelii descriptionem praebuisse ex Plutarcho adparet, iure statuemus Arrianum eam inseruisse in memoriarum de Alexandro vulnerato traditarum conlectionem, cum hunc locum commodum aptumque esse duceret. Nequaquam igitur anxie et religiose servavit ordinem a Strabone institutum, sed transposuit, quando placebat; quae res neminem offendet. Nullo vero argumento nititur coniectura Fraenkelii, qui Schoenium (cf. p. 28) secutus contendit, sumpsisse sua Strabonem ex Eratosthene (cf. p. 46); quod etiam si verum esset, nihil impediret, quominus Arrianum et Plutarchum ex Strabone sua petisse statueremus. Denique notandum est Arrianum ipsum fortasse adtulisse Ptolemaei et Aristobuli auctoritatem, quia nihil simile invenitur apud Plutarchum et Strabonem.

Sed etiam reliquam narrationem testimoniorumque variorum conlectionem Arrianum debere Straboni satis certa ratione comprobari potest. Kaerstius enim (p. 33 sqq.) contulit hos Curtii et Arriani locos, quibus disseritur de Ptolemaeo, quem

Digitized by Google

Alexandrum in Mallorum urbe expugnanda comitatum esse multi tradiderant.

Curt. IX 5, 21 Ptolemaeum qui postea regnavit huic pugnae adfuisse auctor est Clitarchus et Timagenes. Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, afuisse se missum in expeditionem memoriae tradidit.

Arr. 11, 8 *Πτολεμαῖον γὰρ τὸν Λάγου ἔστιν οἳ ἀνέγραψαν ξυναναβῆναί τε Ἀλεξάνδρῳ κατὰ τὴν κλίμακα ὁμοῦ Πευκέστᾳ καὶ ὑπερασπίσαι κειμένου, καὶ ἐπὶ τῷδε Σωτῆρα ἐπικληθῆναι τὸν Πτολεμαῖον· καίτοι αὐτὸς Πτολεμαῖος ἀναγέγραφεν οὐδὲ παραγενέσθαι τούτῳ τῷ ἔργῳ· ἀλλὰ στρατιᾶς γὰρ αὐτὸς ἡγούμενος ἄλλας μάχεσθαι μάχας καὶ πρὸς ἄλλους βαρβάρους.*

Haec tantopere conspirant, ut ex eodem fonte ea fluxisse veri sit simillimum; [1]) quem existimandum esse Strabonem ratio temporum docet, ut bene Kaerstius Gutschmidio monente statuit. Accedit autem quod Strabo saepissime Timagenem in usum suum convertit. Conferas primum Ioseph. Ant. Iud. XIII 11, 3 *ὡς μαρτυρεῖ τοῦτο καὶ Στράβων ἐκ τοῦ Τιμαγένους ὀνόματος λέγων οὕτως.* Deinde bis eum laudat in libris geographicis; utroque vero loco eius fidem in dubitationem vocat eiusque auctoritati alius scriptoris testimonium opponit. L. IV p. 188 hausit nonnulla ex Timagene de Tectosagis, statim vero monet *πιθανώτερος δ' ἐστὶν ὁ Ποσειδωνίου λόγος.* Deinde fabulas quasdam a Timagene de miro quodam aenearum guttarum imbre respuit XV p. 711 his verbis *μῦθος δὲ καὶ τὸ ὑπὸ Τιμαγένους λεχθέν*, quibus subiungit Megasthenis testimonium maiore fide dignum: *ἐγγυτέρω δὲ πίστεως φησὶν ὁ Μεγασθένης.* Consuevit igitur Strabo [2]) Timagenis narrationes impugnare, quod maximi momenti videtur esse, cum videamus etiam Curtii loco illum refutari. Itaque etiam hic Arrianum sua ex Strabonis hypomnematis

1) Sic etiam Schoenius iudicat p. 47.

2) Consentaneum est non placuisse Straboni, qui Octaviani partes sequebatur, mores et ingenium Timagenis, quem liberiore in Augustum lingua usum esse scimus.

Digitized by Google

petisse mihi persuasum est. Num vero etiam plura Curtius debeat Straboni praeter locum a nobis adlatum, nunc amplius quaerere non licet.

Iam tractanda sunt l. VII c. 1, 5—3, 6. Primum profert Arrianus narratiunculam quandam de Indorum philosophis, qui regis cupiditatem imperii quam maxime amplificandi vehementer perstrinxerant; quoniam in eis quae antecedunt (§ 2 et 3) futuras Alexandri expeditiones enumeraverat, aptissima erat occasio talia inserendi, quae ad eandem rem spectare adparet. Ceterum significat se uti tertio illo fonte: *ὧν λέγουσιν ἔστιν οἷς κτλ.* (c. 1, 5—2, 1). Quam fabulam cum his verbis concludat: *ἐπῄνεσε μὲν Ἀλέξανδρος τούς τε λόγους αὐτοὺς καὶ τοὺς εἰπόντας, ἔπρασσε δὲ ὅμως ἄλλα καὶ τἀναντία οἷς ἐπῄνεσεν*, transitum parat ad fabulam de Diogene regem ex solis splendore recedere iubente circumlatam, quae et ipsa ex tertio fonte petita esse existimanda est: *ἐπεὶ καὶ Διογένην τὸν ἐκ Σινώπης θαυμάσαι λέγεται.* Eandem fabulam Plutarchus narrat c. 14, 2 prorsus congruenter cum Arriano sic locutus: *πρὸς τοῦτο λέγεται τὸν Ἀλέξανδρον οὕτω διατεθῆναι καὶ θαυμάσαι.* Etiam in reliquis ita consentiunt ambo auctores, ut de communi fonte dubitari nequeat. Tertia denique additur narratio, quae item de philosophis agit, quorum *καρτερίαν ἐθαύμασεν*; cuius originem produnt verba *ὑποκρίνασθαι γὰρ λέγεται*; quin etiam is laudatur, qui narratiunculam illam memoriae prodiderat: *ἀλλὰ Κάλανον γὰρ ἀναπεισθῆναι τῶν ταύτῃ σοφιστῶν, ὅντινα μάλιστα δὴ αὐτοῦ ἀκράτορα Μεγασθένης ἀνέγραψεν αὐτοὺς τοὺς σοφιστὰς λέγειν, καλίζοντας τὸν Κάλανον ὅτι ἀπολιπὼν τὴν παρὰ σφίσιν εὐδαιμονίαν, ὁ δὲ δεσπότην ἄλλον ἢ τὸν θεὸν ἐθεράπευε.* Potuit quidem hic Megasthenem ipsum adhibere, quam saepius evolvit in historia Indica conscribenda. Eandem autem fabulam narrat Strabo XV p. 718 et ipse Megasthenem secutus. Apud quem cum Calanus initio fabulae commemoretur, Arrianus ordinem mutasse videtur propterea quod dicit c. 3 ineunte: *ταῦτα ἐγὼ ἀνέγραψα, ὅτι καὶ ὑπὲρ Καλάνου ἐχρῆν εἰπεῖν ἐν τῇ περὶ Ἀλεξάνδρου συγγραφῇ.* Voluit

Digitized by Google

nimirum aptissime ad ea quae secuntur transire. Id vero bene animadvertendum est etiam a Strabone hanc Megasthenis memoriam coniungi cum Calani cremati narratione, quod vix casui tribuendum est.

Sed ut de eis quae secuntur rectius feramus iudicium oportet Plutarchi memoriam accuratius inspicere, ut cognoscatur, quomodo eius narratio composita sit.

C. 67 primum refertur fabula quaedam de Ocho Persarum rege, quam iterum narrat Plutarchus de mulier. virt. 5; cuinam debeatur fonti ignoratur. Tum agit de Cyri sepulcro violato. Quae habet de Polymacho Pellaeo, apud alium scriptorem non redeunt; titulum vero sepulcri illius ex duobus Plutarchum composuisse facile cognosces, si comparaveris, quae Arrianus VI 29, 8 ex Aristobulo profert. Huius enim verba continet titulus, quem adfert Plutarchus. Memorias vero de Cyri sepulcro conlegisse Strabonem elucet ex XV 3, 7 sq., ubi laudat de hac re Aristobulum Onesicritum Aristum.

C. 69 exeunte Plutarchus mortem Calani narrat. Arte cum hac narratione cohaeret prima capitis 70, qua potatio illa describitur, quam post philosophi illius mortem rex instituisse dicitur. Hic Chares fons statuendus est; primum enim ipse a Plutarcho laudatur, deinde eadem sub illius auctoris nomine deprehenduntur apud Athenaeum X p. 437 in catalogo *φιλοποτῶν*. Iam Vogelius l. l. p. 16 sibi persuasit Plutarchi narrationem de Calani morte proditam ex eodem Charete fluxisse, quia verba, quae Calano morituro tribuerentur: *ἐδεξιοῦτο τοὺς παρόντας τῶν Μακεδόνων καὶ παρεκάλει τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡδέως γενέσθαι καὶ μεθυσθῆναι μετὰ τοῦ βασιλέως* ad ea, quae c. 70 ex illo adferrentur, spectarent cum eisque cohaererent. Hoc quidem recte virum doctissimum statuisse nemo negabit. Attamen argumento gravissimo prohibemur, quominus totam Plutarchi de Calani morte memoriam ex Charete haustam esse nobis persuadeamus. Nam quae Plutarchus dicit de habitu, quo usus Calanus mortem igneam expectabat: *ταῦτα δ' εἰπὼν κατακλιθεὶς καὶ συγκαλυψάμενος οὐκ ἐκινήθη τοῦ πυρὸς πλησιάζοντος. ἀλλ' ἐν ᾧ κατεκλίθη σχήματι, τοῦτο*

Digitized by Google

διατηρῶν ἐχαλλιέρησεν ἑαυτὸν τῷ πατρίῳ νόμῳ τῶν ἐκεὶ σοφιστῶν prorsus consentiunt cum Arriano c. 3, 5, Diodoro c. 107, 5, Strabone XV p. 717 § 68; sed Charetem aliter narrasse discimus ex Athenaei verbis: *Χάρης δ' ὁ Μυτιληναῖος ἐν ταῖς περὶ Ἀλέξανδρον ἱστορίαις περὶ Καλάνου εἰπὼν τοῦ Ἰνδοῦ φιλοσόφου, ὅτι ᾠ ί ψ α ς ἑαυτὸν εἰς πυρὰν νενημένην ἀπέθανε.*[1]) Iam Fraenkelius p. 167 Athenaeum non diligenter reddidisse Charetem atque tota narratione in unum enuntiatum satis breve contracta falso verbo usum esse arbitratus est. Quam sententiam probaret quispiam, nisi Athenaeus cum altera memoria a Strabone de Calani morte prodita consentiret: *μετὰ τὴν πομπὴν μεθ' ἧς ἦχε ᾠ ί ψ α ν τ α ἑαυτὸν ὡς ἂν δοκὸν συνεμπρησθῆναι τῷ οἴκῳ.* Itaque Plutarchum non unius scriptoris narrationem

1) Calani mentionem facit Lucianus de morte Peregr. 25: *ἐκεῖνοι γαρ* (scil. *οἱ Βραχμᾶνες*) *οὐκ ἐμπηδῶσιν εἰς τὸ πῦρ, ὡς Ὀνησίκριτος ὁ Ἀλεξάνδρου κυβερνήτης ἰδὼν Κάλανον καόμενόν φησιν, ἀλλ' ἐπειδὰν νήσωσι, πλησίον παραστάντες ἀκίνητοι ἀνέχονται παροπτώμενοι, εἶτ' ἐπιβάντες κατὰ σχῆμα καίονται οὐδ' ὅσον ὀλίγον ἐκτρέψαντες τῆς κατακλίσεως.* Tradidit igitur Onesicritus similiter atque Chares et Strabo insiluisse Calanum in ignem; aliter Luciani verba intellegi non possunt. Sed conexum huius loci perspiciamus. Peregrinus in ignem sese praecipitavit; tamen cum Brachmanis eum comparare non licet, quia hi maximam prae se ferunt constantiam, cum priusquam moriuntur vehementissimos suscipiant dolores. Peregrinus vero flammis deditus illico necatus est. Quae si nobiscum reputamus, nonne mirum videtur, quod Lucianus Onesicriti testis oculati auctoritatem adlata id ipsum comprobat, quod factum esse negat? Nonne contra se ipse pugnat? Neque ullo verbo significavit falsam esse Onesicriti memoriam. Aptius hercle fuisset, si suam sententiam oculati testis testimonio confirmasset. Sed accedit aliud. Omnino non rettulit Onesicritus Brachmanos in ignem insilire vel Calanum insiluisse. Hoc elucet ex duobus locis Strabonianis, quos ex Onesicrito desumptos esse conexu evincitur; XV p. 715 § 64 *διαλεχθῆναι δ' ἐνί τούτων Κάλάνῳ, ὃν καὶ συναχολουθῆσαι τῷ βασιλεῖ μέχρι Περσίδος καὶ ἀποθανεῖν τῷ πατρίῳ νόμῳ τεθέντα ἐπὶ πυρκαϊάν;* p. 716 § 65 *αἴσχιστον δ' αὐτοῖς νομίζεσθαι νόσον σωματικήν· τὸν δ' ὑπονοήσαντα καθ' αὐτοῦ τοῦτο, ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ πυρὸς νήσαντα πυράν, ὑπαλειψάμενον δὲ καὶ καθίσαντα ἐπὶ τὴν πυρὰν ὑφάψαι κελεύειν, ἀκίνητον δὲ καίεσθαι.* Ergo Lucianum scripsisse suspicabimur: *ἐκεῖνοι γὰρ οὐκ ἐμπηδῶσιν εἰς τὸ πῦρ, ἀλλ', ὡς Ὀνησίκριτος ὁ Ἀ. κυβερνήτης ἰδὼν Κάλανον καόμενόν φησιν, ἐπειδὰν νήσωσι κτλ.*

Digitized by Google

reddere, sed varias in unam conglutinasse oportet concludi. Vides quam bene haec quadrent ad sententiam nostram de conlectaneo quodam opere a Plutarcho adhibito; nimirum contraxit narratiunculas quas in eo invenerat in telam artissimam.

Etiam c. 70 facile demonstrari potest Plutarchi narrationem ad diversos redire auctores; Fraenkelius quidem censuit descriptionem nuptiarum Susae celebratarum Chareti ideo attribuendam esse, quia satis copiose de hac re eum egisse constaret. Habemus enim amplum eius fragmentum illis de festis, quod servavit Athenaeus XII p. 538 B. Sed perlegas velim Plutarchi et Charetis narrationem: nihil fere invenitur, in quo uterque consentiat.

Iam ad Arrianum redeamus. Primum certissimis vestigiis intellegitur, Arrianum narrationem Calani cremati non hausisse ex Aristobulo, sed ex tertio illo fonte. Compluries enim sic citat: *οἱ δὲ λέγουσιν*; quin etiam § 6 laudatur Nearchus. Denique ipse multorum auctorum memorias se referre indicat his: *ταῦτα ἱκανοὶ ἀναγεγράφασιν*. Itaque neque ex solo Aristobulo neque Ptolemaeo hausit. Redire vero Plutarchum et Arrianum ad Strabonem non est difficile demonstratu. Primum enim, ut iam supra p. 28 monui, Strabo et Arrianus coniungunt Megasthenis narrationem cum memoria de Calano mortuo prodita; deinde vero ex Strabonis verbis p. 717 § 68 adparet multas eum novisse memorias diversorum scriptorum. Sic enim loquitur: *τῆς δ' ἀνομολογίας τῶν συγγραφέων ἔστω παράδειγμα καὶ ὁ περὶ τοῦ Καλάνου λόγος*. Tum addit comitatum eum esse Alexandrum et mortem voluntariam obisse omnes quidem referre, sed qua ratione et quibus de causis mortem sibi consciverit inter eos minus constare. Sine dubio haec iam in opere historico exposuit. Profert vero duas memorias de Calano cremato: altera vulgaris est, altera Chareti tribuenda erit, quem auctorem apud Plutarchum reperimus, quod haud mediocris est momenti. Accedit tertium argumentum, cuius iam Kaerstius mentionem fecit. Dicit Plutarchus c. 69 extr., postquam Calani mortem descripsit: *τοῦτο πολλοῖς ἔτεσιν ὕστερον ἄλλος Ἰνδὸς ἐν Ἀθήναις Καίσαρι συνὼν*

Digitized by Google

ἐπολιήσε, quae ex eodem fonte fluxisse atque ea quae antecedunt negari nequit. Idem autem amplius refert Strabo XV p. 719—720 Nicolaum Damascenum secutus; breviter tantum alio quodam loco commemorat, p. 686 § 4, ubi itidem Calani mentionem inicit: *ἦκεν — καὶ ὁ καταπαύσας ἑαυτὸν Ἀθήνησι σοφιστὴς Ἰνδός, καθάπερ καὶ ὁ Κάλανος Ἀλεξάνδρῳ τὴν τοιαύτην θέαν ἐπιδειξάμενος.*

Haec omnia argumenta adeo valent, ut etiam hic de Strabone communi Arriani et Plutarchi auctore dubitari non liceat.

Postremo loco agendum est de VII 13, 2—5, ubi narrat Arrianus de Amazonibus ab Atropate Mediae satrapa ad Alexandrum ductis. *Λεγόμενα* eum referre apertum est; dicit enim initio *ἐνταῦθα λέγουσιν ὅτι* et paullo post *οἱ δὲ καὶ λέγουσιν ὅτι*. Disertis deinde verbis monet Arrianus § 3: *ταῦτα οὔτε Ἀριστόβουλος οὔτε Πτολεμαῖος οὔτε τις ἄλλος ἀνέγραψεν ὅστις ἱκανὸς ὑπὲρ τοιούτων τεκμηριῶσαι.* Arriani narrationem respondere ei quam Plutarchus c. 46 proderet, sibi persuasit Schoenius p. 45, cui paene prorsus adsensus est Schaeferus l. l. p. 441. Contra Koehlerus p. 24 et Fraenkelius p. 60 sqq. statuerunt hos duos locos vix esse consociandos, quia Arrianus valde discreparet a Plutarcho; narrat enim Atropaten ad Alexandrum centum mulieres habitu Amazonum vestitas et armatas duxisse; haec autem fabula plane aliena est a vulgari et a plurimis scriptoribus circumlata; quam Plutarchum quoque referre videmus. Immo patet narrationem ab Arriano proditam ad alterius exemplum confictam esse, quod dilucide ex his praecipue intellegas: *κελεῦσαι δ' ἀπαγγεῖλαι πρὸς τὴν βασίλισσαν σφῶν ὅτι αὐτὸς ἥξει πρὸς αὐτὴν παιδοποιησόμενος*, ab eo fortasse scriptore, qui illam fabulam veri similiorem reddere studebat. Itaque statuendum est duplicem extitisse memoriam de Amazonibus ad Alexandrum venientibus. Attamen Arriano eam quaestionem, quam in usum suum convertit Plutarchus, ante oculos esse potuisse nemo negabit, qua in re cum Schaefero prorsus consentio, nam etiam apud Arrianum in universum de Amazonibus agitur. Atque ordinem operis conlectanei eum neglexisse iam semel vidimus. Certe novit alteram illam

Digitized by Google

fabulam, sed elegit hanc sat diversam memoriam, quia illam omni fide carere sibi persuaserat.

A Plutarcho magnum auctorum numerum commemorari capite illo notum est, quos omnes eum ipsum inspexisse nemo contendet nisi quis consulto id quod verum est videre nolit. Amazones cum Alexandro convenisse Plutarcho testante contenderunt quinque auctores, inter quos Clitarchus nominatur, negaverunt multo plures praeter alios quosdam Aristobulus quoque et Ptolemaeus; hos vero dixisse *φάσμα γεγονέναι τοῦτο* adfirmat Plutarchus. Hoc verum esse nequit, immo id certum videtur esse illos omnino non mentionem fecisse Amazonum. Fortasse id quod de uno vel altero reliquorum dixerat Plutarchi auctor, ipse neglegentius ad omnes rettulit. Hoc unum recte Fraenkelius mihi statuisse videtur.

Quem vero Plutarchi fontem fuisse suspicabimur? Non dubito, quin Strabo fuerit, qui XI p. 505 amplissime tractat Amazonum fabulam. Dicit enim *καθάπερ καὶ περὶ Θαλη-στρίας, ἣν Ἀλεξάνδρῳ συμμῖξαί φασιν ἐν τῇ Ὑρκανίᾳ καὶ συγγενέσθαι τεκνοποιίας χάριν, δυναστεύουσαν τῶν Ἀμαζόνων· οὐ γὰρ ὁμολογεῖται τοῦτο· ἀλλὰ τῶν συγγραφέων τοσούτων ὄντων οἱ μάλιστα τῆς ἀληθείας φροντίσαντες οὐκ εἰρήκασιν, οὐδ' οἱ πιστευόμενοι μάλιστα οὐδενὸς μέμνηνται τοιούτου, οὐδ' οἱ εἰπόντες τὰ αὐτὰ εἰρήκασιν;* quibus adicit Clitarchi memoriam. Inde sequitur magnum variorum auctorum numerum eum adiisse, ut quid tradidissent de Amazonibus cognosceret. Atque etiam id quaesivit, num ei qui Amazones cum Alexandro convenisse narrarent inter se consentirent. Quorum auctorum omnium testimonia et memorias composuisse eum in hypomnematis consentaneum est. Sed aliud accedit, quod animum advertit in Strabonem. Inter auctores quos Plutarchus recenset invenimus Polycletum[1]) quendam, quem de rebus Alexandri scripsisse ex fragmentorum argumento viri docti conlegerunt. Quem scriptorem semel laudant Aelianus N. A. XVI 41 et Athe-

1) Quod traditum est *Ηολίχριτος*, sine dubio recte emendavit Coraes; eundem librariorum errorem deprehendimus apud Strabonem XV p. 735. Cf. Muell. Fragm. Scriptt. rer. Alex. M. p. 124.

Digitized by Google

naeus XII p. 539 A, quinquies vero Strabo, XI p. 509 de mari Caspio, XV p. 728 § 2 de Susorum urbe muris non circumdata, ibid. § 4 de Choaspe Eulaeo Tigride, p. 735 de Persarum moribus, p. 742 de Euphrate non exundante. Utri igitur illorum testimoniorum conlectio probabilius adtribuitur, Plutarcho an Straboni? Equidem nullus dubitaverim adfirmare ad Strabonem redire et Plutarchum et Arrianum.

Praeter locos in quos adhuc inquisivimus complures extant unius Plutarchi, quos ea de causa placet commemorare, quia Strabonem fuisse operis conlectanei auctorem ex eis adparet. Atque primum omnium monendum esse videtur etiam Plutarchum c. 62 eadem de Sandrocotto Indorum rege et Seleuco Nicatore narrare atque Strabonem (cf. p. 724 § 9), ex quo Appianum sua hausisse supra p. 18 ostendimus; dicit haec Plutarchus *Ἀνδρόκοττος γὰρ ὕστερον οὐ πολλῷ βασιλεύσας Σελεύκῳ πεντακοσίους ἐλέφαντας ἐδωρήσατο.* Quae verba non fluxisse ex eo auctore, ex quo reliqua quae hoc capite continentur repetenda esse videntur, recte opinor monuerunt Vogelius l. l. p. 15 et Fraenkelius p. 153. Strabo sua sumpsit fortasse ex Megasthene.

Congruit porro Plutarchi c. 59 cum eis quae a Strabone p. 698 § 28 exponuntur de regno Taxilis, cum quo Alexander foedus icit:

Plut. *ὁ δὲ Ταξίλης λέγεται μὲν τῆς Ἰνδικῆς ἔχειν μοῖραν οὐκ ἀποδέουσαν Αἰγύπτου τὸ μέγεθος, εὔβοτον δὲ καὶ καλλίκαρπον ἐν τοῖς μάλιστα, σοφὸς δέ τις ἀνὴρ εἶναι καὶ τὸν Ἀλέξανδρον ἀσπασάμενος .... λαβὼν δὲ δῶρα πολλὰ καὶ δοὺς πλείονα, τέλος χίλια τάλαντα νομίσματος αὐτῷ προέτιεν. Ἐφ' οἷς τοὺς μὲν φίλους ἰσχυρῶς ἐλύπησε, τῶν δὲ βαρβάρων πολλοὺς ἐποίησεν ἡμερωτέρους ἔχειν πρὸς αὐτόν.*

Strab. *Τάξιλά ἐστι πόλις μεγάλη καὶ εὐνομωτάτη, καὶ ἡ περικειμένη χώρα σιχνὴ καὶ σφόδρα εὐδαίμων .... ἐδέξαντό τε δὴ φιλανθρώπως τὸν Ἀλ. οἱ ἄνθρωποι καὶ ὁ βασιλεὺς αὐτῶν Ταξίλης· ἔτιχόν τε πλειόνων ἢ αὐτοὶ παρέσχον, ὥστε φθονεῖν τοὺς Μακεδόνας καὶ λέγειν ὡς οὐκ εἶχεν, ὡς ἔοικεν, Ἀλέξανδρος οὓς εὐεργετήσει πρὶν ἢ διέβη τὸν Ἰνδόν. φασὶ δ' εἶναί τινες τὴν χώραν ταύτην Αἰγύπτου μείζονα.*

Digitized by Google

Hi loci ideo gravissimi sunt momenti, quia Plutarchum pariter ac Strabonem variorum scriptorum memorias proferre elucet.

Denique conferas quaeso, quae Plut. c. 35 = Strab. p. 743 § 15 narrantur de puero quodam naphtha superfuso et quae c. 72 = p. 641 § 23 de Stasicrate vel Dinocrate memorantur, qui Athonem montem in figuram humanam sese conformaturum pollicitus esse Alexandro dicitur.

Ex Strabone igitur sumpsisse suspicabimur Plutarchum omnia quos laudat in Alexandri vita scriptorum nomina. Quorum novissimus est Sotio, cuius auctoritatem adfert c. 61 *λέγεται δὲ καὶ κίνα Περίταν ὄνομα τεθραμμένον ὑπ' αὐτοῦ καὶ στεργόμενον ἀποβαλὼν κτίσαι πόλιν ἐπώνυμον. Τοῦτο δὲ Σωτίων φησὶ Ποτάμωνος ἀκοῦσαι τοῦ Λεσβίου.* Sotio fuit philosophus ille Alexandrinus, quem floruisse a. p. Chr. 13 scimus ex Hieronymo, quo tempore Romae eum docuisse inde adparet, quod Seneca, qui anno a. Chr. quarto natus est, se puerum sedisse apud Sotionem narrat (Epist. 49, 2). Poterat igitur Strabo Sotionem adire in opere suo conscribendo. Sed quid de Potamone? Hunc imperante Tiberio floruisse vulgo ferunt, cum Suidas de eo adnotet *ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Τιβερίου.* Sed hoc Suidae testimonium, quo si recte se haberet sententia nostra fortasse concideret, falsum esse nuper demonstravit C. Cichorius *Rom und Mytilene* p. 62 sq.; evicit enim praecipue titulo quodam usus Mytilenis invento Potamonem illum a. 29 a. Chr. legatum Lesbo Romam venisse iamque eo tempore haud parva fuisse auctoritate. Itaque initio imperii Augusti eius *ἀκμὴν* fuisse putabimus. Videtur autem Potamo Sotionis praeceptor fuisse (cf. F. Nietzschium in Mus. Rhen. vol. XXIII p. 639) eique Lesbi narrasse fabulam illam, quam in Plutarcho scriptam legimus. Nihil igitur nos impedit, quominus Sotionis quoque testimonium ex Strabone esse derivatum suspicemur.

Quae cum ita sint, sat certa ratione adhibita nos enucleasse credimus Strabonem fuisse illum quem Schoenius statuit fontem, ex quo Arrianus ea sumpsit, quae commemorasse

Digitized by Google

sese *ὡς λεγόμενα μόνον ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου* in praefatione adfirmat, cuique Plutarchus maximam vitae Alexandri partem debere videtur. In Plutarcho quidem non miraberis, quod fontem suum nusquam nominavit; sed quaerat quispiam, et cur Arrianus quoque silentio eum suppresserit, qui reliqua ex Ptolemaeo et Aristobulo sese hausisse disertis verbis confessus sit, et num verum Vogelius viderit fontem illum communem fuisse anonymum existimans. Nos melius statuemus ab Arriano ideo Strabonem non nominatum esse, quia videbat non certa ratione ductum historiam Alexandri eum composuisse, sed id solum studuisse, ut quae de regis illius vita et expeditionibus diversissimi rerum gestarum scriptores memoriae prodidissent in unam congeriem conligeret. Ac ne voluisse quidem Strabonem Alexandri historiam scribere etiam ex eius ipsius verbis iam supra p. 14 adlatis *ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις* satis adparet. Composuit Strabo *ὑπομνήματα ἱστορικά*, non *ἱστορίας*.

Dixi de fontibus, quibus usus est Arrianus in Alexandri historia conscribenda; sequitur, ut dicam de ratione, qua eos adhibuit. Atque primum quidem quaerendum erit, quodnam in auctoribus laudandis Arrianus observaverit consilium.

Multos scriptores antiquos, si ex aliorum libris quaepiam depromunt, auctoris nomen (ut mentionem eius inicere operae pretium esse ducant) non initio verborum exscriptorum ponere, sed eo loco, cuius fides auctoris adhibiti testimonio imprimis confirmanda fulciendaque esse videbatur, observare licet. Idem fit in Anabasi. Atque imprimis tum, cum numeros profert, amat Arrianus fontis auctoritatem adferre. Sic I 2, 7 descripta pugna cum Triballis commissa, quorum tria milia ceciderant, cum Macedonum undecim equites et quadraginta pedites interfecti esse dicerentur, disertis verbis adnotat sic referre Ptolemaeum (*αὐτῶν δὲ Μακεδόνων τελευτῆσαι λέγει Πτολεμαῖος κτλ.*), ne numeris magnae suspicioni obnoxiis fides deesset neve ipse falsa vel incredibilia memoriae prodere videretur. Simillime IV 25, 4 caesorum Arigaeorum multitudo

Digitized by Google

commemoratur Ptolemaeo teste adlato. II 11, 8 memorat Arrianus proelio Issico centum et decem milia Persarum necatos esse; adicit autem illico *ὥστε λέγει Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, ξυνεπισπόμενος τότε Ἀλεξάνδρῳ, τοὺς μετὰ σφῶν διώκοντας Δαρεῖον, ὡς ἐπὶ φάραγγί τινι ἐν τῇ διώξει ἐγένοντο, ἐπὶ τῶν νεκρῶν διαβῆναι τὴν φάραγγα.*

Etiam Aristobulus ubi de numeris agitur laudatur; sic III 3, 3 de spatio inter Alexandriam et Paraetonium; deinde VII 28, 1 de annis, quos vixit Alexander. Neque vero sine probabilitate suspicatur Schoenius l. l. p. 18 omnia ea quoque quae arte inter se cohaerentia Aristobuli locum sequantur usque ad c. 30 extrem. pendere ex Aristobulo, cuius auctoritate iterum utitur c. 29, ubi loquitur de regis conviviis.

Sed aliarum quoque memoriarum fidem Arrianus fontis auctoritate comprobat, si ea non posse carere videntur, etiam eis locis, quibus reliqua ex eodem eum petisse sumere licebit. Laudat hac de causa Ptolemaeum I 8, 1 de Perdicca signo non exspectato in Thebanorum praesidia impetum faciente; V 28, 4 de sacrificiis cum Hyphasin flumen esset transiturus factis; VI 10, 1 de Alexandro in Mallorum urbe vulnerato. Atque hic profecto multum eius intererat illius memoriam addito nomine proferre, quoniam paullo post (c. 11, 7) variae aliorum sententiae exponuntur et refutantur.

Aristobulum laudat illa de causa VI 22, 4 de Gadrosorum regione sat mirabilium plantarum arborumque plena. Notandum est, quod hic auctor de Pithagorae vaticiniis VII 18 quater in uno eodemque capite citatur; noluit nimirum Arrianus tales fabulas portentaque auctoris nomine non addito proferre neque hic neque VII 24, 1. Qua de causa eum VI 29 saepius laudaverit de Cyri sepulcro, elucet ex § 10 *καὶ λέγει Ἀριστόβουλος αὐτὸς ταχθῆναι πρὸς Ἀλεξάνδρου κοσμῆσαι ἐξ ὑπαρχῆς τῷ Κύρῳ τὸν τάφον.* Cf. etiam VII 20, 5 de Icari insulae mira cognominatione.

Deinde citat Arrianus auctores, si unius fontis narratione finita ad alterum transit. Duobus locis nominatim adfert Aristobulum, quia ex eo in rerum bellicarum narrationem a

Digitized by Google

Ptolemaeo suppeditatam inseruit quaedam geographica: III 28, 5 et 30, 7. Sed non fecit III 29, 2 et IV 6, 5, ubi inseruit quae Aristobulus de Oxo et Polytimeto fluminibus exposuerat. III 11, 3—7 ubi agitur de proelio apud Gaugamelam commisso aciei Persicae descriptionem quam praebet Arrianus ex Aristobulo fluxisse statuit Fraenkelius p. 271, quia Aristobulus laudaretur; cui sententiae subscribere nequeo. Etenim ex verbis *ἐτάχθη δὲ αὐτῷ ἡ στρατιὰ ὧδε· ἑάλω γὰρ ὕστερον ἡ τάξις ἥντινα ἔταξε Δαρεῖος γεγραμμένη, ὡς λέγει Ἀριστόβουλος* non licet praepropere concludere omnia ex Aristobuli opere petita esse, immo Arrianum haec verba in Ptolemaei narrationem inseruisse mihi quidem veri esse similius videtur, cum huic unice conveniat aciei descriptio. —

Uno quodam loco inseruit Arrianus numerum a Ptolemaeo relatum in Aristobuli narrationem; de quo paullo ampliorem instituamus quaestionem, quia res haud levisculi est momenti.

Libri sexti quinque prioribus capitibus describuntur navigationes in Hydaspe et Acesine factae, quas secuta est expeditio usque ad Indi fluminis ostium. Iam dicit Arrianus c. 2, 3 totius classis ducem fuisse Nearchum eiusque gubernatorem Onesicritum; tum § 4 numerus navium profertur *ἦν δὲ τὸ ξύμπαν πλῆθος τῶν νεῶν, ὡς λέγει Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, ᾧ μάλιστα ἐγὼ ἕπομαι, τριακόντοροι μὲν ἐς ὀγδοήκοντα· τὰ δὲ πάντα πλοῖα σὺν τοῖς ἱππαγωγοῖς τε καὶ κερκούροις καὶ ὅσα ἄλλα ποτάμια ἢ τῶν πάλαι πλεόντων κατὰ τοὺς ποταμοὺς ἢ ἐν τῷ τότε ποιηθέντων οὐ πολὺ ἀποδέοντα τῶν δισχιλίων.* Iam dixerit fortasse quispiam Ptolemaeo deberi totum huius libri initium; tamen sat multa argumenta praesto sunt, quibus Arrianum Aristobuli verba hic exscripsisse demonstretur. Quae c. 1, 2 de crocodilis in Indo flumine conspectis exponuntur cum Aristobuli fragmento a Strabone XV p. 707 servato congruunt. C. 4, 2 de Hydaspis magnitudine dicitur, ergo ne hic quidem cogitare licet de Ptolemaeo. Ipsa autem navigatio explicatur colore tam rhetorico, ut nemo eam Ptolemaeo adtribuat. Recte igitur contendit

Digitized by Google

Fraenkelius p. 130 Aristobulum in his capitibus fuisse Arriani auctorem.

Inseruit vero Arrianus verba Ptolemaei in Aristobuli descriptionem. Sed quanam de causa hoc fecit? Fortasse opineris Aristobulum omnino non prodidisse memoriae, quanta navium fuisset multitudo. Quod ut per se veri est dissimillimum, ita revera demonstrare possum commemorasse eum navium numerum in opere suo. Ad hanc quaestionem expediendam necesse est paullo accuratius inspiciantur capita 18 et 19 Historiae Indicae, quibus Arrianus praebet descriptionem navigationis illius, priusquam ad Nearchi expeditionem narrandam transit. Consentit autem haec descriptio adprime cum Anabasis capitibus. Iam dicit Vogelius 'De fontibus quibus Strabo in libro XV conscribendo usus sit' p. 18 de Nearcho ab Arriano in historia Indica componenda adhibito: 'inde a c. 18 usque ad finem libri, si hunc ipsum et pauca quae in extrem. 19 traduntur exceperis omnia Nearchi esse apertum est'. Censet igitur capita 18 et 19 fluxisse ex Nearcho, neque vero in hanc rem subtilius inquisivit, quod si fecisset, rectius tulisset iudicium. Etiam Fraenkelius p. 130 statuit Nearchum Arriani fontem esse; cuius argumenta refellere supersedeo, quia fere omnia nimis levia sunt. Immo si diligentius Anabasis et historiae Indicae capita contuleris, Arrianum etiam hic Aristobulum in usum suum convertisse statim videbis. Conferendi enim sunt hi loci, quos plene exscribere non supervacaneum mihi videtur.

Anab. 1, 6 *καὶ τὸν κατάπλουν τὸν κατὰ τοὺς ποταμοὺς ἔσπε ἐπὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν ἐπινοοῦντα παρασκευασθῆναι οἱ ἐπὶ τῷδε κελεῦσαι τὰς ναῦς. αἱ δ' ὑπηρεσίαι αὐτῷ ἐς τὰς ναῦς ξυνεπληρώθησαν ἐκ τῶν ξυνεπομένων τῇ στρατιᾷ Φοινίκων καὶ Κυπρίων καὶ Καρῶν καὶ Αἰγυπτίων.*	Ind. 18, 1 *Ἀλέξανδρος γάρ, ἐπειδὴ οἱ παρεσκεύαστο τὸ ναυτικὸν ἐπὶ τοῦ Ὑδάσπεω τῇσιν ὄχθῃσιν, ἐπιλεγόμενος ὅσοι τε Φοινικῶν καὶ ὅσοι Κύπριοι ἢ Αἰγύπτιοι εἵποντο ἐν τῇ ἄνω στρατηλασίῃ, ἐκ τούτων ἐπλήρου τὰς νέας.*

Digitized by Google

Anab. 3, 1 sq. *ὡς δὲ ξύμπαντα αὐτῷ παρεσκεύαστο, ὑπὸ τὴν ἕω ὁ μὲν στρατὸς ἐπέβαινε τῶν νεῶν, αὐτὸς δὲ ἔθυε τοῖς θεοῖς ὡς νόμος καὶ τῷ ποταμῷ τῷ Ὑδάσπῃ ὅπως οἱ μάντεις ἐξηγοῦντο. καὶ ἐπιβὰς τῆς νεὼς ἀπὸ τῆς πρῴρας ἐκ χρυσῆς φιάλης ἔσπενδεν ἐς τὸν ποταμόν, τόν τε Ἀκεσίνην ξυνεπικαλούμενος τῷ Ὑδάσπῃ, ὅντινα μέγιστον τῶν ἄλλων ποταμῶν ξυμβάλλειν τῷ Ὑδάσπῃ ἐπέπυστο καὶ οὐ πόρρω αὐτῶν εἶναι τὰς ξυμβολάς, καὶ τὸν Ἰνδόν, ἐς ὅντινα ὁ Ἀκεσίνης ξὺν τῷ Ὑδάσπῃ ἐμβάλλει. ἐπὶ δὲ Ἡρακλεῖ τε τῷ προπάτορι σπείσας καὶ Ἄμμωνι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ὅσοις αὐτῷ νόμος σημῆναι ἐς ἀναγωγὴν κελεύει τῇ σάλπιγγι.*	**Ind. 18, 11—12** *ὡς δὲ ταῦτα ἐκεκόσμητο Ἀλεξάνδρῳ, ἔθυε τοῖσι θεοῖσιν ὅσοι γε πάτριοι ἦ μαντευτοὶ αὐτῷ, καὶ Ποσειδῶνι καὶ Ἀμφιτρίτῃ καὶ Νηρηΐσι καὶ αὐτῷ τῷ Ὠκεανῷ, καὶ τῷ Ὑδάσπῃ ποταμῷ, ἀπὸ τοῦ ὥρμᾶτο, καὶ τῷ Ἀκεσίνῃ, ἐς ὅντινα ἐκδιδοῖ Ὑδάσπης, καὶ τῷ Ἰνδῷ, ἐς ὅντινα ἄμφω ἐκδιδοῦσιν· ἀγῶνές τε αὐτῷ μουσικοὶ καὶ γυμνικοὶ ἐποιεῦντο, καὶ ἱερήϊα τῇ στρατιῇ πάσῃ κατὰ τέλεα ἐδίδοτο.*

Hic quidem deorum, quibus Alexander sacrificari iussit, in Historia Indica nominantur Neptunus Amphitrite Nereides Oceanus, in Anabasi Hercules et Hammon; neque vero haec discrepantia ea est, ut prohibeat, quominus idem statuatur fons. Utroque enim loco Arrianus omisit nonnullos deorum, qui ab Aristobulo enumerati erant. Quod iure licet contendere, quia in Ind. dicit *ἔθυε τοῖσι θεοῖσιν ὅσοι γε πάτριοι ἦ μαντευτοὶ αὐτῷ.* **Praeterea Hercules, qui in Anabasi vocatur** *προπάτωρ, θεὸς πάτριος* **est Alexandri. In Anabasi autem Arrianum disertis verbis dicere videmus** *σπείσας . . . καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς*, **quae verba permittunt, ut in eius fonte etiam plures deos nominatos esse sumamus. Denique Arrianus in Anabasi non commemoravit ludos ab Alexandro institutos.**

Anab. 2, 2 *τὴν στρατιὰν δὲ διένειμεν ὧδε· αὐτὸς μὲν τοὺς ὑπασπιστάς τε ἅμα οἱ ξύμπαντας ἐπὶ τὰς ναῦς ἀνεβί-*	**Ind. 19, 1—3** *ὡς δὲ πάντα ἐξήρτυτο αὐτῷ εἰς ἀναγωγήν, Κράτερον μὲν τὰ ἐπὶ θάτερα τοῦ Ὑδάσπεω ἰέναι σὺν τῇ*

Digitized by Google

βασε καὶ τοὺς τοξότας καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας καὶ τὸ ἄγημα τῶν ἱππέων. Κράτερος δὲ αὐτῷ μοῖράν τε τῶν πεζῶν καὶ τῶν ἱππέων παρὰ τὴν ὄχθην τοῦ Ὑδάσπου τὴν ἐν δεξιᾷ ἦγε· κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ὄχθην τὸ πλεῖστόν τε καὶ κράτιστον τῆς στρατιᾶς καὶ τοὺς ἐλέφαντας Ἡφαιστίων προὐχώρει ἄγων, ἤδη ὄντας ἐς διακοσίους· τούτοις δὲ ἦν παρηγγελμένον ὡς τάχιστα ἄγειν ἵναπερ τὰ Σωπείθου βασίλεια.

στρατιῇ ἐκέλευσε πεζικῇ τε καὶ ἱππικῇ· ἐς τὸ ἐπὶ θάτερα δὲ Ἡφαιστίων αὐτῷ παρεπορεύετο σὺν ἄλλῃ στρατιῇ πλείονι ἔτι τῆς τῷ Κρατέρῳ συντεταγμένης. καὶ τοὺς ἐλέφαντας Ἡφαιστίων αὐτῷ ἦγεν, ὄντας ἐς διηκοσίους. αὐτὸς δὲ τούς τε ὑπασπιστὰς καλεομένους ἅμα οἳ ἦγε καὶ τοὺς τοξότας πάντας καὶ τῶν ἱππέων τοὺς ἑταίρους καλεομένους, τοὺς πάντας ἐς ὀκτακισχιλίους. τοῖσι μὲν δὴ ἀμφὶ Κράτερον καὶ Ἡφαιστίωνα ἐτέταχτο, ἵνα προπορευθέντες ὑπομένοιεν τὸν στόλον.

In historia Indica mutavit Arrianus ordinem ab Aristobulo institutum, quod facile intelleges; sed complura usque ad verbum congruunt.

Anab. 2, 2 Φιλίππῳ δὲ τῷ σατράπῃ τῆς ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ ὡς ἐπὶ Βακτρίους γῆς διαλείποντι τρεῖς ἡμέρας παρήγγελτο ἕπεσθαι ξὺν τοῖς ἀμφ' αὐτόν. 4, 1 μείνας δὲ ἐνταῦθα ἡμέρας δύο, ὡς καὶ Φίλιππος αὐτῷ ξὺν τῇ λοιπῇ στρατιᾷ ἀφίκετο, τοῦτον μὲν ἐπὶ τὸν Ἀκεσίνην ποταμὸν ἐκπέμπει ξὺν οἷς ἔχων ἦκε, τάξας παρὰ τοῦ Ἀκεσίνου ποταμοῦ τὴν ὄχθην πορεύεσθαι.

Ind. 19, 4 Φίλιππον δὲ, ὃς αὐτῷ σατράπης τῆς χώρης ταύτης ἦν, ἐπὶ τοῦ Ἀκεσίνου ποταμοῦ τὰς ὄχθας πέμπει, ἅμα στρατιῇ πολλῇ καὶ τοῦτον.

Primo obtutu credas hic esse gravem discrepantiam; tamen manifestum est Arrianum in historia Indica duos Aristobuli locos in unum contraxisse. Itaque hic quoque idem fons statuendus erit. Denique notandum est Arrianum in Anabasi omisisse [1]) trierarchorum enumerationem, quam si aliunde pe-

1) Nominat Arrianus solos Nearchum et Onesicritum; atque de hoc

Digitized by Google

tisset et hic inseruisset, nostro iure miraremur. Fraenkelius quidem censet (p. 128) ex Nearcho eam desumptam esse propter § 10 *ναύαρχος δὲ αὐτοῖσιν ἐπεστάθη Νέαρχος Ἀνδροτίμου, τὸ γένος μὲν Κρὴς ὁ Νέαρχος, ᾤκεε δὲ ἐν Ἀμφιπόλει τῇ ἐπὶ Στρυμόνι*, quae a nemine alio nisi ab ipso Nearcho scribi potuissent. Estne revera hoc certissimum argumentum? Nego. Immo ipse Aristobulus non solum tales enumerationes proferre solebat sed etiam singulorum virorum genus et patriam accuratius enarrare. Sic VI 28, 4, ubi Aristobulum fontem esse Arriani adparet, enumerantur somatophylaces, quos etiam inter trierarchos Ind. hist. invenimus. Placet duos hos locos ex adverso ponere:

VI 28, 4 *Λεοννάτου Ἀντέου, Ἡφαιστίωνα τὸν Ἀμύντορος, Λυσίμαχον Ἀγαθοκλέους, Ἀριστόνουν Πεισαίου, τούτους μὲν Πελλαίους, Περδίκκαν δὲ Ὀρόντου ἐκ τῆς Ὀρεστίδος, Πτολεμαῖον δὲ τὸν Λάγου καὶ Πείθωνα Κρατεύα Ἐορδαίους.*	§ 3 *τριήραρχοι — Ἡφαιστίων τε Ἀμύντορος καὶ Λεόννατος ὁ Ἀντέου καὶ Λυσίμαχος ὁ Ἀγαθοκλέους — οὗτοι μὲν Πελλαῖοι.* § 5 *ἐκ δὲ Ὀρεστίδος — Περδίκκας ὁ Ὀρόντεω· Ἐορδαῖοι δὲ Πτολεμαῖός τε ὁ Λάγου καὶ Ἀριστόνους ὁ Πεισαίου.* § 6 *Πείθων Κρατεύα.*

Quae cum tantopere conspirent, de Aristobulo utriusque loci fonte dubitari nequit; sed in uno offendat aliquis. In Anabasi Aristonus Pellaeis adnumeratur, cum in hist. Ind. Eordensem eum esse Arrianus adnotet. Si quis librarii cuiusdam errorem statuat, Anabasis locum debebit emendare.

Derivanda igitur sunt c. 18 et 19 non ex Nearcho sed ex Aristobulo; animadvertas autem, quod Arrianus c. 19, 8 ipse

---

dicit: *Ὀ., ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ ἥντινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα.* Quae cum desint in hist. Ind. Arrianus ipse addidisse videtur, nam Aristobulum ea dixisse iam per se veri est dissimillimum. Schoenius quidem p. 29 censuit Aristobulum respexisse ad Onesicriti commenta, cum ex loco Arriani probari non posset Arrianum ipso Onesicriti libro usum esse. Sed potuit ex Strabonis opere notitiam illam *περὶ τοῦ τῶν παραδόξων ἀρχικυβερνήτου* sibi comparare; cf. enim geogr. XV p. 698 § 28.

Digitized by Google

mentionem inicit descriptionis in Anabasi exhibitae: *ὅχως μὲν δὴ κατὰ τοὺς ποταμοὺς κατέπλωσεν αὐτῷ ὁ στόλος — πάντα ταῦτα λέλεκταί μοι ἤδη ἐν τῇ ἄλλῃ τῇ Ἀττικῇ συγγραφῇ.* Itaque nihil aptius erat, quam ut utroque loco eundem auctorem sequeretur. Adhibuisse autem in hist. Ind. conscribenda se non solos Eratosthenem Megasthenem Nearchum ipse profitetur Anab. V 5, 1 *ἀλλ' ὑπὲρ Ἰνδῶν ἰδίᾳ μοι γεγράψεται ὅσα πιστότατα ἐς ἀφήγησιν οἵ τε ξὺν Ἀλεξάνδρῳ στρατεύσαντες καὶ ὁ Νέαρχος, ἐπὶ δὲ ὅσα Μεγασθένης τε καὶ Ἐρατοσθένης, δοκίμω ἄνδρε, ξυνεγραψάτην.* Denique unum addam: si minus Aristobulus capitum illorum fons esset, nequaquam eum in Anabasi adhibitum esse statuere liceret. Plane enim est incredibile, Aristobulum aliis scriptoribus tam obnoxium fuisse, ut paene ad verbum eos exscriberet. Hoc Fraenkelius quidem voluit, sed ne umbram quidem argumenti protulit ad sententiam suam confirmandam. Semper vero in memoria tenendum est Aristobulum rerum relatarum testem oculatum fuisse.

Sed redeamus eo, unde profecti sumus. Ex Aristobulo igitur sumpsit Arrianus, quae dicit hist. Ind. 19, 7 de navium numero: *νέες δὲ αἱ σύμπασαι αὐτῷ [χίλιαι καὶ] ὀκτακόσιαι ἦσαν, αἵ τε μακραὶ καὶ ὅσα στρογγύλα πλοῖα καὶ ἄλλαι ἱππαγωγοὶ καὶ σιτία ἅμα τῇ στρατιῇ ἄγουσαι.*

Ergo usus est Aristobulus his vocabulis: *μακραὶ νῆες* et *στρογγύλα πλοῖα;* atque haec revera reperimus c. 5, 2 quem locum p. 38 ad Aristobulum rettulimus. Neque vero apud Arrianum deprehenduntur Ptolemaei termini qui dicuntur technici, *τριακόντοροι* et *κέρκουροι.* Sic coniectura mea de Aristobulo et in Anabasi et historia Indica adhibito pulcherrime confirmatur.

Verba *χίλιαι καὶ*, quae uncis inclusi, inserenda esse coniecit Schmiederus; quem secutus est Hercherus, qui ne adnotavit quidem in praefatione critica deesse ea in libris manuscriptis. Contra illum disputavit C. Muellerus Geogr. Gr. min. I p. 331, cui adsensus est Eberhardus in Hercheriana altera. Nimirum voluit Schmiederus numeros in hist. Ind. et Anab.

Digitized by Google

traditos exaequare. Idem egit Kruegerus, qui suspicatus est in Anabasi esse scribendum *τῶν χιλίων* pro *τῶν διςχιλίων*. Utrumque falsum est. Nam si Arrianus in Aristobuli opere invenisset numerum cum Ptolemaei congruentem, qua tandem causa eum commotum putabis, ut Ptolemaei memoriam anteponeret Aristobuli, praesertim cum adferat Ptolemaei auctoritatem his verbis usus: *ὥστε λέγει Πτ., ᾧ μάλιστα ἐγὼ ἕπομαι.*

Quibus disputatis dubium iam non poterit manere, quomodo res sese habeat. Arrianus apud Aristobulum numerum invenit multo minorem quam apud Ptolemaeum; sed cum hic maiore fide ei dignus esse videretur, Aristobuli memoriam sprevit, Ptolemaei autem inseruit. Ergo id fecit, quod in praefatione pollicitus est: *Πτολεμαῖος — καὶ Ἀριστόβουλος — ὅσα δὲ οὐ ταὐτά* (scil. *ξυνέγραψαν*), *τούτων τὰ πιστότερα ἐμοὶ φαινόμενα — ἐπιλεξάμενος.*

Denique VI 28, 1 et 2 narrat fabulam de Alexandro in Carmania sub specie Dionysi debacchante, quam sumpsit ex Strabone. Adnotat enim neque apud Ptolemaeum neque Aristobulum eam deprehendi. Tum pergit Arrianus § 3 *ἀλλ' ἐκεῖνα ἤδη Ἀριστοβούλῳ ἑπόμενος ξυγγράφω*, oratione indirecta adiungens ea quae sequuntur. Mirum esset, si verba illa quibus significat se antea Aristobulum non exscripsisse ad solum capitis initium spectarent. Itaque suspicabimur capitibus antecedentibus eum non adhibuisse Aristobulum. Atque revera eum non est secutus c. 24—26, quae p. 22 iam Straboni tribuimus; cui cum c. 27 adtribui non possit, hoc ex Ptolemaeo desumptum esse iudicabimus. Quae sententia eo comprobatur, quod cum § 2, qua agitur de Philippo satrapa occiso, mirum quantum Curtius X 1, 20—22 conspirat.

Iam ad eos locos transeamus, quibus Ptolemaei et Aristobuli testimonia inter se discrepantia proferuntur.

L. III 4 describit Arrianus sine dubio Aristobulum secutus Hammonis oraculum fontemque mirabilem ibi inventum. Capite extremo de reditu Alexandri dicit *ἀνέζευξεν ἐπ' Αἰγύπτου, ὡς μὲν Ἀριστόβουλος λέγει, τὴν αὐτὴν ὀπίσω ὁδόν, ὡς δὲ Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, ἄλλην εὐθεῖαν ὡς ἐπὶ Μέμφιν.*

Digitized by Google

Quia vero Arrianus proximo capite ineunte sic pergit: *εἰς Μέμφιν δὲ αὐτῷ πρεσβεῖαί τε πολλαὶ ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἦκον*, videmus eum ab Aristobulo ad Ptolemaeum transisse. Noluit autem Aristobuli memoriam prorsus silentio praeterire, ne quis crederet hunc idem rettulisse ac Ptolemaeum. Ex hoc loco perspicimus insignem historici diligentiam.

III 30, 5 profert breviter tantum variam Aristobuli de Besso capto memoriam, postquam capitibus praecedentibus Ptolemaeum secutus amplissime narravit, quomodo proditor ille captus sit. Nimirum ideo hic dissensum illorum adnotavit, quia res erat gravissima, quod non poterimus dicere de discrepantiis, quas deprehendimus IV 3, 5 et V 20, 2 (de septimae urbis expugnatione et de populi cuiusdam nomine). III 3, 5 et 6 discrimen adnotavit, quia agitur de prodigiosa quadam fabula.

L. IV caput quintum quo Arrianus cladem Macedonum contra Spitamenem missorum exponit, manasse ex Ptolemaeo recte intellexit Schoenius p. 6. Addit enim Arrianus Aristobuli auctoritatem adferens (*Ἀριστόβουλος δὲ - λέγει*) aliam de eadem clade narrationem a priore diversam c. 6, 1 – 2. Iam existimaveris etiam aliis locis, quibus eandem citandi rationem deprehendimus, item esse statuendum praecedentia fluxisse ex altero Arriani fonte. Attamen duo loci talem opinionem non admittunt.

L. VII 4, 4 sq. describit Arrianus nuptias Susae factas; *αὐτὸς μὲν τῶν Δαρείου θυγατέρων τὴν πρεσβυτάτην Βαρσίνην ἠγάγετο, ὡς δὲ λέγει Ἀριστόβουλος, καὶ ἄλλην πρὸς ταύτῃ τῶν Ὤχου θυγατέρων τὴν νεωτάτην Παρύσατιν.* Fraenkelius sibi persuasit ea quae de Barsine dicerentur fluxisse ex Ptolemaeo, reliqua vero ex Aristobulo omnia, quia veri non esset simile Ptolemaeum talem enumerationem composuisse. Hoc unum recte confirmavit, reliquis non subscribo, quia talis laudandi ratio ab Arriani consuetudine discrepat; immo Ptolemaei non Aristobuli memoriam adtulisset, si reliquam narrationem ex hoc sumpsisset. Cum igitur diversa Aristobuli memoria inseratur reliquisque quae explicantur opponatur,

Digitized by Google

Ptolemaeo autem haec tribuere non liceat, coniciat aliquis [1]) neque ex Ptolemaeo neque ex Aristobulo, sed ex tertio quodam fonte Arrianum sua hausisse. De opere tamen conlectaneo vix cogitabimus, quia huius nullum apud Arrianum extat vestigium. Praeterea una in re discrepat Arrianus cum Plutarcho; dicit enim Darei filiae nomen fuisse Barsinen, cum Statiram Plutarchus eam adpellet neque Parysatin commemoret consentientibus Diodoro c. 107 et Curtio IV 5, 1. Nescio an difficultas alia via eaque faciliore expediri possit. Cum enim ab Aristobulo Barsinen nominatam eam esse ex verbis *καὶ ἄλλην πρὸς ταύτῃ* adpareat, deinde cum totius narrationis indoles quam optime huic scriptori conveniat, fortasse recte statuemus Arrianum ideo Aristobuli mentionem iniecisse, ut memoriae de duplici regis matrimonio fidem quam maximam redderet. Omnia igitur ex Aristobulo fluxisse putanda sunt, quamquam auctoritas eius per δὲ particulam adfertur.

III 17 explicatur Alexandri expeditio contra rapacem Uxiorum gentem suscepta. Iam sic ait Arrianus § 6: *ταῦτα τὰ γέρα παρ' Ἀλεξάνδρου λαβόντες χαλεπῶς εἴροντο δεόμενοι παρ' αὐτοῦ τὴν χώραν τὴν σφῶν ἔχοντες φόροις ὅσα ἔτη Ἀλεξάνδρῳ ἀποφέρειν. Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγου λέγει τὴν Δαρείου μητέρα δεηθῆναι ὑπὲρ αὐτῶν Ἀλεξάνδρου δοῦναί σφισι τὴν χώραν οἰκεῖν.*

Iam statuit Fraenkelius p. 272 duplicem referre Arrianum memoriam: secundum priorem Uxiis propter ipsorum preces veniam datam esse ab Alexandro, secundum alteram Darei matrem precibus impetrasse, ut populo illi ignosceret. Itaque sibi persuasit summam capitis ex Aristobulo manasse, variam autem Ptolemaei memoriam ab Arriano insertam esse. Tum necessario statueremus Ptolemaeum omnino non dixisse Uxios ad Alexandrum misisse legatos, ut de pace et tributo agerent. Sed hoc eum silentio praeterire nullo modo potuisse mani-

1) Cf. Schoenium l. l. p. 8: 'Ceterum cum l. c. Arrianus *ὡς δὲ λέγει Ἀριστόβουλος* dixerit, reliqua narratio cui Aristobuli testimonium opponitur, ■ quonam fonte manaverit non liquet. Nam de Ptolemaeo cogitare cur non liceat etc.'

Digitized by Google

festum est. Immo simillime ea quae apud Arrianum praecedunt eum prodidisse memoriae arbitrabimur. Sic enim Curtius quoque rerum ordinem exponit V 3, quamquam in singulis rebus non paullum discrepat ab Arriano. Consociandae igitur sunt duae narrationes: nimirum Sisygambis Uxiorum preces adiuvit, cum Alexander eis parcere nollet. Praeterea rerum militarium descriptio nemini convenit nisi Lagidae. Ergo totam narrationem ab Arriano ex Ptolemaeo petitam esse mihi persuasum est; addidit autem nomen Ptolemaei, ut fidem nuntii confirmaret illius auctoritate gravissima. Ne hic quidem particula δὲ premenda est.[1])

Refutare hic lubet opinionem quandam Petersdorffi, quam pronuntiavit '*Eine neue Hauptquelle*' p. 45 adn. 2. Dicit enim, quia Arrianus memoriam illam de Sisygambi supplicante Ptolemaeum solum referre adnotaret, concludendum esse propter rationem ab Arriano in fontibus adhibitis observatam, reliquos fontes nihil de illa re tradidisse. Quam sententiam falsam esse elucet ex eis quae adhuc disputavimus. Itaque non recte conclusit Petersdorffius etiam ea quae Curtius V 3, 12—14 de Sisygambi narret, ad Ptolemaeum referenda esse.

Denique Ptolemaeus et Aristobulus testes inter se consentientes adferuntur ab Arriano III 26, 1 de Philotae insidiis iam in Aegypto Alexandro nuntiatis.

Complures denique loci extant, quibus ita Arrianus auctores suos nominat, ut eorum sententias comparet cum memoria vulgari. De his testimoniis dupliciter statuere licet: aut iam invenit ea in Strabonis opere, quod iam p. 12 nonnullis exemplis comprobavimus, aut ipse inspexit Ptolemaei et Aristobuli libros.

Invenit igitur Arrianus auctores suos primarios etiam a Strabone exscriptos esse; qua re nescio an commotus sit, ut

1) Cum haec iam scripsissem, vidi Zimmermannum in Hermae vol. XXIII p. 125 sqq. eandem laudandi rationem in Strabonis libris geographicis observasse. Dicit Strabo *Ἀρτεμίδωρος δὲ λέγει*, vel *Ποσειδώνιος δὲ λέγει*, quamquam etiam ea quae praecedunt ex eodem petivit fonte; quod certissimis ille vir doctus comprobavit exemplis.

Digitized by Google

saepius narrationibus, quae ad Aristobulum redeunt, addiderit notas libri conlectanei. Talibus locis nimirum veri est similius Arrianum non verba illius operis, sed ipsius Aristobuli, quem in manibus habebat, reddidisse.

L. II 5, 2—4 loquitur Arrianus de Anchialo oppido et Sardanapali monumento. Narrat autem haec secundum Aristobulum, ex quo eadem hausit nomine auctoris adposito Athenaeus XII p. 530 A. Arrianus tamen dicit § 2: *ταύτην δὲ Σαρδανάπαλον κτίσαι τὸν Ἀσσύριον λόγος.* Apud Strabonem eum eandem memoriam repperisse certo argumento comprobare possumus; nam hic quoque eadem refert ex Aristobulo XIV p. 672, quod nimirum etiam in hypomnematis fecerat.

L. VII 20, 1—2 disserit Arrianus de Arabum religione et regione, incipit vero his verbis narrationem suam: *Λόγος δὲ κατέχει ὅτι ἦχουεν Ἄραβας δύο μόνον τιμᾶν θεούς.* Haec et ex Aristobulo petita et in opere quoque conlectaneo esse exposita, docet pariter Strabo, qui eadem memorat XVI p. 741 § 11, quae auctori illi sese debere ipse adnotat initio: *φησὶ δ' Ἀριστόβουλος.*

Similiter statuemus de libri VII c. 16 et 17, quae fluxisse ex Aristobulo certis argumentis ostendi potest. C. 16, 1—4 huic tribuimus, quia quae hic de Oxo flumine exponuntur prorsus conspirant cum III 29, 2, ubi Aristobulum adhibitum esse docet Strabo, qui p. 509 § 3 eadem ex Aristobulo profert. Tum agit Arrianus usque ad proximi capitis finem de Chaldaeorum vaticinio, quo Alexandrum a Babylonis ingressu deterrere conabantur. Cohaerent vero c. 16, 5—8 cum c. 17, 5, ubi Aristobulus nominatim adfertur; utroque loco narratur de Chaldaeis Alexandro suadentibus, ne orientem versus respiciens exercitum in urbem duceret, sed potius ex parte orienti ingrederetur. Iam invenimus c. 16, 6 notam operis Straboniani: *ἀποκρίνασθαι αὐτοῖς λόγος Εὐριπίδου τοῦ ποιητοῦ ἔπος.* Huius dicti Aristobulum mentionem fecisse efficio ex conexu conloquii illius Alexandri Chaldaeorumque, quod Arrianus refert. Iam vero contendo hanc narrationem in opere conlectaneo eum invenisse eaque de causa fontis illius notam

Digitized by Google

addidisse. Atque revera demonstrare possumus Strabonem hanc Aristobuli memoriam novisse.

Eandem enim narrationem profert Appianus b. c. II 153, qui postquam coniurationem contra Caesarem factam narravit, c. 149 dicit: *οὕτω μὲν δὴ Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν — ἀνὴρ ἐπιτυχέστατος ἐς πάντα καὶ δαιμόνιος καὶ μεγαλοπράγμων καὶ εἰκότως ἐξομοιούμενος Ἀλεξάνδρῳ.* Quam sententiam capitibus sequentibus comprobare studet multis prolatis ex utriusque viri vita et rebus gestis. Iam quaeritur utrum ipse hanc comparationem Alexandri et Caesaris composuerit an fonti cuidam debeat. Illud veri non est simile in auctore, qui hercle non abundat propriis sententiis et inventis, sed ea solet repetere, quae alii iam senserant et excogitaverant. Neque profecto erat Appiano ea Alexandri historiae notitia, quam eum qui hanc comparationem conscripsit habuisse statuendum est. Quemnam igitur fuisse credemus tanta illius historiae scientia instructum, ut in vita Caesaris describenda uti potuerit? Strabonis hypomnemata historica et a Plutarcho in vita Caesaris et ab Appiano bellorum civilium libro altero adhibita esse commentatione acuminis plena, cui inscripsit '*Caesar im Orient*', W. Iudeichius demonstravit, quae sententia quin vera sit dubitari nequit. Strabonem vero amplissimam Alexandri rerum gestarum notitiam habuisse nos ipsi demonstravimus. Huc accedit quod Plutarchus vit. Caes. c. 63 ipsum Strabonem laudat de vaticiniis quibusdam paullo ante Caesaris mortem observatis; apud Appianum vero Alexandrum et Caesarem inter se comparari propter omina quaedam videmus. Itaque dubitari iam nequit, quin Strabo auctor Appiani fuerit; omnia autem quae apud Appianum de Alexandro adferuntur Strabonem sumpsisse ex suo opere de illius rebus gestis consentaneum est. Quae si vera sunt, etiam hinc concludere licet (cf. p. 20) Strabonem hypomnemata de Alexandro composita scripsisse ante hypomnemata historica.

Quae cum ita sint, Arrianum narrationem Aristobuli de versu Euripideo ab Alexandro recitato in Strabonis hypomnematis invenisse pro certo adfirmamus. Sed etiam revera eum

Digitized by Google

hic inspexisse illud opus ex vestigio haud ambiguo cognoscitur. C. 17 enim ubi agitur de Beli templo, quem rex restituere conabatur, inveniuntur dilucidae notae fontis tertii: *οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι ἐπὶ τοῖς θεμελίοις τοῖς πρόσθεν — οἱ δὲ ὅτι καὶ μείζονα ἔτι τοῦ πάλαι ὄντος.* Itaque suspicio oritur haec non ex Aristobulo sumpta, sed ex Strabone inserta esse, qui quod notatu perdignum est loquitur de Beli templo simillime XVI p. 738 § 5. Quae res cum ita se habeat, nulla remanere poterit dubitatio.

Perversa igitur est sententia Fraenkeli, qui p. 70 contendit iam Aristobulum adhibuisse formas illas loquendi *λόγος, λόγος κατέχει, λέγουσιν* similes ut memorias ex aliis auctoribus a se petitas significaret ex eoque Arrianum desumpsisse. Neque usus est exemplis certissimis ad coniecturam suam confirmandam; nam Aristobuli locus, quem adfert ex Strab. XIV p. 672: *ἔνιοι δὲ καὶ ἐπιγραφὴν εἶναί φασιν Ἀσσυρίοις γράμμασι τοιάνδε*, sic non legitur in libris. Illud *φασιν* omnes omittunt, deinde *ἔνιοι δὲ* desunt in Epit. Vat., qua de causa recte Cramerus eas voculas induxit. Denique nunquam rationibus sat idoneis poterit evinci tali modo Aristobulum in suum usum convertisse aliorum scriptorum memorias.

Transeo nunc ad inlustrandam rationem, qua usus Arrianus fontes suos exscripsit. Quaeritur enim primum, utrum diligenter materiem ab auctoribus praebitam reddiderit an temerarie mutaverit additamentisque a se ipso confictis amplificaverit.

Haud paucis locis eius narrationem cum aliorum scriptorum memoria quae ex eodem fonte fluxit contendere possumus, qua in re saepissime videmus eum cum illis vel in pauxillis consentire. De hac re iam Fraenkelius sat amplam quaestionem instituit, in qua id vituperandum videtur esse, quod non semper certis usus est exemplis ad id quod sibi proposuerat comprobandum. Certissima enim utique eligenda erant. Consulto autem supra p. 39 sq. Anab. VI c. 1—4 et Hist. Ind. c. 18 et 19 in comparationem tam diligentem vocavi; ideo enim multum valent ad nostram rem, quia utroque loco Arrianus

Digitized by Google

eundem auctorem adhibuit. Vidimus autem Arrianum, cum Anabasis capita componeret, omisisse quidem complura, nonnulla abbreviasse; sed pleraque vehementer conspirant cum eis, quae in hist. Ind. exponuntur. Unde patet fuisse eum hoc loco Aristobulo valde obnoxium. Huc pertinet etiam alius locus, de quo iam disputavimus (p. 16 sq.); memorias de Alexandri diademate compositas diligenter ex fonte suo transsumpsit, quod luculenter apparet ex Appiani comparatione.

Inde concludendum est, Arrianum in universum diligenter fontes suos exscripsisse, qua de re consentio cum Fraenkelio; ex exemplis ab eo adlatis ea eligas velim et contempleris, quae apta sunt ad hanc sententiam comprobandam, velut 4, 5, 6, 9 alia (cf. p. 331 sq.).

Non prorsus in hanc sententiam, quae plerisque probata est, abiit B. Niesius libello quodam cui inscripsit ‘De Sardanapali epitaphio’ (Ind. lect. aestiv. Marburg. 1880); ubi diligentius tractavit quae Arrianus II 5, 2—4 de Anchialo oppido et Sardanapali monumento profert. Id pro certo adfirmavimus (p. 48) redire ad Aristobulum quae narrat Arrianus; nam quae ille de hac re rettulerat, duobus locis, Athen. XII p. 530 A et Strab. XIV p. 672, servata sunt. Itaque hac de re nulla dubitatio moveri potest. Sed sunt differentiae quaedam inter Arrianum et Aristobulum, in quas Niesius accuratius inquisivit. Secundum illum enim figura Sardanapali plaudentium more manus conlidit (*συμβεβληκὼς τὰς χεῖρας ἀλλήλαις ὡς μάλιστα ἐς κρότον συμβάλλονται*), apud hunc conlidit dextrae manus digitos more eorum, qui contemptionem quandam significare volunt (*συμβάλλοντα τοὺς τῆς δεξιᾶς χειρὸς δακτύλους ὡς ἂν ἀποκροτοῦντα*). Itaque non intellecta est verbi *ἀποκροτεῖν* notio ab Arriano. Neque vero ex hoc errore statim concludendum erit, in universum Arriani fidem male se habere. Contendit quidem Niesius eum alia quoque temere novasse, quia exponeret Arrianus Assyrios quasi interpretatos esse titulum: *οἱ μὲν Ἀσσύριοι καὶ μέτρον ἔφασκον ἐπεῖναι τῷ ἐπιγράμματι — καὶ τὸ παῖζε ῥαδιουργότερον ἐγγεγράφθαι ἔφασαν τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι*; immo Cilices saltem nominandos fuisse censet Niesius. Sed

Digitized by Google

cave ne haec Arriano opprobrio des; neque enim ex eo quod Athenaeus et Strabo prorsus de hac re tacent iam efficiendum est Arrianum haec novasse, praesertim cum narratio eius etiam reliquis multo amplior est quam illorum. Quid igitur impedit, quominus Aristobulo ipsi ista verba adtribuamus? Immo nihil aliud Arrianus commisisse videtur, quam quod non intellexit, quid sibi vellet mirum illud *ἀποχροτεῖν* verbum. Hoc certe nesciebat bonus Arrianus; neque ei veniam denegemus. Itaque hoc exemplum non aptum est quo demonstretur fontes suos Arrianum temerarie mutasse.

Saepius usu venit, ut Arrianus suam exprimat sententiam de aliqua re, quod solet facere vocabulis *ὡς δοκεῖ μοι* vel similibus usus. Sed cave praepropere credas eis locis eum ipsum ea addidisse, quae pro suo iudicio propinat; aliquotiens enim facile perspicitur repeti auctoris sententiam. VII 19 extrem. dicit haec: *ἦν δὲ αὐτῷ τοῦ ναυτικοῦ ἡ παρασχευὴ ὡς ἐπὶ Ἄραβας τοὺς πολλούς, πρόφασιν μέν, ὅτι .... τὸ δὲ ἀληθές, ὡς γέ μοι δοκεῖ, ἄπληστος ἦν τοῦ κτᾶσθαί τι ἀεὶ Ἀλέξανδρος.* Hic Geierus recte perspexit Arrianum Aristobuli sententiam pro sua vendere; nam Strabo XVI p. 741 ex eodem fonte hauriens prorsus congruenter loquitur: *τὸ δ' ἀληθές, ὀρεγόμενον πάντων εἶναι κύριον.* Similiter res sese habet VI 11, 6: *ἔνθεν δή μοι δοκεῖ πόλις οὖσα Ἄρβηλα ἀπηνέγκατο τὴν δόξαν τῆς μεγάλης μάχης;* cf. Strab. XVI p. 737. Perinde iudicabimus de VI 19, 5: *αὐτὸς δὲ ὑπερβαλὼν τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ τὰς ἐκβολὰς ἐς τὸ πέλαγος ἀνέπλει, ὡς μὲν ἔλεγεν, ἀπιδεῖν εἴ πού τις χώρα πλησίον ἀνίσχει ἐν τῷ πόντῳ· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ οὐκ ἧκιστα ὡς πεπλευκέναι τὴν μεγάλην τὴν ἔξω Ἰνδῶν θάλασσαν.* Paene risum movet alius locus, qui huc pertinet: II 24, 6 dicit, postquam Ptolemaeum secutus narravit Tyri urbis expugnationem: *καὶ τὴν ναῦν τὴν Τυρίαν τὴν ἱερὰν — τῷ Ἡρακλεῖ ἀνέθηκε καὶ ἐπίγραμμα ἐπ' αὐτῇ, ἢ αὐτὸς ποιήσας ἢ ὅτου δὴ ἄλλου ποιήσαντος. οὐκ ἄξιον μνήμης τὸ ἐπίγραμμα· διὰ τοῦτο καὶ ἐγὼ αὐτὸ ἀναγράψαι ἀπηξίωσα.* Apparet eum sententiam auctoris sui sibi vindicasse, nam epigramma ipse sine dubio non legit.

Digitized by Google

Restat, ut quaeramus, quamnam Arrianus secutus sit rationem, quando ex uno fonte quaedam inseruit in alterius narrationem. Iam supra p. 37 monui bis eum eis locis Aristobulum citasse, sed non saepius. Praecipue vero tertii libri finis multum valet ad rationem Arriani bene perspiciendam. Describitur ibi fuga Bessi inde a c. 28 usque ad 30, 5; ipse autem Arrianus indicat narratione finita, utrum auctorem secutus sit: *καὶ ταῦτα Πτολεμαῖος ὑπὲρ Βήσσου ἀνέγραψεν.* Inde consentaneum redditur omnia quae ad Bessi fugam pertinent ex Ptolemaeo eum hausisse, praesertim cum brevissime variam Aristobuli sententiam de Besso vincto c. 30, 5 adserat. Nimirum quia ipse Ptolemaeus ab Alexandro missus erat ad Bessum fugientem persequendum et capiendum eius memoriam potiore fide dignam esse existimavit. Sed accuratius inquiramus in capita illa. C. 28, 5—7 digressionem habes de Caucasi montis natura; hic bis Aristobulus ab Arriano laudatur, unde adparet ad hunc auctorem eum transisse, ut illum montem describeret; ergo ea quae praecedunt ex Ptolemaeo fluxerunt. Accedit quod c. 28, 2 rursus agitur de Satibarzanis rebellione, in qua narranda iam antea Arrianum Ptolemaeum secutum esse veri est simillimum. Simul autem inde quod Aristobulus de rebus geographicis laudatur consectaneum fit, Arrianum § 8, ubi pergit Alexandri expeditiones explicare Bessi capiendi causa susceptas, redisse ad Ptolemaeum, quem sequitur usque ad c. 29, 2; nam quae hic de Oxo flumine exponuntur hausit ex Aristobulo, quem hoc quidem loco non citavit, sed congruunt, quae Strabo XI p. 509 § 3 ex illo auctore de eodem flumine profert, adprime cum Arriani verbis. Iam quaeritur, ubi Arrianum ad Ptolemaeum redire statuendum sit. Describitur § 3 et 4 transitus Oxi fluvii; in quibus manifestum Ptolemaei vestigium deprehenditur, quod ut melius cognoscatur huius loci comparationem institui cum duobus aliis, quibus et ipsis secundum Ptolemaeum explicatur indoles coriorum, quos Macedones in flumine transgrediendo adhibuerunt. Itaque componamus haec:

Digitized by Google

§ 4 ξυναγαγὼν οὖν τὰς διφθέρας ὑφ' αἷς ἐσκήνουν οἱ στρατιῶται φορυτοῦ ἐμπλῆσαι ἐκέλευσεν ὡς ξηροτάτου καὶ καταδῆσαί τε καὶ ξυρράψαι ἀκριβῶς, τοῦ μὴ ἐσδύεσθαι ἐς αὐτὰς τοῦ ὕδατος. ἐμπλησθεῖσαι δὲ καὶ ξυρραφεῖσαι ἱκαναὶ ἐγένοντο διαβιβάσαι τὸν στρατὸν ἐν πέντε ἡμέραις.

I 3, 6 τὰς δὲ διφθέρας ὑφ' αἷς ἐσκήνουν τῆς χάρφης πληρώσας καὶ ὅσα μονόξυλα πλοῖα ἐκ τῆς χώρας ξυναγαγών — διεβίβαζεν ἐπ' αὐτῶν τῆς στρατιᾶς κτλ.

V 12, 3 καὶ ἐνταῦθα ἐπληροῦντο τῆς νυκτὸς αἱ διφθέραι τῆς χάρφης ἐκ πολλοῦ ἤδη παρεννηνεγμένης καὶ κατερράπτοντο ἐς ἀκρίβειαν.

Adparet ex horum locorum similitudine etiam paragrapho quarta Ptolemaeum adhibitum esse; hausit autem ex eo Arrianus etiam § 3, quoniam inde a verbis *διαβάλλειν δὲ ἐπιχειροῦντι* artissimus descriptionis extat conexus. Ceteroquin, id quod silentio praeterire nolui, Ptolemaeum rerum geographicarum minus curiosum de eis non copiosius verba fecisse videmus quam satis esse putabat ad expeditiones Alexandri recte intellegendas; nam ad hunc finem omnia spectant, quae de Oxo flumine dicuntur. Apte cum hac Acesinis descriptio et ipsa ex Ptolemaeo petita componitur V 20, 8, ubi item illud *ῥεῦμα ὀξὺ* deprehenditur; quia vero Ptolemaeus adnotavit Oxum sex stadia latum esse (§ 3), intellegimus recte dixisse Arrianum illo loco: *τούτου τοῦ Ἀχεσίνου ποταμοῦ τὸ μέγεθος μόνου τῶν Ἰνδῶν ποταμῶν Πτολεμαῖος ὁ Λάγου ἀνέγραψεν.* Paragraphum sextam c. 30 manasse ex Ptolemaeo inde adparet, quod proxima paragrapho statim ad Aristobulum transit Arrianus, ut ipse disertis verbis significat; inserit enim, quae de Tanaide in illius opere invenerat; reliquae huius capitis paragraphi nimirum Ptolemaeo tribuendae sunt, quia cohaerent cum argumento paragraphi sextae.

Simillime sese habet l. IV caput sextum. Caput quintum quo Arrianus cladem Macedonum contra Spitamenem missorum exponit manasse ex Ptolemaeo, iam supra (p. 45) cum Schoenio monuimus. Addit enim Arrianus Aristobuli auctoritate adlata

Digitized by Google

aliam de eadem clade memoriam a priore diversam c. 6, 1—2; simul autem recte agnovit Schoenius in sequentibus Arrianum redire ad Ptolemaeum, quod et per se consentaneum est et alio argumento comprobatur. Dicit enim Arrianus § 5 Alexandrum redeuntem terram vastavisse atque *τοὺς ἐς τὰ ἑρύματα καταπεφευγότας τῶν βαρβάρων* interfecisse. Cum his verbis contendamus locos duos simillimos qui propter accuratam rerum militarium descriptionem ex Ptolemaeo derivandi sunt; c. 15, 7 *ὅτι πολλοὺς τῶν Σογδιανῶν ἐς τὰ ἑρύματα ξυμπεφευγέναι ἠγγέλλετο* (cf. etiam p. 63); c. 16, 3 *καὶ οἱ ἄλλοι ὡς ἑκάστοις προὐχώρει ἐπῄεσαν, τοὺς μέν τινας τῶν ἐς τὰ ἑρύματα ξυμπεφευγότων βίᾳ ἐξαιροῦντες*. Incipiunt igitur Aristobuli verba inde a *καὶ ἐπῆλθε τὴν χώραν κτλ.*; nam quae hic inseruntur de Polytimeti fluminis natura hausta esse ex hoc auctore docet fragmentum a Strabone p. 518 servatum. Rursus igitur Arrianus res geographicas ab Aristobulo explanatas accuratissime inseruit in Ptolemaei rerum bellicarum descriptionem; huic nimirum caput 7 debetur, quia redit Arrianus a digressione; § 4 et 5 ipse conscripsit.

Ex his exemplis videmus nunquam Arrianum Aristobuli et Ptolemaei narrationes inter se commiscuisse, neque unius sententiam alterius memoria in comparationem vocata mutasse, sed diligenter auctores suos exscripsisse, modo hunc modo illum adhibentem, prout res postulare videbatur. Itaque aliis quoque locis, nisi causae graves obstant, statuere licebit Arrianum rationem hic observatam secutum esse.

Iam eo deducta est quaestio nostra, ut diiudicare possimus, quaenam Anabasis partes Ptolemaeo quaenam Aristobulo adtribuendae sint. Ita vero officio nostro perfungemur, ut prius ea capita notemus, quae ex Ptolemaeo Aristobulove fluxisse certis comprobatur argumentis. Ex Ptolemaeo igitur Arrianus certo hausit hos locos:

Lib. I c. 1—6 de expeditione contra Thraces Triballos Taulantios; c. 7—8; 9, 9—10 de Thebarum expugnatione;

Digitized by Google

c. 10 de Atheniensium legatione; c. 11, 3—6 de expeditionis Persicae initio; argumenta congessit Fraenkelius p. 256 sqq.;

c. 16, 4 de Macedonibus pugna apud Granicum necatis; alios enim numeros profert Aristobulus Plut. c. 16.

Lib. II c. 11, 8 de Persis proelio Issico interfectis; cf. p. 37.

Lib. III c. 5 de Aegypti praefectis; cf. p. 8. 44.

c. 17 Uxii superantur; cf. p. 46.

c. 23 de Alexandri in Hyrcania expeditione; cf. p. 8.

c. 28, 1—4; 8—10. 29, 1; 3—7. 30, 1—5 de Bessi fuga; cf. p. 53 sq.

c. 30, 6; 10—11; cf. p. 54.

Lib. IV c. 5, 2—9 de pugna apud Maracanda; cf. p. 54.

c. 6, 3—5. 7 (exceptis § 4 et 5, quas Arrianus ipse composuit); cf. p. 55.

c. 22, 3—30, 7 de itinere in Indiam facto; cf. Fraenkel. p. 279 sq.

Lib. V c. 8, 4—14, 2. 15, 1—17, 3 de pugna cum Poro rege commissa; c. 14, 3 enim inseritur varia Aristobuli memoria, quae cum antecedentibus consociari nequit. Deinde citatur Ptolemaeus c. 15, 1.

c. 20, 1—29, 5 de itinere usque ad Hyphasin facto; cf. Fraenkel. p. 281.

Lib. VI c. 6—11, 1 de Mallorum urbe expugnata. Iam supra p. 38 demonstravimus initium libri sexti Arrianum sumpsisse ex Aristobulo; redisse vero eum alicubi ad Ptolemaeum inde conligitur, quod hic c. 10, 1 laudatur. Iam quaeritur, unde incipiat Ptolemaei narratio, desinat Aristobuli. Dicat vero quispiam c. 5, 5 transire Arrianum ad Ptolemaeum, quia huic optime conveniant, quae explicentur de exercitus distributione; sed § 5 *καὶ ἐνταῦθα Ἡφαιστίων τε αὐτῷ καὶ Κράτερος καὶ Φίλιππος ξὺν τοῖς ἀμφ' αὐτοὺς ὁμοῦ ἤδη ἦσαν* referenda esse ad c. 4, 1 adparet, ubi memorat Arrianus Philippum Craterum Hephaestionem praemissos esse ad confluentem Acesinis et Hydaspis. Itaque hic Aristobulum fontem esse statuemus. Tum secuntur haec *ὁ δὲ τοὺς μὲν ἐλέφαντας καὶ τὴν Πολυσπέρχοντος τάξιν καὶ τοὺς ἱπποτοξότας — διαβιβάσας*

Digitized by Google

τὸν Ὑδάσπην Κρατέρῳ ἄγειν προσέταξε. Quae vehementer pugnant cum eis, quae initio capitis sexti proferuntur *αὐτὸς δὲ ἀναλαβὼν τοὺς ὑπασπιστάς τε καὶ τοὺς τοξότας καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας — καὶ τοὺς ἱπποτοξότας τε πάντας καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν ἑταίρων τοὺς ἡμισέας — ὡς ἐπὶ Μαλλοὺς ἦγεν.* Qua ex differentia sequitur capite sexto ineunti redire Arrianum ad Ptolemaeum; errorem enim eum commisisse propter discrepantiae naturam vix est veri simile.

Ex Aristobulo vero hos locos fluxisse certis argumentis concluditur:

Lib. II c. 5, 2—4 de Sardanapali monumento; cf. p. 48. 51.

Lib. III c. 3, 3—5; c. 4 de Ammonis oraculo; cf. p. 44; c. 26, 1 de Philotae insidiis; cf. p. 47; c. 28, 5—7 de Caucaso monte; cf. p. 53; c. 29, 2 de Oxo flumine; cf. p. 53; c. 30, 5 de Besso capto; c. 30, 7 de Tanaide flumine; cf. p. 54.

Lib. IV c. 6, 1—2 de pugna apud Maracanda; cf. p. 45.

c. 6, 6—7 de Polytimeto flumine; cf. p. 55.

Lib. V c. 14, 3 de pugna cum Pori filio; cf. p. 6. 56.

Lib. VI c. 1—5 de navigationibus ab Alexandro in Acesine et Hydaspe susceptis; cf. p. 38 sq.; c. 18, 2—24, 1 de itinere per Gedrosiam facto; cf. Fraenkel. p. 281; c. 28, 3—30, 3; ipse dicit (c. 28, 3) Arrianus *ἀλλ' ἐκεῖνα ἤδη Ἀριστοβούλῳ ἑπόμενος ξυγγράφω;* hunc igitur usque ad libri finem procul dubio secutus est. Atque etiam capite ultimo Aristobulum fontem esse cognoscimus, si c. 28, 3 comparamus cum c. 30, 2; utroque loco simillima de Peucesta dicuntur. Deinde si contulerimus, quae c. 29, 2 et 30, 1 de Orxine et Phrasaorte explicantur, videbimus etiam priorem c. 29 partem (§ 1—3) ubi Aristobulus non citatur, ex eo fluxisse; de Cyri enim sepulcro ab Alexandro restituto quater laudatur.

Lib. VII c. 4, 4—8 de nuptiis Susianis; cf. p. 45 sqq.

c. 7 Alexandri navigationes in Eulaeo et Tigride factae describuntur. Eadem redeunt apud Strabonem XVI p. 740, quem § 9—11 ex Aristobulo hausisse manifestum est; laudatur enim ille auctor p. 741 init. Uterque disserit de alveis ex Euphrate derivatis cataractisque a Persis contra classium hostilium invasionem extructis.

Digitized by Google

c. 16 et 17 de Chaldaeorum vaticinio; cf. p. 48.

c. 18, 1—5 de Pithagorae vaticiniis; cf. p. 37.

c. 19, 3 — 22, 1. Aut Aristobulus ipse citatur aut consentit Arrianus cum Aristobuli fragmentis a Strabone servatis XVI p. 740. 741.

c. 24 *καί τι καὶ τοιόνδε πρὸ τῶν μελλόντων σημῆναι λέγει Ἀριστόβουλος.*

Haec Ptolemaeo et Aristobulo adtribuuntur certis prolatis argumentis, quibus in reliquis Anabasis partibus caremus, ita ut saepius quidem in medio relinqui oporteat, utrum Ptolemaeus an Aristobulus fons sit statuendus. Multos tamen locos p r o b a b i l i u s e x u n o q u a m e x a l t e r o r e p e t i affirmare licet [1]), qua de causa nostrum esse putavimus etiam de his iudicium qualecunque possumus proferre.

Atque ut rursus incipiam a P t o l e m a e o, huic tribuemus eos locos, quibus res militares describuntur, sive conspirant cum narratione Curtiana sive non; apte vero huic enumerationi peculiaris quaedam quaestio praemittenda mihi videtur, quae versatur in iudicanda cognoscendaque utriusque auctoris ab Arriano adhibiti consuetudine. Agitur enim d e A r i s t a n d r i T e l m i s s e n s i s v a t i c i n i i s, quae optime seorsim a nobis tractabuntur.

Notum est Arrianum multis locis proferre o r a c u l a p r o d i g i a a l i a huius generis; itaque quaesiverunt viri docti, utri talia attribuenda essent auctori, Aristobulo an Ptolemaeo. Atque primum Schoenius l. l. p. 23 monuit in Aristobuli haud paucis fragmentis miram quandam superstitionem esse conspicuam. Sic III 3, 6 dicit Arrianus Aristobulum memoriae tradidisse in itinere ad Hammonis templum suscepto duos

1) Non adstipulor hac in quaestione Kaerstio, cuius libellum *Forschungen zur Geschichte Alexanders des Grossen* 1887 tum demum cum pleraque iam scripseram inspicere mihi licuit. Negat enim p. 91 accuratius discerni posse, quae Aristobulo quae Ptolemaeo tribuenda sint, sed satis habendum esse existimat, si in universum quaenam utriusque scriptoris natura et indoles fuerit cognoscatur. Immo ipsa varia utriusque consuetudine aptissime utemur ad iudicandum, utrum Arrianus exscripserit.

Digitized by Google

corvos ante exercitum volasse. Praeterea his locis res prodigiosas et mirabiles Arrianus vendit illius auctoritate adlata: IV 13, 5, ubi agitur de Syra quadam vaticinante, VII 18 ubi uberrime eum locutum esse adparet de Pithagorae vaticinationibus, VII 22, 2 ubi narratur de reportato Alexandri diademate, denique VII 24, 1 ubi laudatur de solio regio a vili quodam homine occupato. Quare Schoenius huic auctori tribuit omnes narrationes, quas profert Arrianus de Aristandri vatis Telmissensis vaticiniis, quae novem locis inveniuntur. Quam sententiam prorsus comprobavit Schaeferus l. l. p. 439. Etenim persuaserunt sibi hi viri docti eiusmodi narrationes haudquaquam resipere sobrium Ptolemaei Lagidae ingenium; immo consentaneum esse hunc auctorem veritatis amantissimum fabulas illas sprevisse, quas permulti rerum Alexandri scriptores delectationis causa divulgassent. Unum tamen prodigium Arrianus tribuit Ptolemaeo III 3, 5; narraverat enim duos dracones exercitum Alexandri per loca harenosa duxisse ad Hammonis oraculum et reduxisse. Neque vero fugit viros doctos, qua de causa Ptolemaeus rem tam portentosam prodiderit memoriae, recte intellegentes hanc fabulam non ex inani miraculorum studio esse deducendam. Voluit nimirum Lagida, quoniam regnum Aegyptiacum acceperat, Hammonis dei sacerdotium adulari; de qua re conferas, quae exposuerunt Geierus [1]) p. 10 et Schaeferus p. 436. Quapropter teneamus consulto eum hoc loco prodigium narrasse, non miraculorum amore commotum.

Denique Fraenkelius Schoenii sententiam de Aristandri vaticiniis ex Aristobulo derivandis comprobavit eaque usus est in alia quadam quaestione disceptanda, quae exorta est de fine operis a Callisthene philosopho de Alexandri expeditione conscripti, quem vere anni 327 interfectum esse scimus; attamen opinio eius sat multis argumentis debilitari potest. Iamdudum animadversum est post Cliti caedem, quam anno 328 non multo ante Callisthenis mortem factam esse

1) Scriptt. Histor. Alex. M. 1844.

Digitized by Google

constat, a nullo rerum Alexandri scriptore Aristandri Telmissensis iam mentionem fieri, quae res mira non ita explicanda est, ut Aristandrum eo fere tempore diem supremum obiisse sumamus; nam ut infra videbimus vixit etiam post Alexandri mortem. Iam Fraenkelius iudicavit unum quendam auctorem vaticinia Aristandri narrasse, ex quo fluxissent per Aristobulum in Arriani historiam, per Clitarchum in Curtium et Diodorum. Deinde cum vidisset nonnulla vaticinia magna cum probabilitatis specie tribui Callisthenī, promptissime coniecit, huic auctori omnia tribuenda esse; sic optime explicari, cur post Cliti mortem nulla a reliquis scriptoribus referrentur, quoniam paullo post Callisthenes mortuus esset. Nullo negotio demonstrari potest, quam infirmo fundamento nitatur haec coniectura, quae primo quidem obtutu speciosa videtur esse.

Primum enim aliis de causis veri dissimillimum est Callisthenem usque ad Cliti mortem historiam Alexandri continuavisse; qua de re provoco ad ea quae Droysenus sagacissime exposuit *Gesch. d. Hellenism.* I 2 p. 379, ostendens iam multo ante Clitum interfectum Callisthenem fastidisse fabulas in maiorem Alexandri gloriam memoriae tradere, utpote qui eo tempore iamdudum adversaretur Alexandro superbius sese gerenti.

Quid? ad unum tantum auctorem talium narratiuncularum genus referendum esse num omnino Fraenkelius idoneis argumentis comprobavit? Erat Aristander inter comites Alexandri multumque eius auctoritas valuisse videtur in omnibus rebus divinis. Quidni igitur alii quoque rerum scriptores artem vaticinandi ab eo cultam commemoraverint? Nam etiam horum scriptorum complures Alexandrum comitabantur.

Gravissimum denique argumentum, quod contra Fraenkeli coniecturam proferri potest, id esse existimo, quod nequaquam Arriani narrationes, quae sunt de vate illo, ex Aristobulo desumptas esse certis rationibus demonstravit, sed satis habuit de hac re Schoenii coniecturam repetere, iusto confidentius opinor.

Qui vero factum sit, ut post annum 328 nullae de Ari-

Digitized by Google

standro narrationes apud Alexandri rerum scriptores inveniantur, ignoramus. Sed ut unum afferam, haud scio an optimo iure coniciatur, Arriano iam non placuisse omnes eius vaticinationes in fontibus suis inventas memoriae prodere. In Indiam Aristandrum profectum esse elucet ex App. Syr. 64, ubi vaticinium illius profertur, quod in ea terra datum esse adparet ex Iustin. XV 3, 11.

Sed gravioris hercle momenti erit quaerere, quonam ex fonte Arrianus singulas hauserit fabulas. Inscius autem incidi in similem sententiam atque protulit E. Rohdius in Mus. Rhen. vol. XXXVIII p. 302 adnot. 1 coniciens Aristandri vaticinia sumpsisse Arrianum ex Ptolemaeo. Sed cum breviter tantum ille vir doctissimus hanc quaestionem tetigerit, praeterea nova quaedam argumenta me proferre posse credam, denique cum nonnullis de vaticiniis Rohdii coniectura stare non possit, haud inutile videtur singulos locos ubi Aristander ab Arriano commemoratur diligentius perlustrare, ut fons eorum quam certissime eruatur.

Atque primum moneo Arrianum duo vaticinia Aristandri sumpsisse ex Strabonis libro. Alterum invenimus III 2, 1–2 de cuius origine iam diximus p. 23.

Alter locus, ubi Arrianum opus conlectaneum exscripsisse manifestum est, invenitur I 11, 1—2; hoc quidem loco eam rem non significavit locutione peculiari, ut alibi eius mos est; tamen originem harum paragraphorum luculentissime produnt verba *οἱ δὲ καὶ ταῖς Μούσαις λέγουσιν ὅτι ἀγῶνα ἐποίησε*. Accedit autem, quod § 2, ubi de Aristandro loquitur, prorsus conspirat cum Plutarcho c. 14 extr. Iam cum § 1 fere prorsus congruat cum Diodoro XVII 16, 3, perspicuum fit auctorem operis conlectanei eundem adhibuisse fontem, ad quem Diodorus redit. Deinde videmus, Plutarchum non omnia recepisse, quae in fonte suo invenit.

Transeo nunc ad reliquorum vaticiniorum fontem indagandum.

IV 4 transitus Tanaidis fluminis atque pugna contra Scythas tam perite describitur, ut tota narratio optime quadret

Digitized by Google

ad Lagidae ingenium militare. At Aristander commemoratur, qui sacrificio facto transgressum prosperum non portendi vaticinatur. Hunc locum lubet comparare cum V 28, 4, ubi simillime exponit Arrianus Alexandrum usque ad Hyphasin profectum, cum vidisset militum animos reditus cupidissimos esse, tamen sacrificasse, ut prosperi transgressus auspicium adsequeretur. Duos locos ex adverso posui:

IV 4, 3 *θυομένῳ δὲ ἐπὶ τῇ διαβάσει τὰ ἱερὰ οὐκ ἐγίγνετο· ὁ δὲ βαρέως μὲν ἔφερεν οὐ γιγνομένων· ὅμως δὲ ἐκαρτέρει καὶ ἔμενεν. ὡς δὲ οὐκ ἀνίεσαν οἱ Σκύθαι, αὖθις ἐπὶ τῇ διαβάσει ἐθύετο· καὶ αὖ ἐς κίνδυνον αὐτῷ σημαίνεσθαι Ἀρίστανδρος ὁ μάντις ἔφραζεν.*

V 28, 4 *ὡς δὲ σιγὴ αὖ πολλὴ ἦν ἀνὰ τὸ στρατόπεδον καὶ ἀχθόμενοι μὲν τῇ ὀργῇ αὐτοῦ δῆλοι ἦσαν, οὐ μὴν μεταβαλλόμενοί γε ὑπ' αὐτῆς, ἐνταῦθα δὴ λέγει Πτολεμαῖος ὁ Λάγου ὅτι ἐπὶ τῇ διαβάσει οὐδὲν μεῖον ἐθύετο, θυομένῳ δὲ οὐκ ἐγίγνετο αὐτῷ τὰ ἱερά.*

Deinde comparemus V 3, 6, ubi narratur Alexandrum pervenisse ad Indum flumen: *ἐνταῦθα θύει Ἀλέξανδρος τοῖς θεοῖς ὅσοις αὐτῷ νόμος καὶ ἀγῶνα ποιεῖ γυμνικὸν καὶ ἱππικὸν ἐπὶ τῷ ποταμῷ· καὶ γίγνεται αὐτῷ ἐπὶ τῇ διαβάσει τὰ ἱερά.* Etiam hic Ptolemaeum ab Arriano adhibitum esse facile intellegitur; cohaerent enim paragraphi 5 et 6 artissime cum fine libri antecedentis, ubi Ptolemaeum fontem esse probavimus p. 56. Feliciter autem factum est, quod Arrianus V 28, 4 ipsum Ptolemaeum laudavit. Tanta similitudo intercedit inter omnes hos locos, ut coagamur etiam primum ex eodem fonte derivare. Tum vero Aristandri vaticinium a Ptolemaeo narratum esse concludemus, cum sine ulla probabilitate contendat quispiam Arrianum utriusque auctoris narrationem in unam conglutinasse, quod prorsus ab eius consuetudine abhorrere vidimus. De eodem vaticinio agit Curtius VII 7, sed tota eius narratio tantopere distat ab Arrianea, ut vehementissime mirer, quomodo Fraenkelius de communi Clitarchi et Aristobuli fonte cogitare potuerit; ipse concedere debet, a Curtio memoriam ab Arriani sat diversam proferri.

Transeo ad IV 15, 8, ubi narratur Alexandrum apud Oxum

Digitized by Google

flumen castra posuisse: *οὐ μακρὰν τῆς σκηνῆς τῆς αὐτοῦ Ἀλεξάνδρου πηγὴ ὕδατος καὶ ἄλλη ἐλαίου πηγὴ πλησίον αὐτῆς ἀνέσχε. καὶ Πτολεμαίῳ τῷ Λάγου τῷ σωματοφύλακι ἐπειδὴ ἐσηγγέλθη τὸ τέρας, Πτολεμαῖος Ἀλεξάνδρῳ ἔφρασεν.* Tum Aristander olei fontem labores portendere pronuntiat, simul autem victoriam post labores. Equidem cum Rohdio persuasum habeo neminem nisi Ptolemaeum ipsum hic adhibitum esse, quia tam diserte narrat Arrianus eum de prodigio audivisse statimque regi id nuntiasse. Fraenkelius quidem p. 183 et 228 ex loco quodam Straboniano conclusit Aristobulum olei fontem commemoravisse; sed facile refutari poterit. Libro XI p. 518 § 5 laudat Strabo Aristobulum de Polytimeto fluvio; tum sic pergit, *τοῦ δὲ Ὤχου ποταμοῦ πλησίον ὀρύττοντας εὑρεῖν ἐλαίου πηγὴν λέγουσιν.* Id non premam quod Strabo nullam aquae fontis mentionem facit; poterat consulto eum omittere, quia illo loco agit de terra bituminosa. Sed vocabulo *λέγουσιν* dilucide significavit se ad alium fontem transire. Potuit quidem Aristobulus prodigium illud commemorare; ex loco tamen Straboniano hoc effici nequit. Utique autem futtili Fraenkeli argumento non prohibemur, quominus etiam hoc loco Arriani Ptolemaeum auctorem statuamus.

Etiam plures scriptores hunc fontem commemorasse elucet ex Plutarchi c. 57, cuius narratio ad alium redit, quia non prorsus cum Arriano congruit. Dicit enim in fundamento tabernaculi regii fodiendo fontem adparuisse, cum Arrianus eum prope illud prosiluisse dicat. Similiter narrat Curtius VII 10, 13—14 in ipso tabernaculo regis conspectum esse fontem, sed fontem aquae habet, olei non novit. Denique notandum est Plutarchum vaticinium ad expeditionem Indicam relatum post Cliti demum mortem narrare, id quod non fit apud Arrianum et Curtium. Necessario ex his discrepantiis trium scriptorum consequitur non ab uno auctore illud prodigium profectum sed a compluribus divulgatum esse.

Deinde Aristander commemoratur in Tyri oppugnatae descriptione II 18, 1: narrat Arrianus per somnum Alexandro speciem Herculis oblatam esse dextram porrigentis atque in urbem

Digitized by Google

introducentis. Necesse vero erit indagare, quemnam auctorem Arrianus c. 17—24, quibus obsidio explicatur, adhibuerit. Sollerti quadam comparatione usus Fraenkelius in altera descriptionis parte Ptolemaei vestigia detexit (cf. p. 269); contulit enim c. 22, 7 et 23, 4 cum eis quae secundum Ptolemaeum exponuntur IV 26, 6. Qua de re prorsus ei adsentior. Deinde in priore parte tantopere saepius congruit Curtius cum Arriano [1]), ut eodem fonte usos eos esse negari nequeat, praesertim cum eorum quibus conspirant nec vola nec vestigium apud Diodorum deprehendatur. Uterque commemorat iisdem verbis Carthaginiensium legatos (Curt. IV 2, 10 = Arrian. II 24, 5); porro consentiunt Arrianus c. 18, 6; 19 et Curtius IV 2, 23 de machinis ab Alexandro ea de causa instructis, ut Macedonibus adversus telorum ictus praesidio essent. Denique uterque eadem narrat (Arr. 19, 1—5 = Curt. IV 3, 2–4) de navi bitumine et sulphure illita, quae a Tyriis in Macedonum turres immissa est. Itaque etiam his locis Arrianus ad Ptolemaeum redit. Tum quae Curtius exponit c. 2, 19 et 20 consentiunt cum Diod. XVII 41, 1; sed apud hunc plane nihil invenitur, quod congruat cum Curtii § 15—17. Contra cum Arriano Curtius consentit de somnio illo Alexandri, quamquam Aristandri vaticinationem omittit. Componamus amborum narrationes:

Arr. c. 18, 1 *καί τι καὶ θεῖον ἀνέπειθεν αὐτόν, ὅτι ἐνύπνιον αὐτῆς ἐκείνης τῆς νυκτὸς ἐδόκει αὐτὸς μὲν τῷ τείχει προσάγειν τῶν Τυρίων, τὸν δὲ Ἡρακλέα δεξιοῦσθαί τε αὐτὸν καὶ ἀνάγειν ἐς τὴν πόλιν.*

Curt. IV 2, 17: at ille haudquaquam rudis pertractandi militares animos speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronuntiat, dextram porrigentis: illo duce, illo aperiente in urbem intrare se visum.

Itaque concludemus etiam Curtii narrationem de somnio Alexandri proditam ex Arriani fonte esse haustam, ergo ex Ptolemaeo. Eundem auctorem statuemus in Plutarchi c. 24, qui prorsus consentit cum Arriano, nisi quod Aristandri vati-

1) Cf. Petersdorff. l. l. p. 15—17.

Digitized by Google

cinium omisit. Praeter Ptolemaeum complures scriptores Aristandri in Tyri obsidione narranda mentionem fecisse inde efficiendum videtur esse, quod Curtius IV 2, 14 aliud eius vaticinium narrat; idem prodigium habet Diodorus XVII 41, 7, sed tacet de Aristandro. Deinde Plutarchus c. 24 narrat vidisse Alexandrum in somnio Satyrum, cuius ominis explicationem Artemidorus Oneirocrit. IV 24 Aristandro tribuit. Omnia haec vaticinia ad Tyri obsidionem pertinentia tam diversa sunt inter se, ut vix ab uno eodemque auctore profecta esse possint.

Iam vero cum compluribus locis demonstraverimus Arrianum redire ad Ptolemaeum, licet conicere totam descriptionem ex illo haustam esse; neque enim eos moror, qui Arriani narrationem ex Ptolemaeo et Aristobulo conscriptam esse futtilibus argumentis comprobare studuerunt. Atque in universum prodere eam scriptorem rerum militarium peritissimum testemque oculatum nemo opinor negaverit.

Paullo ante proelium apud Gaugamelam factum (III 7, 6) Arrianus paene totius lunae defectionem evenisse tradit, Aristandrum autem praedicasse bonam fortunam illa re Macedonibus portendi eodemque mense Alexandrum victoriam reportaturum esse. Quia vero descriptione proelii finita rursus ad hoc vaticinium respicitur (c. 15, 7), etiam hic statim oportebit quaerere, ex quo auctore Arrianus eam sumpserit, ut certius discernatur, unde fluxerit prodigii et Aristandri mentio. Atque per se veri est similius Arrianum in proelii gravissimi narratione Ptolemaeum praetulisse Aristobulo, quem voluit Fraenkelius statuere. Iam supra exposui aciei Persicae enarrationem (c. 11, 3—7) ex Ptolemaeo fluxisse p. 38. Deinde apud Curtium nonnulla inveniuntur, quae conspirant cum Arriano, desunt apud Diodorum. Sic comparavit Petersdorffius l. l. p. 19 Arriani c. 13, 2—3; 14, 1 cum Curtii IV 15, 12 et 13 et Arrian. c. 13, 4 cum Curt. c. 15, 18; horum quidem locorum similitudinem non tantum premam, quia Curtius alio conexu haec profert; fortasse tamen concedendum erit Curtium turbas fecisse. Sed consensus manifestissimus extat inter hos locos,

Digitized by Google

quibus agitur de pugna quadam equestri in proelii fine inter Persas et Macedones commissa:

c. 15, 1—2 *ἐς βάθος τε γάρ, οἷα δὴ ἱλῃδὸν τεταγμένοι, ἀνέστρεφον οἱ βάρβαροι καὶ ἀντιμέτωποι τοῖς ἀμφ' Ἀλέξανδρον ξυμπεσόντες οὔτε ἀκοντισμῷ ἔτι οὔτ' ἐξελιγμοῖς τῶν ἵππων, ἥπερ ἱππομαχίας* [1]) *δίκη, ἐχρῶντο, ἀλλὰ διεκπαῖσαι πᾶς τις τὸ καθ' αὑτόν κτλ.*

c. 16, 21 deinde Macedonum paucitate conspecta turmas in obvios concitaverunt. 24 Invasere turbatos amici quoque: nec Persae inulti cadebant, quippe non universae acies, quam hae tumultuariae manus vehementius iniere certamen.

Praecipue § 5—6 capitis tertii decimi Ptolemaeum adhibitum esse dilucide ostendi potest. Loquitur ibi Arrianus de Persarum curribus falcatis, qui ad Macedonum aciem disturbandam missi erant. Simillimus autem hic locus est alteri I 1, 8, quo et ipso de curribus dicitur, quos Thraces barbari e regione sublimiore in Macedones demiserunt, ut eis oppressi interficerentur; ubi Ptolemaeum esse exscriptum nemo negabit. Opus est duos hos locos ex adverso ponere:

III 13, 6 *ἔστι δὲ ἃ καὶ διεξέπεσε διὰ τῶν τάξεων· διέσχον γάρ, ὥσπερ παρήγγελτο αὐτοῖς, ἵνα προσέπιπτε τὰ ἅρματα· καὶ ταύτῃ μάλιστα ξυνέβη αὐτά τε σῶα καὶ οἷς ἐπηλάθη ἀβλαβῶς διελθεῖν.*

I 1, 8 *παραγγέλλει ... ὅσοις μὲν ὁδὸς ... παρέχοι λῦσαι τὴν τάξιν, τούτους δὲ διαχωρῆσαι, ὡς δι' αὐτῶν ἐκπεσεῖν τὰς ἁμάξας· ὅσοι δὲ περικαταλαμβάνοιντο, ξυννεύσαντας τοὺς δὲ καὶ πεσόντας ἐς γῆν συγκλεῖσαι ἐς ἀκριβὲς τὰς ἀσπίδας, τοῦ κατ' αὐτῶν φερομένας τὰς ἁμάξας καὶ τῇ ῥύμῃ κατὰ τὸ εἰκὸς ὑπερπηδώσας ἀβλαβῶς ἐπελθεῖν· καὶ οὕτω ξυνέβη ὅπως παρήνεσέ τε Ἀλέξανδρος καὶ εἴκασεν.*

Duobus locis videmus eandem rem tam congruenter enarratam esse, ut cum uno Ptolemaeus adhibitus sit ab Arriano, idem de altero loco statuendum sit.

1) In his ipsis verbis: *ἥπερ ἱππομαχίας δίκη* militare Ptolemaei ingenium agnoscere mihi videor.

Digitized by Google

Iam cum compluribus locis vestigia Ptolemaei deprehendantur, maxima cum probabilitate contendemus totam proelii apud Gaugamelam facti descriptionem ex illo auctore fluxisse.

Sed redeamus ad Aristandrum et quaeramus, num fortasse eius vaticinium ex Aristobulo insertum sit ab Arriano in Ptolemaei narrationem. Quod quominus credamus, unum est quod nos impediat. Respicit Arrianus ad vaticinium illud c. 15, 7 hisce verbis: *καὶ Ἀριστάνδρῳ ξυνέβη ἡ μαντεία ἐν τῷ αὐτῷ μηνὶ ἐν ὅτῳ ἡ σελήνη ἐκλιπὴς ἐφάνη τήν τε μάχην Ἀλεξάνδρῳ καὶ τὴν νίκην γενέσθαι.* Idem autem fit eisdem verbis IV 4, 9: *καὶ οὕτω ξυνέβη ἡ μαντεία Ἀριστάνδρῳ,* ubi Ptolemaeum usurpatum esse p. 62 demonstravimus. Itaque hoc quoque loco Ptolemaeum fontem esse nobis facile persuadebimus. Pugnat vero gravissime contra Fraenkeli coniecturam, quod in descriptione Arrianea non invenitur illud ipsum vaticinium, quod ad Callisthenem redire verisimile est. Tradit enim Plutarchus c. 33 Aristandrum in proelio apud Gaugamelam commisso prope regem equo vehentem militibus ostendisse aquilam super Alexandri capite volantem; saepius vero in illo capite laudatur Callisthenes.

Denique dicendum est de II 26, 4; 27, 1—2. Primum omnium id statuendum est totam Gazae oppugnationis descriptionem ex uno repetendam esse scriptore. Itaque hic nemini licebit sumere vaticinium in reliquam narrationem insertum esse; immo artissime cum ea contextum est. Quodsi respicimus expeditionem militarem et oppugnationem hic describi, deinde Arrianum paullo ante in Tyri urbis obsessione explicanda secutum esse Ptolemaeum, ut p. 63 sq. exposuimus, cum aliqua probabilitate suspicabimur eum haec quoque duo capita ex eodem fonte deprompsisse.

Unus superest locus, quo cum certa argumenta desint discerni nequit, utrum Ptolemaeus an Aristobulus usurpatus sit.

I 25, 6 *καί τι καὶ θεῖον ἐφόβει αὐτούς.* Hic ne id quidem diiudicari potest, num totum caput ex uno fonte haustum sit; poterat Arrianus § 6—8, quibus vaticinium Aristandri exponitur, ex unius narratione in alterius inserere.

Digitized by Google

Sed memoratu saltem dignum est hoc vaticinium nullo alio loco commemorari.

Quae cum ita sint, id comprobavimus duo vaticinia Aristandri fluxisse ex opere illo conlectaneo, quinque sumpta esse ex Ptolemaeo, in uno tantum rem dubiam manere. Nusquam autem idoneis argumentis demonstratum est, Aristobulum fontem esse. Sed superest ut quaeramus, num certa quadam causa commotus illius viri vaticinationes narravisse Ptolemaeus existimandus sit. Atque ut hanc rem disceptemus, opus est de narratiuncula quadam fusius disserere, quam tradit Aelianus Var. Hist. XII 64; qua agitur de Alexandri corpore in Aegyptum transportato: *ἀλλ' οὗτός γε τριάκοντα ἡμέρας κατελέλειπτο ἀκηδής, ἕως Ἀρίστανδρος ὁ Τελμησσεύς, θεόληπτος γενόμενος ἢ ἔκ τινος ἄλλης συντυχίας κατασχεθείς, ἦλθεν εἰς μέσους τοὺς Μακεδόνας καὶ πρὸς αὐτοὺς ἔφη πάντων τῶν ἐξ αἰῶνος βασιλέων εὐδαιμονέστατον Ἀλέξανδρον γεγονέναι καὶ ζῶντα καὶ ἀποθανόντα· λέγειν γὰρ τοὺς θεοὺς πρὸς αὐτόν, ὅτι ἄρα ἡ ὑποδεξαμένη γῆ τὸ σῶμα, ἐν ᾧ τὸ πρότερον ᾤκησεν ἡ ἐκείνου ψυχή, πανευδαίμων τε ἔσται καὶ ἀπόρθητος δι' αἰῶνος.* Quibus addit Ptolemaeum regis corpus furatum esse, ut in Aegyptum deportaret; Perdiccam autem Aristandri vaticinio incitatum fugientem esse persecutum. Tum proelio acerrimo orto Ptolemaeum corpore ipso clam praemisso Perdiccam imagine quadam Alexandri simillima decepisse. Quivis videt conruptam esse veritatem fabulis non apte confictis; nunquam enim de Alexandri corporis possessione Ptolemaeus et Perdiccas inter se decertaverunt; praecipue autem simulacrum illud mera fictio est. Attamen totam narratiunculam a posteriore quodam scriptore excogitatam esse non licet praepropere contendere, quam rationem multi quidem nunc in deliciis habent; aliquid sane inesse potest, quod redeat ad priorem quendam auctorem. Quidni Aristandri vaticinium iam ab eo narratum sit? Iamque Droysenus *Gesch. d. Hellenism.* II 1 p. 111 Ptolemaeum Aristandri praedictioni fidem tribuisse vel saltem ea uti voluisse suspicatus est. Fortasse cum aliqua probabilitate statuere licet Ptolemaeum cum aucto-

Digitized by Google

ritatem suam augere et corroborare studuerit Aristandrum impulisse ad pronuntiandum vaticinium id genus. Atque cum constet Ptolemaeum prodigio quodam usum Hammonis dei sacerdotium adulatum esse, simile propositum eum altero illo vaticinio persecutum esse in promptu est conicere; nimirum id egisse putandus est, ut omnium Aegyptiorum animos sibi regnanti obnoxios faceret, quippe qui salutiferum Alexandri corpus in eorum terram transportasset. Quae si ita sunt, perspicuum fit, cur saepius vatis illius effata rettulerit; nempe ut magnam eius dictis fidem compararet. Sed utcunque haec res sese habet, id fortissime licet adfirmare aliquam extitisse necessitudinem inter Ptolemaeum et Aristandrum. Quae si recte disputavimus, adparet perperam multos iudicasse Ptolemaeum prorsus alienum fuisse a vaticiniis prodigiisque memoriae tradendis. Placet hic narratiunculae cuiusdam mentionem inicere, quam refert Appianus Syr. 56 de Seleuco; quem Babylonem proficiscentem offendisse ad lapidem: *καὶ τὸν λίθον ἀνασχαφέντα ἄγκυραν ὀφθῆναι. θορυβουμένων δὲ τῶν μάντεων ὡς ἐπὶ συμβόλῳ κατοχῆς, Πτολεμαῖον τὸν Λάγου παραπέμποντα εἰπεῖν ἀσφαλείας τὴν ἄγκυραν οὐ κατοχῆς εἶναι σύμβολον.* Sive vera sive ficta haec fabula est, id certo momenti est, quod talis interpretatio superstitionis plena Lagidae adtribui poterat.

Sequantur ei loci qui propterea ex Ptolemaeo repetendi sunt, quod conspirant cum narratione Curtiana.

Lib. I c. 24. Conferri possunt haec:

§ 2 *ἔπεμψε δὲ καὶ Κλέανδρον τὸν Πολεμοκράτους ἐπὶ ξυλλογῇ στρατιωτῶν εἰς Πελοπόννησον.*	Curt. III 1, 1 ad conducendum ex Peloponneso militem Cleandro cum pecunia missa.

Accedit aliud. II 20, 5 in descriptione Tyri obsidionis commemoratur Cleander ex Peloponneso rediens; hausit ibi Arrianus ex Ptolemaeo (cf. p. 62 sq.). Rursus idem memorat Curt. IV 3, 11.

c. 29. Consentit Curtius III 1, 6—9 cum Arriano de pactione cum Celaenarum urbis incolis facta Atheniensiumque captivos postulantium legatione.

Digitized by

Lib. II c. 1—2 tam arte cohaerent, ut ex uno auctore ea fluxisse sit statuendum; describuntur expeditiones a Memnone et Pharnabazo in mari Aegaeo susceptae. Quae c. 2, 1 dicuntur de Thymode et Pharnabazo, ad verbum conspirant cum Curt. III 3, 1.

c. 4 de Alexandri itinere per Galatiam Cappadociam Ciliciam facto = Curt. III 1, 22—24; 4, 1—5; 11—15. Qui cum multo uberius has expeditiones descripserit, abbreviatam esse Ptolemaei narrationem ab Arriano manifestum est.

c. 5, 5—9 de Alexandro Solis versante = Curt. III 7, 2—5.

c. 6—12, 2. Describitur proelium Issicum; multum iuvat, quod c. 11, 8 ipsum Ptolemaeum laudat de ingenti Persarum caesorum multitudine, quo de loco verba fecimus p. 37. Est autem gravissimi momenti, quod Arrianus disertim monet Ptolemaeum tum inter Alexandri comites fuisse (*ξυνεπισπόμενος τότε Ἀλεξάνδρῳ*); permirum igitur erat, si oculati testis narrationem in reliquis sprevisset. Totam vero narrationem ex Ptolemaeo manasse, inde veri fit simillimum, quod permultis locis consensus cum Curtio cognoscitur, cuius descriptionem compositam et conglutinatam esse ex Ptolemaeo et memoria vulgari docuit Petersdorffius l. l. p. 13 sq.

c. 13 de Darei fuga et de Pharnabazi et Autophradatis in mari Aegaeo expeditionibus = Curt. IV 1, 1—3; 6; 37.

Lib. III c. 2, 3—7 de rebus in mari Aegaeo gestis = Curt. IV 5, 13—22; 8, 11.

c. 6 de Atheniensium legatis, de Amphotero classis praefecto, de Hercule Tyrio = Curt. IV 8, 12—16.

c. 16 = Curt. V 1, 43—45; 2, 16—17; 1, 40—42 de Babyloniae et Susianae praefectis deque Amynta cum exercitu ex Macedonia redeunte.

c. 25. Uterque eadem profert de Besso vestem regiam induente (§ 3 = Curt. VI 6, 13), de Nicanore Parmenionis filio subita morte correpto (§ 4 = C. 6, 18—19), de Satibarzane deficiente et Alexandri adventu audito fugiente (§ 5—7 = C. 6, 20—22), de Barsaente Darei interfectore qui in Indiam effugit (§ 8 = Curt. 6, 36).

Digitized by Google

Lib. IV c. 18, 1—3 de satrapis, quos Alexander provinciis Persicis praefecit = Curt. VIII 3, 17.

Lib. VI c. 27. Consentiunt, quae Arrianus § 2 et Curtius X 1, 20—22 referunt de Philippi satrapae morte; cf. p. 44.

Denique ex Ptolemaeo probabilius quam ex Aristobulo derivabimus etiam has partes, quia in illum intendit rerum bellicarum descriptio:

Lib. I c. 12, 6—16, 7. Proelium apud Granicum flumen. C. 16, 4 sine dubio ex Ptolemaeo Arrianum sumpsisse dilucide adparet ex Plutarchi comparatione:

Arr. *Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε ἐν τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον· καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἑστᾶσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι, ὅπερ καὶ Ἀλέξανδρον μόνος προκριθεὶς ἐποίει, τῶν δὲ ἄλλων ἱππέων ὑπὲρ τοὺς ἑξήκοντα, πεζοὶ δὲ ἐς τοὺς τριάκοντα.*	Plut. 16 *τῶν δὲ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον Ἀριστόβουλός φησι τέσσαρας καὶ τριάκοντα νεκροὺς γενέσθαι τοὺς πάντας ὧν ἐννέα πεζοὺς εἶναι. τούτων μὲν οὖν ἐκέλευσεν εἰκόνας ἀνασταθῆναι χαλκᾶς, ἃς Λύσιππος εἰργάσατο.*

Manifestum est ea quae Arrianus de Lysippo dicit ex eodem fonte fluxisse, ex quo numeri sumpti sunt, ergo ex Ptolemaeo. Inde vero concludemus etiam in reliquis Arrianum eum secutum esse; nam si numeros in Aristobuli narrationem inseruisset, ex more suo eum, opinor, laudasset.

c. 17—23. Sardes Ephesus Miletus Halicarnassus capiuntur. C. 17, 5—6 omen quoddam narratur, de quo rectum protulit iudicium Droysenus *Gesch. d. Hellenism.* I 2 p. 197 adn.

c. 26 praeter Ptolemaeum etiam Aristobulum adhibitum esse non sine probabilitate statuemus. Initio loquitur Arrianus de itinere Alexandri secundum Climacem facto eamque reddit rei expositionem, quam primus dederat Callisthenes ad Alexandri gloriam augendam (frg. 25). Contra alteram apud Strabonem invenimus, cui maior fides habenda est, cum Alexandrum

Digitized by Google

per fluctus litus inundantes iter cum exercitu fecisse narretur. Itaque Fraenkelium (p. 93) recte Strabonis memoriam ad Ptolemaeum veritatis amantissimum, Arriani contra ad Aristobulum rettulisse existimo. Accedit quod ab Arriano quaestio instituitur de ventis, quorum flatu inundatio facta est; quae res optime Aristobulo convenit. Deinde quae § 4 disseruntur de origine et lingua Sidetarum recte fortasse Fraenkelius p. 264 derivavit ex Aristobulo. Hos igitur duos locos inseruit Arrianus in Ptolemaei narrationem.

c. 27. Narrat Arrianus c. 27, 7 noluisse Alexandrum barbaros ex angustiis Termessensibus vi expellere, sed castra poni iussisse sperantem hostes mox angustias esse relicturos: *καὶ ξυνέβη ὅπως εἴκαζεν.* Hac locutione uti solet Arrianus, ubi narratur Alexandri consilium quoddam militare bono fuisse eventu. Primum invenitur I 1, 9 *καὶ οὕτως ξυνέβη ὅπως παρήνεσέ τε Ἀλέξανδρος καὶ εἴκασεν,* tum V 23, 5 *καὶ ξυνέβη οὕτως ὅπως εἴκασεν,* IV 29, 6 *καὶ ξυνέβη οὕτως.* Quia vero hi tres loci ex Ptolemaeo (cf. p. 55. 56) fluxerunt, illam locutionem non Arriano deberi, sed scriptoris illius propriam fuisse concludemus, praesertim cum eis locis quibus exponuntur consilia militaria usurpetur. Eandem loquendi formam deprehendimus his quoque locis: II 10, 3 *καὶ ξυνέβη ὅπως εἴκασεν Ἀλέξανδρος,* III 18, 9 ubi de ipso Ptolemaeo agitur: *Ἀλέξανδρος γὰρ τοῦτο αὐτὸ ὅπερ ξυνέβη ὑποτοπήσας Πτολεμαῖον ἀπολελοίπει αὐτοῦ,* IV 2, 5 *καὶ ξυνέβη δὲ οὕτως ὅπως εἴκασε.* — C. 28 eidem fonti debetur ac c. 27; nam verba quae habes init. § 2 *τὴν Τέρμησσον δὲ ἀπέγνω ἑλεῖν ἂν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ* artissime cum eis quae antecedunt cohaerent.

Lib. III c. 1 de expeditione in Aegyptum facta.

c. 7, 1—5 describitur Alexandri usque ad Gaugamelam per Syriam et Mesopotamiam iter.

c. 18 pugna cum Ariobarzane satrapa ad portas Persicas facta.

c. 19—22 fuga et mors Darei regis.

c. 24 cohaeret artissime cum eo quod proxime antecedit quod e Ptolemaeo esse derivatum p. 8 sq. demonstravimus. Per-

Digitized by Google

tinent enim ad c. 23, 7 verba § 3 *σατράπην δὲ ἀπέδειξεν αὐτῶν Αὐτοφραδάτην, ὅνπερ καὶ τῶν Ταπούρων*; deinde rursus agit Arrianus § 4 de mercennariis Graecis, quod iam c. 23, 8 fecerat.

c. 27, 4—5 iter per Euergetas factum.

Lib. IV c. 1—3 Sogdianae urbes rebellantes expugnantur.

c. 5, 1 de priore Scytharum legatione.

c. 15, 1—6 de altera Scytharum legatione.

c. 16 et 17 Spitamenes post pugnas diutinas vincitur et necatur.

c. 18, 4—19, 5; 20, 4—22, 2 rupes Oxyartis et Chorienis expugnantur.

Lib. V c. 3, 5—6 continuatur expeditionis Indicae narratio ita, ut arte cohaereat cum fine libri antecedentis, ubi Ptolemaeus adhibitus est; cf. p. 62.

Lib. VII c. 15, 1—3 expeditio contra Cossaeos suscepta.

Quae praeterea Aristobulo adtribuimus, sunt haec.

Lib. I c. 26, 1 de itinere secundum Climacem facto; 4 de Sidetarum lingua et origine; cf. p. 71. 72.

c. 29, 1 de Ascania lacu sal concretum praebente.

c. 29, 5 de Sangario flumine.

Lib. V c. 18, 4—19, 3 exponuntur, quae Poro regi post proelii finem acciderint. Attamen c. 19, 2 deprehendimus notam libri conlectanei, ubi conloquium Alexandri et Pori refertur: *Πῶρον δὲ ἀποκρίνασθαι λόγος*. Addidit eam Arrianus, quia invenit hanc narratiunculam etiam in Strabonis opere; quod cognoscitur ex Plutarchi c. 60. Videmus vero ibi Arrianum notam illam posuisse, ubi apud Plutarchum initium fit narrationis. Plutarchum sua ex Onesicrito hausisse Fraenkelius censuit p. 134 sqq.; sed valde vereor, num recte sic statuatur. Comparentur duorum auctorum verba:

Arrian. c. 19, 3 *καὶ Ἀλέξανδρος — τήν τε ἀρχὴν τῷ Πώρῳ τῶν τε αὐτοῦ Ἰνδῶν ἔδωκε καὶ ἄλλην ἔτι χώραν πρὸς τῇ πάλαι οὔσῃ πλείονα τῆς πρόσθεν προσέθηκεν.*	Plut. 60 *οὐ μόνον οὖν ἀφῆκεν αὐτὸν ἄρχειν ὧν ἐβασίλευε σατράπην καλούμενον, ἀλλὰ καὶ προσέθηκε χώραν καὶ τοὺς αὐτονόμους κατα-*

Digitized by Google

VI 2, 1 (ex Aristobulo): *βασιλέα μὲν τῆς ἁλωκυίας ἤδη Ἰνδῶν γῆς ἀπέδειξε Πῶρον, ἑπτὰ μὲν ἐθνῶν τῶν ξυμπάντων, πόλεων δὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τὰς δισχιλίας.*	*στρεψάμενος, ἐν ᾗ πεντεκαίδεκα μὲν ἔθνη, πόλεις δὲ πεντακισχιλίας ἀξιολόγους, κώμας δὲ παμπόλλας εἶναί φασιν.*

Protulit igitur Aristobulus alios numeros ac Plutarchi auctor, qui Onesicritus non fuit; conferas enim huius fragmentum 11 cum Plutarchi numeris. Deinde adparet Plutarchum per vocabulum *φασὶν* verba alius cuiusdam auctoris addidisse priori narrationi, quae cum congruat cum Arrianea, debetur Aristobulo. Novo igitur exemplo docemur Plutarchi memorias non esse temere confundendas, sed potius diligentissime separandas; neque Aristobulum ex aliis auctoribus hausisse praepropere existimandum esse.

c. 19, 4—5 de Nicaea et Bucephala urbibus ab Alexandro conditis deque Bucephali morte; cf. Schoenium l. l. p. 29 sq.

Lib. VI c. 12—18, 1 de expeditione inde a Mallorum urbe usque ad Indi fluminis ostium facta; cf. Fraenkel. p. 281 sq.

Lib. VII. Quod in universum ad hunc librum adtinet, recte monuit Fraenkelius praeeunte tamen Schoenio nullo libro saepius laudari Aristobulum, deinde creberrime Arrianum consentire cum illius auctoris fragmentis a Strabone servatis; unde veri quam simillimum fit eum inde ab libri sexti fine magis sese adplicasse ad Aristobuli memoriam quam Ptolemaei. Cuius rei causa vix in obscuro manebit. Nam cum post Alexandri ex India reditum paene nullae expeditiones susceptae sint a rege, iure Schoenius p. 12 censuit adumbrasse breviter Ptolemaeum, quae Alexander inde a reditu usque ad mortem gessit. Itaque etiam hac de causa potius de Aristobulo auctore cogitabimus eique tribuemus ea de quibus nondum iudicium protulimus.

c. 1, 1 de Alexandro novas expeditiones cogitante.
c. 4, 1—3 (— *ἀπονοστήσεως*) de praefectorum iniuriis.
c. 6 de Epigonis Persisque nobilibus ab Alexandro in Macedonum exercitum receptis.

Digitized by Google

c. 8—12 de militibus Opi rebellantibus et in patriam missis deque Olympiadis et Antipatri rixa.
c. 23. Alexander Babylonem redit.
c. 28—30 de Alexandri ingenio moribusque; cf. p. 37.

Tertium est, ut eos locos enumerem, quos ex Strabonis hypomnematis sumptos esse inde evincitur, quod Arrianus rem relatam verbis quae sunt *λέγουσιν, λέγεται, εἰσὶ δὲ οἳ λέγουσιν, ὁ πᾶς λόγος κατέχει* similibus dubiam esse significavit; ampliorem autem quaestionem tum instituam, si operae pretium esse videbitur. Saepius enim aliquid fructus redundaturum esse ad inlustrandam rationem a Plutarcho in vita Alexandri conscribenda adhibitam sperare licet.

Lib. I c. 9, 10 = Plut. c. 11, 6 de Pindari domo Alexandri iussu servata.

c. 11, 1—2 = Plut c. 14 extr., de Aristandri vaticinio; cf. p. 61.
c. 11, 6—12, 1 (cf. Plut. c. 15, 3) de rebus ab Alexandro Troiae gestis.
c. 12, 10 et 16, 3 extr. de Arsitae consilio et morte.

Lib. II c. 3, 2—7 = Plut. c. 18. Agitur de nodo Gordio.

c. 7, 4—11 de Alexandro Tarsi morbo adfecto. Plutarchus (c. 19) maximam partem cum Arriano congruit, aliis rebus valde dissentit, denique multa profert, quae apud Arrianum desiderantur; videtur igitur complures narrationes in unam coegisse, cum Arrianus morbum et medelam fortasse secundum ipsum Aristobulum narret. Fere eadem, quae § 7 de Cydno flumine exponuntur, proferre Strabonem XIV p. 673 notatu videtur dignum esse.

c. 12, 3—8. Agitur de mulieribus Persicis captivis. Est autem Arriani narratio haud mediocris momenti. Primum enim verba facit de Leonnato ab Alexandro ad Darei uxorem consolandam misso atque sic incipit: *ἀλλὰ λέγουσί τινες τῶν τὰ Ἀλεξάνδρου γραψάντων;* invenit igitur hanc narrationem apud Strabonem. Qua finita disertim adnotat: *ταῦτα μὲν Πτολεμαῖος καὶ Ἀριστόβουλος λέγουσιν.* Iam cum alteram

Digitized by Google

totius narrationis partem (de Alexandro ipso Darei uxorem visitante) his verbis usus adserat: *λόγος δὲ ἔχει καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον τῇ ὑστεραίᾳ παρελθεῖν εἴσω ξὺν Ἡφαιστίωνι μόνῳ τῶν ἑταίρων*, haec Ptolemaeum et Aristobulum non tradidisse consentaneum est. Hoc ideo moneo, quia Fraenkelius (p. 210. 267) omnia quae Arrianus memorat ad Aristobulum rettulit, quod minime credibile est.

In Plutarchi narratione (c. 21) unum est, in quo iure offendas; tacet omnino de Alexandro ipso mulieres visitante. Mirum enim videtur, quod hanc fabulam Plutarchus omisit, quippe quae prae ceteris idonea sit ad ingenium regis inlustrandum et laudandum *διὰ τὴν τε ἐς τὰς γυναῖκας κατοίκτισιν καὶ τὴν εἰς τὸν ἑταῖρον πίστιν καὶ τιμήν*, ut Arriani verbis utar. Neque vero Plutarchum eam non novisse neque in fonte suo repperisse inde licebit concludere. Immo eum consilio quodam perductum hanc omisisse credam. Proximo enim capite verba epistolae cuiusdam Alexandri laudat haec: *καὶ περὶ αὐτοῦ κατὰ λέξιν ἐν ταύτῃ τῇ ἐπιστολῇ γέγραφεν· 'ἐγὼ γὰρ οὐχ ὅτι ἑωρακὼς ἂν εὑρεθείην τὴν Δαρείου γυναῖκα ἢ βεβουλημένος ἰδεῖν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν λεγόντων περὶ τῆς εὐμορφίας αὐτῆς προσδεδεγμένος τὸν λόγον.'* Haec nimirum verba, quibus magis Alexander laudabatur quam narratione illa, eum commoverunt, ut illam prorsus silentio praeteriret. [1])

At Ptolemaeum et Aristobulum revera a Strabone usurpatos esse comprobatur mira quadam congruentia, quae cernitur inter Plutarchum et Arrianum:

Arr. § 5 *ὅτι τὴν θεράπειαν αὐταῖς ξυγχωρεῖ Ἀλέξανδρος τὴν βασιλικὴν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον καὶ καλεῖσθαι βασιλίσσας, ἐπεὶ οὐδὲ κατὰ ἔχθραν οἱ γενέσθαι τὸν πόλεμον πρὸς Δαρεῖον, ἀλλὰ ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς τῆς Ἀσίας διαπεπολεμῆσθαι ἐννόμως.*	Plut. *Δαρείῳ γὰρ ὑπὲρ ἡγεμονίας πολεμεῖν, ἐκείναις δὲ πάντα ὑπάρξειν, ὧν καὶ Δαρείου βασιλεύοντος ἠξιοῦντο.*

1) Falsum de hac re iudicium protulit Vogelius l. l. p. 8.

Digitized by Google

Porro autem consentit Plutarchus cum Curtio III 12, 13 de Persis sepeliendis:

Plut. *θάψαι γὰρ ὅσους ἐβούλοντο Περσῶν ἔδωκεν, ἐσθῆτι καὶ κόσμῳ χρησαμένοις ἐκ τῶν λαφύρων.*	Curt. matriqne Darei permitti (scil. iubet), quos vellet patrio more sepeliret.

In Diodori [1]) narratione (XVII 37 et 38) haec desunt; sed de alia quadam re consentit hic cum Plutarcho:

Plut. *θεραπείας τε καὶ τιμῆς, ἣν εἶχον, οὐδ' ὁτιοῦν ἀφεῖλε, συντάξεις δὲ καὶ μείζονας ἐχαρποῦντο τῶν προτέρων.*	Diod. 38, 1 *τὴν μὲν θεράπειαν αὐτῇ πᾶσαν τὴν δοθεῖσαν ὑπὸ Δαρείου παρέδωκεν, ἰδίαν δ' ἄλλην οὐκ ἐλάττονα τῆς προυπαρχούσης προσεδωρήσατο.*

Deinde loquitur Plutarchus de abstinentia Alexandri, de qua tacet Diodorus; eadem proferunt Curtius § 21 et 22 et Arrianus IV 19, ubi agitur de Roxane ab Alexandro in honestum matrimonium ducta. Fortasse haec ad opus conlectaneum redeunt, quia quae statim post exponuntur de eunucho illo cum Dareo conloquente ex eo hausta sunt.

Quibus expositis Plutarchum non unius scriptoris narrationem reddere adparet, sed ex diversis memoriis modo haec modo illa excerpsisse, quae in artificiosam telam commisceret. Haec autem omnia eum ex ipsis primariis fontibus conlegisse quisnam sincera mente contendat?

c. 25, 1—3 iterum Dareum litteras ad Alexandrum misisse Arrianus refert. § 2 sic loquitur: *Παρμενίωνα μὲν λέγουσιν Ἀλεξάνδρῳ εἰπεῖν*, unde Schaeferus l. l. p. 439. 444 atque Vogelius p. 10 recte concluserunt, Arrianum adiisse opus conlectaneum, quam sententiam confirmat consensus, qui extat inter Arrianum et Plutarchi c. 29. Ab utroque Diodorus c. 54 et Curtius IV 5 singulis rebus dissentiunt. Ad quemnam auctorem Arriani memoria redeat, enucleari non poterit.

---

1) Conferas Diodori et Curtii narrationes: videbis priorem fabulae partem ad alium quendam, alteram ad eundem fontem redire.

Lib. III c. 2, 1—2 de Aristandri vaticinio; cf. p. 23 sq.

c. 3, 6 comparat Arrianus *τὸν πλείονα λόγον* cum Aristobuli et Ptolemaei memoria.

c. 10 consilium Parmenionis (*Παρμενίων δὲ λέγουσιν ὅτι κτλ.*) = Plut. c. 31; cf. Vogel. l. l. p. 10.

c. 27, 1—3 narratur Amyntan eiusque fratres proditionis accusatos causa iudicata absolutos esse (*λέγουσι δὲ καὶ Ἀμύνταν κτλ.*).

Lib. IV c. 8—14 de Cliti et Callisthenis caede; cf. Schoenium p. 39 sqq.; Vogel. p. 12 sq.

c. 19, 6—20, 3 de eunucho cum Dareo conloquente.

c. 28, 1 dicitur de Aorno rupe; ait Arrianus *καὶ λόγος ὑπὲρ αὐτῆς κατέχει οὐδὲ Ἡρακλεῖ τῷ Διὸς ἅλωτὸν γενέσθαι τὴν πέτραν;* tum § 2 Arrianus ipse disserit de fabulosa Herculis persona, § 3 verbo *λέγουσιν* addito natura et magnitudo rupis illius describitur. Strabonem hanc fabulam non ignorasse intellegimus ex libro XV p. 688.

Lib. V c. 1—2 agit Arrianus de Nysaeis: c. 1, 1 *ἐν δὲ τῇ χώρᾳ ταύτῃ — καὶ Νῦσαν πόλιν οἰκεῖσθαι λέγουσι;* c. 2, 3 *τὸν δὲ Ἄκουφιν ταῦτα ἀκούσαντα ἐπιμειδιᾶσθαι λέγεται τῷ λόγῳ;* § 7 *οἱ δὲ καὶ τάδε ἀνέγραψαν.* De conloquio inter Alexandrum et Acuphin instituto consentit Plutarchus c. 58, quem redire ad Onesicritum Fraenkelius p. 139 et Vogelius p. 14 censuerunt; neque vero haec coniectura argumento sat probabili confirmatur. Deinde Fraenkelius contendit Arrianum hic ex Aristobulo hausisse; id quidem concedendum erit hunc de Nysaeis egisse, quia Arrianus ex eo haec profert VI 2, 3 *τοὺς ἱππέας δὲ τοὺς Νυσαίους ἀποπέμπει ἐς τὴν Νῦσαν.* Sed quaenam ad eum redeant, erui non poterit. Adiungit vero Arrianus narrationi de Nysaeis c. 3, 1—4 Eratosthenis iudicium de fabulis similibus confictis a Macedonibus; idem fecisse Strabonem ex libro XV p. 688 licet concludere.

c. 14, 4 *οἱ δὲ μάχην λέγουσιν κτλ.* Comparantur inter se vulgaris memoria de pugna Alexandri cum Pori filio commissa et ea quae Aristobulus et Ptolemaeus rettulerant.

c. 19, 5—6 *οἱ δὲ λέγουσιν.* Adferuntur quaedam de

Digitized by Google

nomine Bucephali explicando. Strabonem de hac re egisse videmus ex l. XV p. 698 § 29. Etiam fabula illa de Bucephalo ab Uxiis capto quae § 6 memoratur fonti tertio debetur; cf. enim Plut. c. 44.

Lib. VI c. 11, 1 (*τὸ δὲ βέλος ἐξελκῦσαι*)—8; cf. p. 25 sq.

c. 24, 1—26, 5 de expeditione Gedrosiana; cf. p. 20 sq.

c. 28, 1—2 de bacchico itinere per Carmaniam facto.

Lib. VII c. 1, 2—3 *οἱ δὲ καὶ τάδε ἀνέγραψαν*. Simillime apud Curtium X 1, 17 expeditiones, quas Alexander sibi proposuerat, enumerantur, quam ob rem utriusque scriptoris memoria ad eundem fontem redire videtur.

c. 1, 4—3, 6 de variis philosophis; cf. p. 28 sq.

c. 4, 3 *οὐ μὴν ἀλλὰ — λέγεται* = Curt. X 1, 39.

c. 11, 9 *εἶναι δὲ κατέχει λόγος τοὺς μετασχόντας* etc.

c. 12 extrem. extat lacuna in Arriani codicibus; tamen eum locutum esse de Hephaestione et Eumene inter se conciliatis elucet ex verbis paucis quae perniciem effugerunt c. 13 init.: *τούτῳ τῷ λόγῳ ὑπείξαντα Ἡφαιστίωνα συναλλαγῆναι Εὐμένει, οὐχ ἑκόντα ἑκόντι.* Id vero suspicionem movet, quod oratione obliqua quam dicunt utitur Arrianus, id quod saepius solet facere in eis quae ex opere conlectaneo sumpta sunt. Atque Strabonem in sequentibus adhibitum esse adparet ex his: *ἐν ταύτῃ τῇ ὁδῷ καὶ τὸ πεδίον λέγεται ἰδεῖν Ἀλέξανδρον τὸ ἀνειμένον ταῖς ἵπποις ταῖς βασιλικοῖς*, in quibus manifestum est verba *ἐν ταύτῃ τῇ ὁδῷ* ad ea spectare, quae antea de Hephaestione et Eumene Arrianus narraverat. Narrationem autem ipsam de equis proditam ex vulgari petitam esse memoria, docet Diodorus, qui XVII 110, 6 eandem praebet. Etiam aliud accedit: in c. 14, quod item debetur fonti tertio, haec leguntur: *πρῶτον δὲ Εὐμένη ἄρξαι τοῦ σοφίσματος, ὅντινα ὀλίγῳ πρόσθεν ἔφαμεν ὅτι διηνέχθη πρὸς Ἡφαιστίωνα.* Illud *ἔφαμεν* verbum non premo, sed reliqua dilucide docent, dictum fuisse in opere conlectaneo de rixa Hephaestionis Eumenisque.

c. 13, 1 de equis Nysaeis. Tertium fontem adhibitum esse etiam inde evincitur, quod Herodotus laudatur.

Digitized by Google

c. 13, 2—6 de Amazonibus; cf. p. 32 sq.

c. 14 narratur Hephaestionis mors. Imprimis ex hoc capite, in quo diversissimas diversorum scriptorum memorias in unam congeriem conlectas invenimus, egregie indolem hypomnematum Strabonianorum perspicimus. De Plutarcho conferas Vogel. l. l. p. 16.

c. 15, 4—6 enumerantur complurium gentium legationes ad Alexandrum missae. Consentaneum est neque Ptolemaeum neque Aristobulum Bruttiorum Lucanorum Tyrrhenorum mentionem fecisse. Accedit, quod magnus extat consensus inter Arrianum et Diodorum c. 113, 2.

Arr. 4 *καὶ Κελτοὺς καὶ Ἴβηρας ὑπὲρ φιλίας δεησομένους. ὧν τά τε ὀνόματα καὶ τὰς σκευὰς τότε πρῶτον ὀφθῆναι πρὸς Ἑλλήνων τε καὶ Μακεδόνων.*	Diod. *Ἔτι δ' Ἰλλύριοι καὶ τῶν περὶ τὸν Ἀδρίαν οἰκούντων οἱ πλείους, τά τε Θράκια γένη καὶ τῶν πλησιοχώρων Γαλατῶν, ὧν τότε πρῶτον τὸ γένος ἐγνώσθη παρὰ τοῖς Ἕλλησιν.*

Inde efficio a Strabone de hac re adhibitum esse eum ad quem Diodorus redit auctorem. De Aristo et Asclepiade hoc loco laudatis iam diximus (p. 12. 15).

c. 17, 2 de Beli templi magnitudine: *οἱ μὲν λέγουσιν* — *οἱ δέ*; cf. p. 50.

c. 18, 6 *καὶ μὲν δὴ καὶ ὑπὲρ Καλάνου* — *τοιόσδε τις ἀναγέγραπται λόγος.*

c. 19, 1—2 rursus agitur de legationibus et nunc quidem de Graecis; etiam hic Arrianum pendere ex Strabone est in propatulo. Dicit enim: *ὑπὲρ ὅτων μὲν ἕκαστοι πρεσβευσόμενοι οὐκ ἀναγέγραπται*, deinde *ἀποπέμψαι ὀπίσω λέγεται*, denique *εἰκόνας τὰς χαλκᾶς οὕτω λέγεται ἀπενεχθῆναι.* Tum explicat credere se legatos illos missos esse, ut Alexandrum coronarent eique victorias cum alias tum maxime Indicas gratularentur, quod ideo contendit, quia videbat postea alios quoque Graecos ob eandem causam legatos misisse; cf. c. 23, 2. Oblitus vero est Arrianus se iam priore quodam

Digitized by Google

loco (III 16, 8) narrasse statuas Harmodii et Aristogitonis a Xerxe ereptas regem Athenas remisisse.

c. 22, 2—5 de diademate Alexandri; cf. p. 16 sq.

c. 24, 2 *οἱ δὲ καὶ τῶν ἐν φυλακῇ ἀδέσμῳ ὄντα λέγουσιν.*

c. 24, 4 (*δοῦναι δὲ λέγεται — τὸν κῶμον*).

c. 25—26, 3 deprehendimus fragmentum *τῶν βασιλειῶν ἐφημερίδων*, quo narrantur Alexandri aegroti dies extremi; eundem fontem Plutarchus de regis morbo et morte adhibuit c. 76, qui laudat diaria regia etiam c. 23, 2. Schoenius quidem contenderat et Arriani et Plutarchi fragmentum ab eodem die capere initium, quam sententiam falsam esse ostendit Plewius in annal. philol. vol. 103 (1871) p. 533; monuit enim Plutarchi diem primum respondere Arriani diei alteri. Facile vero demonstrari potest, quomodo factum sit, ut Plutarchus primum diem omitteret. Etenim si Plutarchum et Arrianum diligentius contuleris, ea quae Arrianus sub die primo profert iam antea c. 75 a Plutarcho commemorata esse videbis.

Arr. c. 24, 4 *ἀπὸ δὲ τοῦ πότου αὐτὸν μὲν ἀπαλλάττεσθαι ἐθέλειν ἐπὶ κοιτῶνα εἰσὶν οἳ ἀνέγραψαν· Μήδιον δὲ αὐτῷ ἐντυχόντα — δεηθῆναι κωμάσαι παρὰ οἱ· γενέσθαι γὰρ ἂν ἡδὺν τὸν κῶμον.*

c. 25, 1 *καὶ αἱ βασίλειοι ἐφημερίδες ὧδε ἔχουσι· πίνειν παρὰ Μηδίῳ αὐτὸν κωμάσαντα· ἔπειτα ἐξαναστάντα καὶ λουσάμενον καθεύδειν τε καὶ αὖθις δειπνεῖν παρὰ Μηδίῳ καὶ αὖθις πίνειν πόρρω τῶν νυκτῶν. ἀπαλλαχθέντα δὲ τοῦ πότου λούσασθαι· καὶ λουσάμενον ὀλίγον τι ἐμφαγεῖν καὶ καθεύδειν αὐτοῦ, ὅτι ἤδη ἐπύρεσσεν.*

Plut. c. 75 *ἑστιάσας δὲ λαμπρῶς τοὺς περὶ Νέαρχον, εἶτα λουσάμενος, ὥσπερ εἰώθει μέλλων καθεύδειν, Μηδίου δεηθέντος ᾤχετο κωμασόμενος πρὸς αὐτόν· κἀκεῖ πιὼν ὅλην τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν ἤρξατο πυρέττειν.*

c. 76 *ὀγδόῃ ἐπὶ δεκάτῃ Δαισίου μηνὸς ἐκάθευδεν ἐν τῷ λουτρῶνι διὰ τὸ πυρέξαι.*

Quia igitur iam capite praecedenti Plutarchus narraverat Alexandrum ad Medii epulas sese contulisse, noluit hoc repe-

Digitized by Google

tere c. 76; vel coniunxit quae coniungi poterant. Hinc videmus, quomodo fontem suum Plutarchus tractaverit.

C. 26 extr. narrat Arrianus (*οἱ δὲ καὶ τάδε ἀνέγραψαν*) responsum illud clarissimum Alexandri moribundi, quod quaerentibus cuinam relinqueret imperium dedisse dicitur. Consensus Arriani et Diodori (c. 117, 4; cf. Schoen. p. 53) docet utrumque de hac re ad eundem redire auctorem.

c. 27, 1—2 memorantur fabulae de Alexandro veneno interfecto; cf. Plut. c. 77. Notatu hic dignum est, quod Arrianus dicit *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα οἶδα ἀναγεγραμμένα.*

c. 27, 3 narrasse quosdam Alexandrum in Euphratem praecipitare se voluisse, ut homines se ex deorum genere ortum ad deos redisse crederent; adserit absurdam hanc fabulam his verbis usus, quae sobrium eius indicium produnt: *ἤδη τέ τις οὐκ ἠσχύνθη ἀναγράψαι.*

Digitized by

INDEX RERUM

Alexander cum Caesare comparatur 49.

Amazones, variae de eis memoriae 32 sq.

ἀποχροτεῖν ab Arriano male intellectum 51 sq.

Appianus num Hieronymum adhibuerit 17; Strabonis utitur hypomnematis historicis 17 sq. 49.

Argos, de variis huius nominis urbibus 19.

Aristobulus quo consilio opus conscripserit 5; in historia Indica adhibitus 39 sq.; enumerationes instituit 42; virorum quos nominat genus et patriam accuratius enarrat 42; eius memoriis notas fontis tertii addit Arrianus 48 sq.; num alios scriptores exscripserit 43. 50; prodigia narrat 59.

Aristus Salaminius quando vixerit 12 sq.; testimonium eius Arrianus petiit e Strabonis opere 15; agit de Cyri sepulcro 16. 29.

Arrianus, cur Ptolemaeum et Aristobulum auctores elegerit 5; Ptolemaei de rebus bellicis memorias praefert Aristobuli 5. 6; maxime Ptolemaeum sequitur 6; cur Strabonem nusquam nominaverit 36; auctorum sententiam quasi pro sua vendit 52.

Asclepiades Alexandri rerum sciptor 12 sq.

Calanus, variae de eius morte fabulae 28 sq.

Callisthenes agit de itinere ad Hammonis templum facto 24; quousque opus suum continuaverit 59 sq.

Chares Calani mortem refert 29; describit nuptias Susae celebratas 31.

Clitarchus a Curtio Rufo laudatur 27; a Strabone de Amazonibus 33.

Curtius Rufus Ptolemaeo utitur 6 sq.

δέ particula utuntur in laudandis auctoribus Arrianus et Strabo, quamquam ea quae praecedunt ex eodem fonte petunt 46 sq.

ephemerides regiae 81.

Eratosthenes num de pugna apud Gaugamelam commissa egerit 26; ab Arriano in hist. Ind. adhibitus 43; refellit fabulas confictas a Macedonibus 78.

Hieronymus Cardianus 17 sq.

Ἰλιὰς ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος 23.

Megasthenes potiore quam Timagenes fide dignus 27; de Calano agit 28; Arriani in hist. Ind. auctor 43.

Nearchus 42 sq.; qua de causa Alexander per Gedrosiam redierit exponit 20 sq.; de Calano laudatur ab Arriano 31.

Nicolaus Damascenus 32.

Onesicritus 78; agit de Calani morte 30 adn. 1; describit Cyri sepulcrum 29; παραδόξων κυβερνήτης 41 adn. 1; num Arrianus eum in manibus habuerit, ibid.

Plutarchus οὐχ ἱστορίαν ἀλλὰ βίον scripsit 10; quo consilio auctores laudaverit 11; qua ratione Alexandri vitam composuerit 25. 31. 74. 77; utitur in Caes. vit. Strabonis hypomnematis historicis 49.

Polemo 13.

Polycletus Alexandri rerum scriptor 33; cum Polycrito commutatus, ibid.

Digitized by Google

Potamo Lesbius quando fuerit 35.
Ptolemaeus praecipue res bellicas tractat 4; rerum geographicarum minus curiosus 5. 54; commemorat Acesinis latitudinem, ibid.; num narraverit prodigia 59; Aristandri vaticinia memorat 61 sq.; Hammonis sacerdotes adulatur 59. 69; Alexandri corpus in Aegyptum transportat 68; omen quoddam Seleuco interpretatur 69; utitur verbis *καὶ ξυνέβη οὕτως ὅπως εἴκαζεν* 72; versum quendam mentione quasi indignum omittit 53.
Sardanapali monumentum 48. 51.
Seleucus, eius aetas 17; de urbibus ab eo conditis 18 sq.
Seneca Sotionis discipulus 35.
Sotio philosophus a Plutarcho laudatus 35.
Strabo Alexandri rerum historiam scripsit 14 sq.; de libris geographicis hypomnematorum historicorum fragmenta continentibus, ibid.; qua ratione usus opera sua historica composuerit 15. 36; hypomnemata historica post Alexandri historiam conscripsit 19. 49; unde hypomnemata historica initium ceperint 19; ab Appiano adhibitus 18. 19. 49; Argonautarum expeditionem saepius tangit 19; lubenter laudat Homerum 24.
Timagenes a Strabone refellitur 27; a Curtio laudatur, ibid.
ὑπομνήματα 36.

INDEX LOCORUM ARRIANEORUM

	pagina
praef.	6
I 1, 8	66
1—6	55
2, 7	36
7—8; 9, 9—10	55
8, 1	37
9, 10	75
11, 1—2	61
11, 3—6	55
11, 6—12, 1	75
12, 6—16, 7	71
12, 10	75
16, 3	75
16, 4	56. 71
17—23	71
24	69
25	67
26	71
27—28	72
29	69
29, 1	73
5	73
II 1—2	70
3, 2—7	75
4	70
5, 2—4	48. 51 sq.
5—9	70
6—12, 2	70
7, 4—11	75
11, 8	37
12, 3—8	75
13	70
17—24	64
18, 1	64
24, 6	52
25, 1—3	77
26—27	67
III 1	72
2, 1—2	23 sq.
3—7	70

Digitized by Google

	pagina
III 3, 3	37
5—6	45. 59. 78
4	44
5	8. 44 sq.
6	70
7, 1—5	72
7, 6 – 15, 7	65
10	78
11, 3—7	38
13, 6	66
15, 1 – 2	66
16	70
17, 5	46
18	72
19—22	72
23	8 sq.
24	72
25	70
26, 1	47
27, 1—3	78
4—5	73
28 – 30	53 sq.
28, 5	38
29, 2	38
30, 5	45
IV 1—3	73
3, 5	45
4	61 sq.
4, 9	66
5	45. 73
6—7	6. 38. 45. 54 sq.
8 – 14	78
14, 3	12
15, 1—6	73
8	63
16—17	73
18, 1—3	71
18, 4—22, 2	73
19	77
19, 6—20, 3	78
22, 3—30, 7	56
25, 4	36
28, 1	78
V 1—2	78
3, 5—6	62. 73
5, 1	43
8, 4—17, 3	56
12—18, 1	74
14	6
14, 4	78
18, 4—19, 3	73
19, 4—5	74
5—6	78
20, 1—29, 5	56
20, 2	45
21, 8	5
28, 4	37. 62
VI 1—5	38 sq. 50
1, 2	38
2, 3	41 adn. 1
4	6. 38
4, 2	38
5, 2	43
6—11, 1	56 sq.
10, 1	37
11, 6	52
19, 5	52
22, 4	37
27	44
28, 1—3	44. 79
28, 3—30, 3	57
28, 4	42
29	37
VII 1, 1	74
2—3	79
1, 5—3, 6	28 sq.
4, 1 – 3	74
3	79
4	45
5	74
7	57
8—12	75
11	25 sq.
11, 9	79

Digitized by Google

	pagina
VII 12	79
13, 1	79
2—5	32 sq.
14	80
15, 1—3	73
4—6	80
5	12
16—17	48 sq.
18	37
18, 6	80
19, 1—2	80
19, 3—22, 1	58
19, 6	52
20, 1—2	48
5	37
21—23	22
22	16 sq. 51
23	75
24	58
24—26	22. 44
24, 1	37
1—3	20
2	81
4	81
25—26, 3	61. 82
26, 1—3	22
27	82
28, 1	37
28—30	37

TABULA ARGUMENTI

	pagina
Praefatio	3—4
I De singulis Arriani fontibus	4—36
De Ptolemaeo et Aristobulo	4—6
De ratione inter Arrianum et Curtium intercedente	6—9
De Strabone communi Arriani et Plutarchi auctore	10—36
II De ratione qua usus Arrianus auctores adhibuit	36—55
Quomodo et quando auctores laudaverit	36—50
Qua diligentia auctores exscripserit	50—52
Quomodo eorum memorias composuerit	53—55
III De Anabasi inter Ptolemaeum Aristobulum Strabonem distribuenda	55—82
Quaenam partes Ptolemaeo et Aristobulo adtribuantur certis prolatis argumentis	55—58
Quaenam partes maiore cum probabilitate deriventur	
A ex Ptolemaeo	58—73
1. de Aristandri vaticiniis	58—60
2. loci Arrianei cum Curtio conspirantes	69—71
3. loci rerum bellicarum descriptionem continentes	71—73
B ex Aristobulo	73—75
Loci ex Strabonis hypomnematis sumpti	75—82
Index rerum	83—84
Index locorum Arrianeorum	84—86

Digitized by Google

DE DIOSCURIDIS

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΑΡ ΟΜΗΡΩΙ ΝΟΜΩΝ

LIBELLO

SCRIPSIT

ROBERTUS WEBER.

Digitized by Google

FRAGMENTA

Praemittere commentationi aptum visum est ipsas collectas et dispositas Dioscuridei *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* libelli reliquias, ut ad fragmentorum hos numeros versusque remittere liceat eos qui dissertationem nostram legent.

I.

Suidas s. v. *Ὅμηρος* (⟨ ⟩) et Athenaei epitoma I 8° *⟨Ὅτι Διοσκουρίδης ἐν τοῖς παρ' Ὁμήρῳ νόμοις φησὶν ὡς ὁ ποιητὴς⟩ ὁρῶν τὴν σωφροσύνην οἰκειοτάτην ἀρετὴν οὖσαν τοῖς νέοις καὶ πρώτην, ἔτι δὲ ἁρμόττουσαν καὶ πάντων τῶν καλῶν χορηγὸν οὖσαν, βουλόμενος ἐμφῦσαι πάλιν αὐτὴν ἀπ' ἀρχῆς καὶ ἐφεξῆς, ἵνα τὴν σχολὴν καὶ τὸν ζῆλον ἐν τοῖς καλοῖς ἔργοις ἀναλίσκωσι καὶ ὦσιν εὐεργετικοὶ καὶ κοινωνικοὶ πρὸς ἀλλήλους, εὐτελῆ κατεσκεύασε πᾶσι τὸν βίον καὶ αὐτάρκη, λογιζόμενος τὰς ἐπιθυμίας καὶ τὰς ἡδονὰς ἰσχυροτάτας γίνεσθαι ⟨καὶ πρώτας ἔτι τε καὶ ἐμφύτους τὰς⟩ περὶ ἐδωδὴν καὶ πόσιν, τοὺς δὲ διαμεμενηκότας ἐν εὐτελείᾳ εὐτάκτους καὶ περὶ τὸν ἄλλον βίον γίνεσθαι ἐγκρατεῖς. ἁπλῆν οὖν ἀποδέδωκε τὴν δίαιταν πᾶσι καὶ τὴν αὐτὴν ὁμοίως βασιλεῦσιν ἰδιώταις, νέοις πρεσβύταις, ⟨λέγων·*

παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάννυσε τράπεζαν
σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα (η 174).
δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας (α 141),

12 sqq. [Plut.] Vit. Hom. c. 205 *φανερὸς δέ ἐστι καὶ τὴν λιτὴν δίαιταν ὑγιεινὴν ὑπολαμβάνων. πεποίηκε γὰρ τοὺς*

1 sqq. Optime Kaibelius textum restituit.

Digitized by Google

καὶ τούτων ὀπτῶν καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βοείων· παρὰ δὲ ταῦτα οὔτε ἐν ἑορταῖς οὔτ' ἐν γάμοις οὔτ' ἐν ἄλλῃ συνόδῳ παρατίθησιν οὐδέν, καίτοι πολλάκις τὸν Ἀγαμέμνονα ποιήσας δειπνίζοντα τοὺς ἀρίστους〉· καὶ οὐ θρῖα καὶ κάνδυλον καὶ ἅμητας μελίπηκτά τε τοῖς βασιλεῦσιν ἐξαίρετα παρατίθησιν Ὅμηρος, ἀλλ' ἀφ' ὧν εὖ ἕξειν ἔμελλον τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν. Αἴαντα οὖν μετὰ τὴν μονομαχίαν νώτοισι βοῶν γέραιρεν ὁ Ἀγαμέμνων (H 321)· καὶ Νέστορι δ' ἤδη ὄντι γηραιῷ (γ 33) καὶ Φοίνικι (I 215) κρέας ὀπτὸν δίδωσι, ἀφιστῶν ἡμᾶς τῶν ἀτάκτων ἐπιθυμιῶν. καὶ Ἀλκίνους δὲ ὁ τὸν τρυφερὸν ἠρημένος βίον 〈τοὺς τρυφερωτάτους ἑστιῶν Φαίακας καὶ τὸν Ὀδυσσέα ξενίζων, ἐπιδεικνύμενος αὐτῷ τὴν τοῦ κήπου κατασκευὴν καὶ τῆς οἰκίας καὶ τὸν αὑτοῦ βίον, τοιαύτας παρατίθεται τραπέζας〉. καὶ Μενέλαος δὲ τοὺς τῶν παίδων γάμους ποιούμενος 〈καὶ τοῦ Τηλεμάχου πρὸς αὐτὸν παραγενομένου〉

νῶτα βοὸς παρέθηκεν

〈ὄπτ' ἐν χερσὶν ἑλών〉, τά ῥά οἱ γέρα πάρθεσαν αὐτῷ (δ 64).

καὶ Νέστωρ δὲ βόας θύει Ποσειδῶνι παρὰ τῇ θαλάσσῃ διὰ τῶν φιλτάτων καὶ οἰκειοτάτων τέκνων, βασιλεὺς ὢν καὶ πολλοὺς ἔχων ὑπηκόους, 〈τάδε παρακελευόμενος·

ἀλλ' ἄγ', ὃ μὲν πεδίονδ' ἐπὶ βοῦν ἴτω (γ 421)

ἥρωας ὀπτοῖς κρέασι χρωμένους, περιελὼν τὴν περὶ τὰ βρώματα περιεργίαν.

1 sqq. Dio Chrysost. II 87 R εὐωχεῖ γε μὴν ἀπὸ κρεῶν τοὺς ἥρωας 〈ὀπτῶν〉, καὶ τούτων βοείων, δῆλον ὅτι ἰσχύος, οὐχ ἡδονῆς ἕνεκεν. τὸν γοῦν Ἀγαμέμνονα τὸν συμπάντων βασιλέα καὶ πλουσιώτατον βοῦν ἀεί φησι θύειν καὶ ἐπὶ τοῦτον καλεῖν τοὺς ἀρίστους. καὶ τὸν Αἴαντα μετὰ τὴν νίκην φιλοφρονεῖται τοῖς νώτοις τοῦ βοός.

Avctores 1 sqq. Plato de re publ. 404c.

18 sqq. Corpus peripat.: Porph. quaest. ad γ 411. 412; Athen. XIV 660bc.

---

20 cf. Kaibel. Herm. XXII 331.

25 ὀπτῶν fortasse inserendum censuimus.

Digitized by Google

καὶ τὰ ἑξῆς⟩· ὁσιωτέρα γὰρ αὕτη ἡ θυσία θεοῖς καὶ προσφιλεστέρα ἡ διὰ τῶν οἰκείων καὶ εὐνουστάτων ἀνδρῶν.

Athen. I 9c *Πρίαμος δὲ παρὰ τῷ ποιητῇ καὶ ὀνειδίζει τοῖς υἱοῖς ἀναλίσκουσι τὰ μὴ νενομισμένα·*

ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες (Ω 262).

II.

Athen. I 9b *καὶ τοὺς μνηστῆρας ὑβριστὰς ὄντας καὶ πρὸς ἡδονὰς ἀνειμένους οὔτε ἰχθῦς ἐσθίοντας ποιεῖ οὔτε ὄρνιθας οὔτε μελίπηκτα, περιελὼν παντὶ σθένει τὰς μαγειρικὰς μαγγανείας, . . . ὧν ἡ κατασκευὴ περιεργοτέρα.*

Athen. I 9d *Ἑλλήσποντον δὲ Ὅμηρος ἰχθυόεντα προσαγορεύων (I 360) καὶ τοὺς Φαίακας πλωτικωτάτους ποιῶν καὶ ἐν τῇ Ἰθάκῃ εἰδὼς λιμένας πλείους καὶ νήσους προσεχεῖς πολλάς, ἐν αἷς ἰχθύων ἐγίνετο πλῆθος καὶ ἀγρίων ὀρνίθων, καὶ εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καταριθμῶν τὸ τὴν θάλασσαν ἰχθῦς παρέχειν, ὅμως τούτων οὐδὲν οὐδένα ποιεῖ προσφερόμενον.*

---

6 sqq. Dio Chrysost. II 87 R *ἰχθύων δὲ οὐδέποτε γευομένους αὐτοὺς ἐποίησε καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττης στρατοπεδεύοντας, καίτοι τὸν Ἑλλήσποντον, ὥπερ ἐστίν, ἰχθυόεντα ἑκάστοτε καλῶν. πάνυ γὰρ ὀρθῶς αὐτὸ τοῦτο ἀπεμνημόνευσεν ὁ Πλάτων. ἀλλ' οὐδὲ τοὺς μνηστῆρας ἰχθύσιν ἑστιᾷ, σφόδρα ἀσελγεῖς καὶ τρυφεροὺς ὄντας, ἐν Ἰθάκῃ καὶ ταῦτα ἑστιωμένους.*

Plut. quaest. conviv. VIII 8 III 13 *ὅθεν Ὅμηρος οὐ μόνον τοὺς Ἕλληνας ἰχθύων ἀπεχομένους πεποίηκε περὶ τὸν Ἑλλήσποντον στρατοπεδεύοντας, ἀλλ' οὐδὲ ἁβροβίοις Φαίαξιν οὐδὲ τοῖς ἀσώτοις μνηστῆρσιν, ἀμφοτέροις οὖσι νησιώταις, θαλάττιον παρατέθεικεν ὄψον.*

Plut. quaest. conviv. IV 4 III 4 *οἱ γοῦν ἥρωες εὐτελοῦς καὶ λιτῆς ἐθάδες ὥσπερ ἀσκηταὶ διαίτης ὄντες, καὶ τῆς τροφῆς πᾶσαν ἡδονὴν ἐπίθετον καὶ περίεργον ἀφελόντες, ὡς μηδ' ἰχθύσι χρῆσθαι παρὰ τὸν Ἑλλήσποντον στρατοπεδεύοντες, οὐχ ὑπέμειναν κτλ.*

Avctores 6 sqq. Plato de re publ. III 404b c.

Digitized by Google

III.

Athen. I 9[d] *καὶ μὴν οὐδ ὀπώραν παρατίθησί τινι καίπερ οὖσαν πολλὴν καὶ ἥδιστα ταύτης μνημονεύων καὶ πάντα χρόνον παρασκευάζων ἀθάνατον· 'ὄγχνη γάρ, φησίν, ἐπ' ὄγχνῃ'* (η 120) *καὶ τὰ ἑξῆς.*

IV.

Athen. I 9[e] *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ στεφανουμένους οὐδὲ μυρουμένους ποιεῖ ὥσπερ οὐδὲ θυμιῶντας, ἀλλὰ πάντων τούτων ἀπολυομένους τοὺς ἀνθρώπους εἰς ἐλευθερίαν καὶ αὐτάρκειαν ἐξαιρεῖται τοὺς πρώτους. καὶ θεοῖς δὲ ἁπλῆν ἀποδίδωσι δίαιταν νέκταρ καὶ ἀμβροσίαν. καὶ τοὺς ἀνθρώπους δὲ ποιεῖ τιμῶντας αὐτοὺς ἀπὸ τῆς διαίτης, ἀφελὼν λιβανωτὸν καὶ σμύρναν καὶ στεφάνους καὶ τὴν περὶ ταῦτα τρυφήν.*

V.

Athen. I 9[f] *καὶ τῆς ἁπλῆς δὲ ταύτης διαίτης οὐκ ἀπλήστως ἀπολαύοντας παρίστησιν, ἀλλ' ὡς οἱ κράτιστοι τῶν ἰατρῶν ἀφαιρεῖ τὰς πλησμονάς,*

αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἔντο (α 150)·

καὶ τὴν ἐπιθυμίαν πληρώσαντες οἳ μὲν ἐξώρμων ἐπὶ μελέτην ἀθλητικὴν δίσκοισι τερπόμενοι καὶ αἰγανέαις (δ 626), *τῇ παιδιᾷ τὸ πρὸς σπουδὴν ἐκμελετῶντες· οἳ δὲ κιθαρῳδῶν ἠκροῶντο τὰς ἡρωικὰς πράξεις ἐν μέλει καὶ ῥυθμῷ ποιούντων.*

Iulian. Misop. 452, 5 H. *τὸ γὰρ καὶ ἰχθύων καὶ ὀρνιθίων λόγον ποιεῖσθαι πέρα τρυφῆς εἶναι καὶ ἧς οὐδὲ τοῖς ἐν Ἰθάκῃ μνηστῆρσι μετῆν ἀσελγείας.*

16 sqq. [Plut.] l. l. c. 207 *ὅπως δὲ καὶ γυμνασίοις χρῆσθαι παραγγέλλει, φανερὸν ἐκ πολλῶν. ἀεὶ γὰρ πονοῦντας ποιεῖ, τοὺς μὲν ἐν τοῖς προσήκουσιν ἔργοις, τοὺς δὲ δι' ἐπιτηδευμάτων. ὅποτε καὶ τοὺς μάλιστα τῇ ἡδυπαθείᾳ κεχρη-*

Avctores 5 sqq. Aristarchus ad *N* 736.

---

8 fort. τοὺς πρώτους (ἄους) var. lect. v. τοὺς ἀνθρώπους (ἄνους); itaque τοὺς πρώτους delendum? Wachsmuthius.

Digitized by Google

Athen. I 24ᵇ *καὶ δίσκοις δὲ καὶ ἀκοντίοις μετά τινος συμμετρίας ἐχρῶντο·*

δίσκοισιν τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες (δ 626)·
τὸ γὰρ τερπνὸν τὴν κακοπάθειαν κουφίζει.

VI.

Athen. I 24ᵉ *καὶ ἐπὶ κυνηγέσια δὲ ἐξίασιν οἱ νέοι πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων καὶ ἐπὶ θήρας παντοίας, ἀφ' ὧν ῥωμαλεώτεροι καὶ ὑγιεινότεροι διετέλουν, [ὡς] ὅτε 'πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύνουσι καὶ ἀντίον ἱστάμενοι ἀκοντίζουσιν'* (*M* 43).

VII.

Athen. I 24ᵉ *ἴσασι δὲ καὶ λουτρὰ ἄκη πόνων παντοῖα, κόπον μὲν θαλάττῃ λύοντες, ἣ μάλιστα τοῖς νεύροις ἐστὶ πρόσφορος, ἀναχαλῶντες δὲ ταῖς ἐμβάσεσι τὰς τῶν μυῶν συντάσεις, εἶτ' ἐπαλείφοντες λίπα πρὸς τὸ μὴ ξηρανθέντος τοῦ ὕδατος ἀπεσκληρυμμένα γίνεσθαι τὰ σώματα. οἱ γοῦν ἀπὸ τῆς σκοπιῆς ἐπανελθόντες 'ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ κνήμας ἠδὲ λόφον ἀμφί τε μηρούς'* (*K* 572. 73.), *καὶ οὕτως ἀναψύξαντες*

ἕς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐυξέστας λουσάντο.
τὼ δὲ λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
δείπνῳ ἐφιζανέτην. (χ 576 sqq.)

μένους Φαίακας καὶ τοὺς ἀσώτους μνηστῆρας γυμναζομένους εἰσάγει. καὶ πόνους μὲν τοὺς αὐτάρκεις αἰτίους ὑγιείας ὄντας νομίζει.

10 sqq. [Plut.] l. l. c. 209 *καὶ ὅπου δὲ λουτρὰ καὶ χρίσματα, ὡς ἐπὶ τοῦ Διομήδους καὶ Ὀδυσσέως ἐκ τῆς νυκτηγερσίας ἀνακομισθέντων* (*K* 572 sqq.). *καὶ γὰρ οἵαν ὠφέλειαν ἔχει τὰ λουτρὰ διὰ τούτων μάλιστα δηλοῖ*

θυμῆρες χεράσασα κατὰ κρατός τε καὶ ὤμων (χ 362).

---

7 ὡς del. Wilamowitzius.
18 sqq. versus restituimus.

Digitized by Google

ἔστι δὲ καὶ τρόπος ἕτερος καμάτων λύσεως ἐκ τῶν κατὰ κεφαλῆς καταιονήσεων·

θυμῆρες κεράσασα κατὰ κρατός τε καὶ ὤμων (κ 362).

VIII.

Dio Chrysost. II 87 R *ἔοικέ γε μὴν καὶ τὰ περὶ κοίτην καὶ τὴν καθ' ἡμέραν δίαιταν ἱκανὸς εἶναι παιδεύειν Ὅμηρος. . . . . τὸν γοῦν Διομήδην πάνυ στερεῶς κατέκλινεν ἐπὶ βύρσης ἀγραύλου βοός, (κύκλῳ περιστήσας τὰ δόρατα ὀρθὰ ἐπὶ σαυρωτῆρος, οὐ κόσμου χάριν, ἀλλ' ἕτοιμα λαβεῖν).*

IX.

Athen. I 18ª *ἐς τὸ πρέπον δὲ Ὅμηρος ἀφορῶν τοὺς ἥρωας οὐ παρήγαγεν ἄλλο τι δαινυμένους ἢ κρέα καὶ ταῦτα ἑαυτοῖς σκευάζοντας. οὐ γὰρ ἔχει γέλωτα οὐδ' αἰσχύνην ὀψαρτύοντας αὐτοὺς καὶ ἕψοντας ὁρᾶν. ἐπετήδευον γὰρ τὴν αὐτοδιακονίαν καὶ ἐκαλλωπίζοντο, φησὶ Χρύσιππος, τῇ ἐν τούτοις εὐστροφίᾳ. Ὀδυσσεὺς γοῦν 'δαιτρεῦσαί τε' καὶ 'πῦρ νηῆσαι' οἷος οὐκ ἄλλος δεξιὸς εἶναί φησι (ο 322). καὶ ἐν Λιταῖς δὲ Πάτροκλος καὶ Ἀχιλλεὺς πάντα εὐτρεπίζει (I 202.*

φανερὸν οὖν, ὅτι ἐντεῦθεν ἔχοντα τὴν ἀρχὴν τὰ νεῦρα, εἰκότως ἀπ' αὐτῶν καὶ τὴν ἴασιν τοῦ κόπου λαμβάνει.

12 sqq. Aelianus var. hist. VII 5 *καὶ Λαέρτης δὲ αὐτουργῶν ὑπὸ τοῦ παιδὸς πεφώραται καὶ φυτὸν ξύων, καίτοι γηράσκων βαθύτατα. ὁμολογεῖ δὲ καὶ Ὀδυσσεὺς αὐτὸς πολλὰ εἰδέναι καὶ τεχνίτης αὐτῶν εἶναι*

δρηστοσύνῃ οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειεν βροτὸς ἄλλος
πῦρ τ' εὖ νηῆσαι, διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι (ο 321 sq.).

καὶ τὴν σχεδίαν δὲ οὐ δεηθεὶς ναυπηγῶν, ἀλλὰ δι' ἑαυτοῦ τὴν ταχίστην εἰργάσατο. καὶ Ἀχιλλεὺς δέ, τρίτος ὢν ἀπὸ τοῦ

Auctores 4 sqq. Corp. perip. (?): scholia Ven. A ad *I* 661, Ven. B ad *K* 75.

12 sqq. Chrysippus: Dio Chrysost. LXXI 378 R II, schol. Ven. A et B ad Ω 53, Aristarch. ad *Γ* 261.

Digitized by Google

209). καὶ Μενελάου δὲ τελοῦντος γάμους ὁ νυμφίος Μεγαπένθης οἰνοχοεῖ (σ 141).

X.

(Dio Chrysost. II 87 R δεῖ δὲ τοῦ ποιητοῦ τὰ μὲν ὡς συμβουλεύοντος καὶ παραινοῦντος ἀποδέχεσθαι, τὰ δὲ ὡς ἐξηγουμένου μόνον, πολλὰ δὲ ὡς ὀνειδίζοντος καὶ καταγελῶντος.)

XI (cf. I).

Athen. I 16c οἶδε δ' Ὅμηρος καὶ ποικίλας ἐδωδάς· λέγει γοῦν (ζ 76) 'ἐδωδὴν παντοίην' καὶ (γ 480) 'ὄψα οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες'.

Athen. I 25d ὅτι δὲ καὶ ἕφθοῖς ἐχρῶντο κρέασιν ἐμφανίζει ἐν οἷς λέγει·

ὡς δὲ λέβης ζεῖ ...

κνίσσῃ μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο (Φ 362 sq.).

καὶ ᾗ κατ' Ὀδυσσέως ἀφεθεὶς ποῦς βοὸς (υ 299) τούτου σημεῖον· πόδα γὰρ βόειον οὐδεὶς ὀπτᾷ. καὶ τὸ (α 141) 'κρειῶν δὲ πίνακας παρέθηκεν ἀείρας παντοίων' οὐ μόνον τὴν τῶν κρεῶν ἐξαλλαγὴν δηλοῖ, ὡς ὀρνίθεια, χοίρεια, ἐρίφεια, βόεια λέγων, ἀλλὰ τὴν σκευασίαν ὡς ποικίλην ἔχοντα καὶ οὐ μονοειδῆ ἀλλὰ περιττήν. ὡς ἀνακύπτειν τὰς Σικελικὰς καὶ Συβαριτικὰς

Διός, αὐτὸς διακόπτει τὰ κρέα, δεῖπνον τοῖς παρὰ τῶν Ἀχαιῶν ἀφικομένοις πρέσβεσιν εὐτρεπίσαι σπεύδων.

14 sqq. Dio Chrysost. II 88 R ταῦτα δὲ λέγει διδάσκων καὶ παραινῶν ὡς δεῖ καὶ τραπέζης ἐπιμελεῖσθαι τοὺς ἀγαθούς, ἐπεὶ τροφῆς γε παντοίας καὶ πολυτελείας οὐκ ἐτύγχανεν ἄπειρος ὤν, ὥστε τοὺς περὶ ταῦτα νῦν ἐπτοημένους Πέρσας καὶ Σύρους καὶ τῶν Ἑλλήνων Ἰταλιώτας καὶ Ἴωνας μηδὲ ἐγγὺς ἐφικνεῖσθαι τῆς παρ' Ὁμήρῳ χορηγίας καὶ ἁβρότητος.

Avcronus 3 sqq. cf. Stoicorum interpretandi rationem apud Dionem Chrysost. LIII 276 R II.

9 sqq. Aristarchus ad Φ 362.

---

18 καὶ Ἰταλικάς glossam del. Kaibelius.

26 ἀφικνεῖσθαι codd.: corr. Reiskius.

Digitized by Google

τραπέζας, ἤδη δὲ καὶ Χίας. μαρτυροῦνται γὰρ καὶ Χῖοι οὐκ ἔλαττον τῶν προειρημένων ἐπὶ ὀψαρτυτικῇ. Τιμοκλῆς·

Χῖοι πολὺ
ἄριστ' ἀνευρήκασιν ὀψαρτυτικήν.

XII (cf. II).

Athen. I 13ª καὶ ἰχθύσι δὲ Ὅμηρος ποιεῖ χρωμένους τοὺς τότε καὶ ὄρνισι. κατὰ γοῦν τὴν Θρινακίαν οἱ Ὀδυσσέως ἑταῖροι θηρεύουσιν·

ἰχθῦς ὄρνιθάς τε φίλας θ' ὅ τι χεῖρας ἵκοιτο
γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν (μ 331).

οὐ γὰρ ἐν τῇ Θρινακίᾳ ἐκεχάλκευτο τὰ ἄγκιστρα, ἀλλ' ἐπεφέροντο ἐν τῷ πλῷ δηλονότι· ὥστε ἦν αὐτοῖς θήρας ἰχθύων ἐπιμέλεια καὶ τέχνη. εἰκάζει δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ Σκύλλης ἁρπαζομένους Ὀδυσσέως ἑταίρους ἰχθύσι προμήκει ῥάβδῳ ἁλισκομένοις καὶ θύραζε ῥιπτομένοις (μ 251).

Athen. I 25ᵇ ὅτι δὲ καὶ ἰχθῦς ἤσθιον Σαρπηδὼν δῆλον ποιεῖ (E 487), ὁμοιῶν τὴν ἅλωσιν πανάγρου δικτύου θήρᾳ. καίτοι Εὔβουλος κατὰ τὴν κωμικὴν χάριν φησὶ παίζων·

---

6 sqq. Plut. quaest. conviv. VIII 8 III 14 οἱ δὲ Ὀδυσσέως ἑταῖροι, τοσαύτην πλέοντες θάλατταν, οὐδαμοῦ καθῆκαν ἄγκιστρον, οὐδὲ πόρκον, οὐδὲ δίκτυον ἁλφίτων παρόντων.

ἀλλ' ὅτε δὴ νηὸς ἐξέφθιτο ἤια πάντα (μ 329)
μικρὸν ἔμπροσθεν ἢ ταῖς τοῦ Ἡλίου βουσὶν ἐπιχειρεῖν, ἰχθῦς ἀγρεύοντες οὐκ ὄψον ἀλλὰ τροφὴν ἀναγκαίαν ἐποιοῦντο
γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν. ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός (μ 332).

ὑπὸ τῆς αὐτῆς ἀνάγκης ἰχθύσι τε χρωμένων καὶ τὰς τοῦ Ἡλίου βοῦς κατεσθιόντων.

Plut. de Isid. et Osir. c. 7 ὁ δὲ ἐμφανὴς καὶ πρόχειρος (sc. λόγος), οὐκ ἀναγκαῖον, οὐδ' ἀπερίεργον ὄψον ἀποφαίνων τὸν ἰχθύν, Ὁμήρῳ μαρτυρεῖ, μήτε Φαίακας τοὺς ἁβροβίους μήτε τοὺς Ἰθακησίους ἀνθρώπους νησιώτας, ἰχθύσι χρωμέ-

---

Avctores 5 sqq. Aristarchus ad Π 747 Ven. A et B et ad δ 368.

Digitized by Google

Ἰχθὺν δ' Ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκε ποῦ
τίνα τῶν Ἀχαιῶν; κρέα δὲ μόνον ὤπτων, ἐπεὶ
ἕψοντα γ' οὐ πεποίηκεν αὐτῶν οὐδένα.
ἀλλ' οὐδεμίαν ἄλλην ἑταίραν εἶδέ τις
αὐτῶν, ἑαυτοὺς δ' ἔδεφον ἐνιαυτοὺς δέκα.
πικρὰν στρατείαν δ' εἶχον, οἵτινες πόλιν
βίᾳ λαβόντες εὐρυπρωκτότεροι πολὺ
τῆς πόλεως ἀπεχώρησαν ἧς εἶλον τότε.
οὐδὲ τὸν ἀέρα δ' οἱ ἥρωες τοῖς ὄρνισιν εἴων ἐλεύθερον, παγίδας καὶ νεφέλας ἐπὶ ταῖς κίχλαις καὶ πελειάσιν ἱστάντες.
ἐγυμνάζοντο δὲ πρὸς ὀρνεοθηρευτικὴν τὴν πελειάδα τῇ μηρίνθῳ κρεμάντες ἀπὸ νηὸς ἱστοῦ καὶ τοξεύοντες ἐκηβόλως εἰς αὐτήν, ὡς ἐν τῷ ἐπιταφίῳ δηλοῦται (Ψ 852).

Athen. I 13[c] *οὐ μνημονεύει δὲ τοιαύτης ἐδωδῆς ἐπὶ τῶν δείπνων, ὡς οὐκ οἰκείας νομιζομένης τῆς τροφῆς τοῖς ἐν ἀξιώμασιν ἥρωσι κειμένοις, ὡς οὐδὲ τῆς τῶν νεογνῶν ἱερείων. οὐ μόνον δὲ ἰχθύσιν ἀλλὰ καὶ ὀστρείοις ἐχρῶντο, καίτοι τῆς τούτων ἐδωδῆς οὐ πολὺ ἐχούσης τὸ ὠφέλιμον καὶ ἡδύ, ἀλλὰ κἂν τῷ βυθῷ κατὰ βάθος κειμένων. καὶ οὐκ ἔστιν εἰς ταῦτα ἄλλῃ τινὶ τέχνῃ χρήσασθαι ἢ δύντα κατὰ βυθοῦ.*

ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὃς ῥεῖα κυβιστᾷ (Π 745),

ὃν καὶ λέγει πολλοὺς ἂν κορέσαι τήθεα διφῶντα.

XIII (cf. III).

Athen. I 24[e] *παρετίθετο δὲ τοῖς ἥρωσι δειπνοῦσι καὶ λάχανα. ὅτι δὲ οἴδασι τὰς λαχανείας δῆλον ἐκ τῶν παρὰ νείατον ὄρχον κοσμητῶν πρασιῶν* (η 127). *ἀλλὰ μὴν καὶ τοῖς κακοχυμοτάτοις κρομύοις ἐχρῶντο·*

ἐπὶ δὲ κρόμυον ποτοῦ ὄψον (Λ 630).

νους ποιοῦντι, μήτε τοὺς Ὀδυσσέως ἑταίρους ἐν πλῷ τοσούτῳ καὶ ἐν θαλάττῃ πρὶν εἰς ἐσχάτην ἐλθεῖν ἀπορίαν.

25 sqq. Plut. quaest. conviv. IV 4 III 8 *τὸ μὲν γὰρ Ὁμη-*

Auctores 23 sqq. **Aristarchus ad** *Π* 747 **Ven. A.**

---

4 *ἀλλ' οὐδὲ μίαν ἀλλ'* codd.: corr. Meinekius.

Digitized by Google

ἐπιμελουμένους δὲ αὐτοὺς εἰσάγει καὶ τῶν ἀκροδρύων (η 120)· *'ὄγχνη γὰρ ἐπ' ὄγχνῃ που γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ'. διὸ καὶ τῶν δένδρων τὰ μὲν καρποφόρα καλὰ προσαγορεύει* (η 114)· *'ἔνθα δένδρεα καλὰ πεφύκει, ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι'. τὰ δ' εἰς ξυλείαν εὔθετα μακρά, τοῖς ἐπιθέτοις τὰς χρήσεις διαστέλλων·*

ἔνθα δένδρεα μακρὰ πεφύκει,
κλήθρη τ' αἴγειρός τ' ἐλάτη τ' ἦν οὐρανομήκης (ε 238 sq.).

ἀρχαιοτέρα δ' ἦν καὶ τῶν Τρωικῶν ἡ τοιῶν χρῆσις. Τάνταλος γοῦν οὐδὲ θανὼν ἀπαλλάττεται τῆς τούτων ἐπιθυμίας (λ 588 sqq.)· *εἴπερ ὁ κολάζων αὐτὸν θεὸς προσείων, καθάπερ οἱ τὰ ἄλογα τῶν ζῴων τοῖς θαλλοῖς ἄγοντες, τοὺς τοιούτους καρποὺς ἀποκρούεται αὐτὸν τῆς ἀπολαύσεως, ὅτε τῆς ἐλπίδος ἐγγὺς ἔλθοι. καὶ Λαέρτην δ' Ὀδυσσεὺς ἀναμιμνήσκει ὧν ἔδωκεν αὐτῷ παιδὶ ὄντι* (ω 340)· *'ὄγχνας μοι δῶκας τρισκαίδεκα' καὶ τὰ ἑξῆς.*

Athen. I 25[d] *παρέλιπε δὲ τὴν χρῆσιν τῶν λαχάνων καὶ ἰχθύων καὶ τῶν ὀρνίθων διά τε τὴν λιχνείαν καὶ προσέτι τὴν ἐν ταῖς σκευασίαις ἀπρέπειαν, ἐλάττω κεκρικὼς ἡρωικῶν καὶ θείων ἔργων.*

XIV (cf. IV).

Athen. I 17[b] *Δυνατωτάτη δὲ παρ' Ὁμήρῳ καὶ ἡ τῶν μύρων εὐωδία·*

τοῦ καὶ κινυμένοιο Διὸς κατὰ χαλκοβατὲς δῶ
ἔμπης εἰς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀυτμή (Ξ 173 sq.).

Athen. I 18[e] *Ὅμηρος δὲ τὴν τοῦ μύρου φύσιν εἰδὼς οὐκ εἰσίγαγε μύροις ἀλειφομένους τοὺς ἥρωας πλὴν τὸν Πάριν ἐν οἷς φησὶ 'κάλλει στίλβων'* (Γ 392), *ὡς καὶ Ἀφροδίτη κάλλει*

ρικὸν ἐκεῖνο 'χρόμυον ποτοῦ ὄψον' ναύταις καὶ κωπηλάταις μᾶλλον ἢ βασιλεῦσιν ἐπιτήδειον ἦν.

AVCTORES 11 sqq. **Plato Phaedr. p. 230**[d].
25 sqq. **Aristarchus ad Ξ 172 Ψ 186: Athen. XV 688**[e-d].

---

23 versum restituimus, *οὖ κιν. Δ. ποτὶ χ. δῶμα* codd.

Digitized by Google

τὰ πρόσωπα καθαίρει (σ 192). *ἀλλ' οὐδὲ στεφανουμένους εἰσάγει, καίτοι τῷ ἐκ τῆς μεταφορᾶς ὁμοιώματι σημαίνεται ὅτι ἤδει τὸν στέφανον. φησὶ γοῦν·*

νῆσος, ἣν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο (χ 195)

καί·

πάντῃ γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηεν (*N* 736).

XV (cf. VIII).

Athen. I 17[b] *καὶ στρωμνὰς δὲ οἶδε διαπρεπούσας· τοιαύτας οὖν Ἀρήτῃ Ὀδυσσεῖ ὑποστρωννύειν κελεύει* (η 336), *καὶ Νέστωρ αὐχεῖ πρὸς Τηλέμαχον πολλῶν τοιούτων εὐπορεῖν* (γ 349).

XVI (cf. IX).

Athen. I 17[b] *πολυτελεῖς δ' αὐτοῖς καὶ οἱ διακονούμενοι.*

XVII.

Athen. I 16[c] *οἶδε δὲ καὶ πᾶσαν τὴν νῦν πολυτέλειαν.*

Dio Chrysost. II 85 R *τὰ γὰρ τοῦ Ἀλκίνου βασίλεια, ἀνδρὸς Ἕλληνος καὶ νησιώτου, διεκόσμησεν οὐ μόνον κήποις καὶ φυτοῖς καὶ ὕδασιν, ὡς ἥδιστα ἐνοικεῖν, ἀλλὰ καὶ ἀγάλμασι χρυσοῖς. ἔτι δὲ μᾶλλον τὴν τοῦ Μενελάου οἴκησιν, καὶ ταῦτα ἀπὸ στρατείας ἥκοντος, ἆρ' οὐ Περσικήν τινα καὶ Μηδικὴν ἐξηγεῖται, σχεδόν τι οὐ πολὺ ἀποδέουσαν Σεμιράμιδος ἢ Δαρείου τε καὶ Ξέρξου τῶν βασιλείων; φησὶ γοῦν* (δ 45. 46. 73)·

ὥστε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν ἠὲ σελήνης
δῶμα καθ' ὑψερεφὲς Μενελάου κυδαλίμοιο
χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος.

---

12 sqq. Athen. I 16[c] *οἴκων μὲν οὖν λαμπρότατος ὁ Μενελάου. τοιοῦτον δέ τινα ὑφίσταται τῇ κατασκευῇ καὶ λαμπρότητι οἵανπερ Πολύβιος* (34, 9, 15 Hu) *Ἰβηρύς τινος βασιλέως οἰκίαν· ὃν καὶ ἐζηλωκέναι λέγει τὴν τῶν Φαιάκων τρυφὴν πλὴν τοῦ τοὺς κρατῆρας ἐν μέσῳ τῆς οἰκίας ἑστάναι πλήρεις οἴνου χριθίνου, ἀργυροῦς ὄντας καὶ χρυσοῦς.*

Cf. Dio Chrysost. LXXIX 432 R II.

Avctores 1 sqq. Aristarchus ad *N* 736 et ad *Λ* 700 (apud Bekker.).

---

24 *οἵανπερ* inseruit Kaibelius.

Digitized by

Athen. I 16[d] *Ὅμηρος δὲ τοπογραφῶν καὶ τὴν Καλυψοῦς οἰκίαν ἐκπλήττει τὸν Ἑρμῆν* (ε 75).

Athen. V 193[e] *τῶν δὲ ἡρωικῶν οἴκων τοὺς μείζονας Ὅμηρος μέγαρα καλεῖ καὶ δώματα καὶ κλισίας, οἱ δὲ νῦν ξεινῶνας καὶ ἀνδρῶνας ὀνομάζουσι.*

XVIII.

Athen. I 16[d] *ἀπολαυστικὸς δέ ἐστι παρ' αὐτῷ καὶ ὁ τῶν Φαιάκων βίος· 'αἰεὶ γὰρ ἡμῖν δαὶς τε φίλη κίθαρίς τε' καὶ τὰ ἑξῆς* (ϑ 248).

Athen. XII 513[a] *ὁ δὲ παρὰ τῷ Ὁμήρῳ Ὀδυσσεὺς ἡγεμὼν δοκεῖ γεγενῆσθαι Ἐπικούρῳ τῆς πολυθρυλήτου ἡδονῆς, ὅσπερ φησίν* (ι 5 sqq.)·

οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι
ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
οἰνοχόος παρέχῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν.
τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

---

inter cenam quidem adstantibus, sed auferendis finito convivio, cum Aristonici scholiis conveniunt ad *Δ* 262: *ὅτι διὰ παντὸς αἱ τράπεζαι παρέκειντο* et ad *η* 174: *ἀθετεῖται τὸ ἔπος ὡς ἀσύμφωνον τῇ τοῦ Ὁμήρου συνηθείᾳ. οὐ γὰρ ποιεῖ τὰς τραπέζας ἀφαιρουμένας παρόντων τῶν δαιτυμόνων ἀλλὰ μετὰ τὴν ἀπαλλαγήν*, cuius atheteseos causam rectissime explanavit Carnuthius ad hunc locum p. 74. Etiam quae secuntur apud Athenaeum p. 193^{c}, quibus verba '*ἔντεα δαιτός*' (*η* 232) (fr. 32 p. 111, 10—12) explicantur, Aristarchea esse Apollonii Sophistae consensu comprobatur, quem ipsos Aristarchi commentarios in conscribendo lexico adiisse Leydius evicit, 'de Apollon. Soph. lexico Homer.' (Lips. 1885) p. 20 sqq. Apollonii enim haec sunt (p. 69, 17 ed. Bekk.): *ἔντεα τὰ ὅπλα, κυρίως τὰ ἐντὸς περιέχοντα τὸν ἄνδρα, οἷον ἀσπὶς καὶ θώραξ καὶ κνημῖδες. λέγει δὲ ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐννοίας καὶ τὰ ἀγγεῖα ἔντεα ἀπὸ τοῦ ἐντὸς αὐτῶν τινα περιέχειν, οἷον 'ἀμφίπολοι δ' ἀπεκόσμεον ἔντεα δαιτός'* (*η* 232). Unde Aristonico sunt tribuenda eiusdem argumenti scholia Ven. A et B ad *Γ* 339.

Cum his rebus arte cohaerent, quae apud Athenaeum p. 12^{a} subinde secuntur: *τῷ δὲ μὴ αἴρεσθαι τὰς τραπέζας κτλ.* (fr. 32 p. 111, 13—20)[1]). Quibuscum bene congruunt quae in Victoriano codice leguntur ad *Ω* 476 (cf. Hiller. in Philol. XXVIII p. 115)[2]): *ἀθετεῖται. οὐ γὰρ ἀφῃροῦντο αἱ τράπεζαι παρ' αὐτῶν, ἀλλὰ*

esse cum antecedenti capite nos quoque cognoveramus ut Brunkius p. 15. Nec tamen putamus suo loco legisse etiamtunc Eustathium haec Athenaei verba (ad *ρ* 599 p. 1833), praesertim cum rem suam consarcinaverit ex l. V c. 20 et l. I c. 19 et capitis 20 hoc enuntiato. Neque enim ubi fusius persequitur ex more suo Athenaei l. I c. 19 de cenarum numero (ad *π* 2 p. 1791, 30) Menelai convivii mentionem fecit. Immo ipsum epitomatorem huius modi permulta commisisse satis docent exempla, quae Kaibelius attulit in Herm. vol. XXII p. 328 adn. 1. Quomodo autem Aristarchus ex sua ratione interpretatus sit hoc peculiare convivium, ex scholio ut opinamur discimus ad *δ* 61, cf. Lehrs. l. l. p. 129; Carnuth. l. l. p. 41 adn. 1.

1) Est nimirum inepta coniectura *ἑσθων καὶ πίνων ἔτι, καὶ παρέκειτο τράπεζα* Dioscuridis ut videtur, quae omnino rationem non habet verborum quae antecedunt:

νέον δ' ἀπέληγεν ἐδωδῆς κτλ.

2) Cf. Ludwichium l. l. in Didymi fragm. ad loc. I p. 503.

Digitized by Google

μέχρι ἀναστῶσιν ἔχειντο. φησὶ γὰρ ᾽αἱ δ᾽ ἀπὸ μὲν σῖτον πολὺν ἤρεον ἠδὲ τράπεζαν᾽ (τ 61). ἢ τούτου ὡς πενθοῦντος ἤρετο. Cum codex Venetus A mutilus esset hac parte — interciderunt duo folia continentia versus inde a 405—504 libri Ω — Hillerus l. l. prorsus certo contendi posse negavit Aristarchi esse hanc athetesin. Nos quidem vix dubitamus scholion Aristonico tribuere, utpote cui debeamus Aristarchearum atheteseon notitiam [1]). Victorianum codicem a Veneto A proxime abesse Ludwichius credidit (l. l. I p. 89), ut ne de praestantia quidem codicis possit dubitari, nisi quod interim Maassius (Herm. XIX p. 273 sqq.) recte comprobasse videtur Victoriani patrem Townleianum librum esse, cuius tamen scholia nondum emissa sunt. Vides autem ad hunc locum servatum esse Homericum exemplum τ 61 ab Dioscuride Aristarchum secuto allatum (fr. 32 p. 111, 6. 7) ad eandem rem comprobandam (cf. supra p. 128 sq.). Omnino vero rem evincit Athenaei et Aristarchi in omnibus his capitibus consensus. Quam ob rem potius quod subtiliorem diligentiam persequi voluerit, Aristarcho opprobrio vertemus, cum nihil discriminis statueret inter magnifica convivia Phaeacum procorumque et Achillis solius cenam in tentorio sumptam.

Tum caput 21 (fr. 34) optimo iure Aristarcho vindicatur. In quo contra Zenodotum bis pugnatur, et quod *δαὶς ἴση* pro *ἀγαθῇ* habuerit, et quod *οἰωνοῖσί τε δαῖτα* (*A* 5) voluerit scribi, cum *δαίς* non de bestiis, sed solo de hominum cibo dici statuatur. Lehrsius quidem (l. l. p. 87), cum ex scholiis ea exciderint, Aristarcheam doctrinam his supplere non dubitavit. Quae res paene certa fit, cum in codice Ven. A ad *A* 5 *διπλῆ περιεστιγμένη* servata sit, quam *πρὸς Ζηνόδοτον τὸν διορθωτὴν* adhibebat Aristarchus. At tamen Ludwichio scrupuli remanserunt l. l. II p. 88 adn. 54. Mirandum sane est, quod in scholiis huius rei memoria plane periit [2]), sed epitomatores, quod hoc quoque commiserint, recte incusabuntur.

1) Cf. Ludw. l. l. I p. 60. 61.

2) Nimirum non Aristonici *ὅτι* sed Athenaeum excerpentis est, quod legitur apud grammaticum quendam in Crameri anecd. Paris. IV p. 467: *ὅτι οὐκ ἐπὶ θηρίων λέγει Ὅμηρος δαῖτα, ἀλλὰ ἐπὶ μόνων ἀνθρώπων.*

Digitized by Google

Certe autem, quod Ludwichius tertio loco protulit, nimis perspicuam fuisse hanc *δαίς* vocis etymologiam de *δαίω* verbo derivatam et Aristarchi acumine quasi non dignam, ut facile illa regula a quovis potuerit fingi, hoc nullo modo probamus. Seleuco quidem ita res non visa est, apud Athen. I p. 24[b] (cf. Suid. s. v. *δαίς*): *Ὅτι Σέλευκός φησι τὴν παρ' Ὁμήρῳ δαῖτα θάλειαν στοιχείων μεταθέσει δίαιταν εἶναι. τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ δαίσασθαι λέγειν βιαιότερόν ἐστιν.* Nobis autem videtur haec rectissima etymologia et verbi *ἔίσῃ* explicatio optime enarrata satis digna Aristarcho. Apollonii autem Sophistae testimonium Ludwichius in suum usum convertere non debuit, quoniam illum verborum ab Aristarcho explicatorum haud ignarum fuisse ipse probe scit (cf. I p. 75; II p. 484 adn. 2). Immo clarissimum fundamentum Aristarchea scilicet doctrina omnibus videtur subesse, qui hanc persecuntur etymologiam: Athenaeo (I p. 12[c]) et Suidae s. v. *δαιτὸς ἐίσης* integriorem Athenaeum excerpenti, Apollonio Sophistae (p. 56, 8 ed. Bekk.) et Etymolog. Magno (p. 251, 30), scholiis Homericis ad *A* 468 Ven. B et ad *Θ* 98. Quin Apollonii (et inde Etymol. Magn.) verba: *ἐπεὶ μεριστὰ ἦν τὸ παλαιὸν τὰ βρώματα*, sicut Tryphonis (apud Athen. XIV p. 640[e]): *Τρύφων δέ φησι τὸ παλαιὸν πρὶν εἰσελθεῖν τοὺς δαιτυμόνας ἐπὶ τῶν τραπεζῶν κεῖσθαι τὴν ἑκάστου μοῖραν κτλ.* quasi respicere videntur ad Aristarcheam illam explicationem apud Athenaeum longius explanatam.

Sed quae de primis hominibus enarrantur caedes et rapinas non veritis, ut cibum sibi pararent, in his Epicureorum rationem sequi videtur Aristarchus, quae quidem ex. gr. apud Lucretium in l. V inde a v. 922 sqq. et apud Horatium in Satir. I 3, 99 sqq. legitur [1]). Ut autem in his rebus Epicurum partim ab Theophrasto pendere Zellerus animadvertit [2]), sic illud quoque peripateticorum fuisse videtur, quod Cereris beneficio ad modestiam revocati sint homines, quam rem nostros poetas excoluisse notum est. Si enim scholia Ven. A ad *A* 449 et

1) Cf. Zellerum 'hist. philos. Gr.' III 1[3] p. 416.

2) *Ueber die Lehre des Aristoteles von der Ewigkeit der Welt*, Comm. acad. Berol. a. 1878 p. 107. 108 et 'hist. philos. Gr.' l. l. adn. 1.

Digitized by Google

cod. Ambr. *E* ad *γ* 441 de *οὐλῶν, οὐλοχυτῶν* in immolandis hostiis consuetudine explicanda inspexeris, non dubitabis, quin communis fons ea suppeditaverit. Qui quis fuerit, cum ex Theophrasti nomine, quem eandem rem et *ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων* et in libro *περὶ εὐσεβείας* tractasse exposuit Bernaysius (*Theophrastos Schrift über Frömmigkeit* p. 40. 41. 54. 55), tum ex rerum indole facili coniectura adsequi licet. Fuit peripateticum illud corpus Homericas complectens solutiones, quod supra (p. 124) commemoravimus, unde in scholia Homerica sat multa transiisse infra elucebit. Cum Aristarchea autem ratione optime haec conspirant (ad *γ* 441): *λέγουσι γάρ· δίκην ἀγρίων ζώων καὶ ἀλόγων ἔζων τὸ παλαιὸν οἱ ἄνθρωποι διὰ τὸ σῖτον μὴ εἶναι μηδ' ἄλλο τι οἰκεῖον τοῖς ἀνθρώποις, βοτάνας δὲ καὶ ἄκρα δένδρων ἤσθιον. εἶτα ἐφάνη ἡ χριθή, ἐξ ἧς διεχρίθησαν καὶ διεχωρίσθησαν οἱ ἄνθρωποι τῶν ἀλόγων ζώων κατὰ τὴν τροφήν*[1]). Quam peripateticorum doctrinam videtur secutus esse Aristarchus, ut *δαιτὸς ἴσης* etymologiam et explicationem commendaret et firmaret.

Sed iam pergamus in Aristarchi Homericae interpretationis copiis investigandis.

Prorsus Aristarchea sunt quae de piscibus comedendis exposita sunt in Athen. c. 22 p. 13^{a-d} (fr. 12 p. 96, 5—14; 97, 14—22) remotis quae huc ab ipso Naucratita inserta sunt (cf. Brunk. l. l. p. 4 adn. 9), quibuscum coniungenda sunt p. 25^{b-d} (fr. 12 p. 96, 15—17; 97, 1—13) et comparanda quae supra fuerunt p. 9^{bd} (fr. 2). Nam Aristonici ad *Π* 747 hoc scholion Ven. A est: *ἡ διπλῆ ὅτι ἅπαξ εἴρηκε τήθεα. ἔστι δὲ εἶδος θαλασσίων ὀστρέων· πρὸς τοὺς χωρίζοντας. φασὶ γάρ· ὁ τῆς Ἰλιάδος ποιητὴς οὐ παρεισάγει τοὺς ἥρωας χρωμένους ἰχθύσιν, ὁ δὲ τῆς Ὀδυσσείας* (*δ* 368. *μ* 251. 331)[2]). Putamus Aristarchum

1) Quae ne ab ipso quidem Theophrasto aliena esse ut comprobetur, multa ex Bernaysii egregio libro possunt adferri, cf. imprimis p. 80. 81. 96. 97. 98 de omnium animalium propinquitate (cf. Zellerum l. l. II 2^3 p. 851. 866), alia. Vide etiam Rohdii librum *Der Griech. Roman* p. 201 adn. 2.

2) Huc etiam pertinet scholion ad *ϰ* 124 de Laestrygonibus: *ἰχθῦς δ' ὡς πείροντες*] *δῆλον δὲ ἐϰ τούτου, ὅτι ἤδεσαν ἰχθύων τροφήν. οἰϰεῖον δὲ ἡ εἰϰών, ἐπεὶ ἐϰ θαλάσσης ἐλάμβανον ἰχθύων τρόπον ϰαὶ ϰατήσθιον.*

Digitized by Google

etiam alia ex Iliade exempla protulisse de piscibus capiendis, quibus adversarios refutaret, velut *E* 487 (cf. Athen. p. 25[b]), *Ω* 80, cuius rei bene gnarus erat (cf. Ariston. ad loc.). Pergit hunc in modum: *φανερὸν δὲ εἰ καὶ μὴ παρεισάγει χρωμένους, ἴσασιν ἐκ τοῦ τὸν Πάτροκλον ὀνομάζειν τήθεα. νοητέον δὲ τὸν ποιητὴν διὰ τὸ μικροπρεπὲς παρῃτῆσθαι.* Integriorem autem Aristarcheae sententiae formam nobis deprehendere videmur in scholio Ven. *B* ad *Π* 747, quod cum ex ipsius Aristarchi commentariis sua via huc pervenisse vix censendum sit, ex Aristonici libello manasse iure putamus. Ubi ad verba *τήθεα διφῶν*] haec notata sunt: *οὐχ ὅμοια ταῦτα τῇ ἄλλῃ περὶ τοὺς ἥρωας διαίτῃ· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοὺς ἁβροδιαίτους Φαίακας ἢ μνηστῆρας τοῖς τοιούτοις χρωμένους εἰσήγαγεν. ἤτοι οὖν ὅπερ αὐτὸς ἀλλαχόθεν ἠπίστατο Πάτροκλος τοῖς ἥρωσι περιέθηκεν, οὐχ ὡς ἀεὶ χρωμένων τοῖς ὀστρείοις πρὸς τροφὴν τῶν ἡρώων, πρὸς ἀνάγκην δ' ἐν πλῷ. οὐδὲ γὰρ ἰχθύσι χρωμένους εἰσήγαγεν ἢ ὄρνισιν. ἀλλ' ὅμως δι' ἀνάγκην καὶ τοῖς τοιούτοις ἐπιχειροῦσιν οἱ Ὀδυσσέως ἑταῖροι* (*μ* 330). Quibuscum concinunt Aristonici ad *δ* 368 (cf. Carnuth. ad loc.) haec: *ἀλλαχόσε οὐ λέγει ὁ Ὅμηρος ἐσθίειν τοὺς ἥρωας ἰχθύας. νῦν δέ φησι τούτους ἀγρεύειν ἰχθύας διὰ τὸ τείρεσθαι ὑπὸ τοῦ λιμοῦ* (*δ* 369 et *μ* 332). Unde aves quoque heroas non comedisse nisi famis vi coactos Aristarcheam observationem esse elucet, quam Dioscuridem in suum usum vocasse Athenaeus docet p. 9[d], 13[a]. Quamquam novisse Homerum artem avium telo petendarum demonstratur p. 25[cd] (fr. 12 p. 97, 9—13; fr. 13 p. 98, 21)[1]). Qua de Aristarchi ratione, quod quaedam ipsi Homero cognita fuerint, tamen heroas uti non faciat, Lehrsius disputavit l. l. p. 333. Quae secuntur in hoc scholio Ven. B, cum

---

1) Haec quoque Dioscuridis verba Athen. I p. 25[d] (fr. 13 p. 98, 20—23) ante oculos habuit Plutarchus, cum in eodem capite, quo inde suae rei fructum cepit, in quaest. conviv. VIII 8 (cf. Schrader. p. 376 Brunk. p. 5) haec de Pythagoraeis dissereret: *ἥκιστα τῶν ὄψων ἐχρῶντο τοῖς ἰχθύσιν, ᾗ τὸ παράπαν οὐκ ἐχρῶντο. καὶ γὰρ ἄνευ τῆς ἀδικίας ἀκρασίαν τινὰ καὶ λιχνείαν ἐμφαίνειν ἔοικεν ἡ περὶ ταῦτα πραγματεία πολυτελὴς οὖσα καὶ περίεργος.*

Digitized by Google

Aristonico conspirant in Ven. A: *καθόλου γὰρ τὴν τοιαύτην χρῆσιν διὰ τὸ μικροπρεπὲς παρῃτήσατο.* Ibi autem leguntur: *νοητέον δὲ τὸν ποιητὴν διὰ τὸ μικροπρεπὲς παρῃτῆσθαι.* Denique haec sunt scholii: *κρέασι δὲ ὀπτοῖς χρῆσθαι αὐτούς φησιν, ἵνα καὶ ἐπ' Ἀχιλλέως εἰπεῖν δυνηθῇ 'τῷ δ' ἔχεν Αὐτομέδων, τάμνε δ' ἄρα δῖος Ἀχιλλεύς'* (*I* 209). *ὅρα δὲ οἷον ἦν ἰχθὺν καθαίρειν τὸν τῆς Θέτιδος ἢ τὸν ζωμὸν ἕψειν,* quae optime nobis convenire videntur cum Athenaei capitis 20 exitu (fr. 33), Aristarchea sapientia quantum supra (p. 128 sqq.) vidimus repleti. Antiphanis [1]) autem testimonium adeo ad rem pertinet,

1) Haec Antiphanis verba: *Ὅμηρος ἠψεν . . . 'οὐδ' ἐγκέφαλον'* ut recte intellegantur, Plutarchi quendam locum in quaest. conviv. VIII 9 III 25 subvenire putamus: *λέγουσι δὲ μηδὲ ἐγκέφαλον ἐσθίειν τοὺς παλαιούς. διὸ καὶ Ὅμηρον εἰπεῖν,* — sunt Achillis de Agamemnone verba:

(ἐχθρὰ δέ μοι τοῦ δῶρα·) τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ (*I* 378),

τὸν ἐγκέφαλον οὕτως διὰ τὸ ῥίπτειν καὶ ἀποβάλλειν μυσαττομένους προσειπόντα, ubi *ἔγκαρος* uno vocabulo scribendum esse Eustathius testatur ad *I* 378 p. 757, 35 amplioribus scholiis usus: *ἄλλοι δὲ γράφουσι μὲν . . . ἔγκαρος καὶ κλίνουσιν ἔγκαρ, ἔγκαρος, τὴν δὲ λέξιν ἐπὶ ἐγκεφάλου νοοῦσι . . . καὶ τοῦτο μὲν ἕτεροι, ἐν οἷς καὶ Πλούταρχος κτλ.* Ad hanc igitur interpretationem putamus spectare Antiphanis verba nec qua alia causa niti possint, nobis perspicuum est. Similia autem proferuntur in scholio ad *I* 378 Ven. A, cuius initium Aristonici est. Quocum quae apud Dindorfium concreverunt, videntur collato scholio Porphyriano in Ven. B Porphyrii curtata frustula esse ut solent in cod. A. Attamen in hac ipsa re nunc non ita concinunt. In Ven. A enim haec sunt: *ἢ ὅτι Ἀθηναῖοι τὸν ἐγκέφαλον οὔτε ἤσθιον οὔτε ὠνόμαζον. ἔγκαρος οὖν τοῦ ἐγκεφάλου,* in quibus Atheniensium mentio plane absurda est. Sed quomodo *'οἱ Ἀθηναῖοι'* irrepserint, fortasse ex Athen. II p. 65[f] perspicere licet (sub lemmate *ἐγκέφαλοι χοιρεῖοι*): *οὐδένα γοῦν τῶν ἀρχαίων βεβρωκέναι διὰ τὸ τὰς αἰσθήσεις ἁπάσας σχεδὸν ἐν αὐτῷ εἶναι. Ἀπολλόδωρος δ' ὁ Ἀθηναῖος οὐδ' ὀνομάζειν τινὰ τῶν παλαιῶν φησιν ἐγκέφαλον κτλ.,* ut auctoris nomen omissum in scholio deperdito vestigia sua reliquisse quispiam putet. Neque tamen refragabimur, si cui simplicior videbitur illa ratio, qua ipsos cerebri contemptores latere in hac corrupta voce *Ἀθηναῖοι* statuitur. Wachsmuthius proposuit *⟨οἱ⟩ ἀρχαῖοι*, quod bene suadere videtur idem Athenaei locus. In Porphyriano scholio Ven. B in hac solutione tractanda miro modo aeque absurda, atque quae illic de Atheniensibus fuerunt, haec sunt: *τὰ γὰρ παλαιὰ* (cf. Plutarchi *τοὺς παλαιούς*) *τῶν γραιδίων ἀπορρίπτει τὸν ἐγκέφαλον. λέγει οὖν τὸ 'τίω δέ μιν ἐν καρὸς*

Digitized by Google

ut vix Aristarcho iure detrahatur, nedum Dioscuridi. Num autem, id quod Meinekius (III p. 144) et Kockius (II 1 p. 124) voluerunt, verba *'ζωμὸν δὲ οὐκ ἐποίει Ὅμηρος θνῶν βοῦς'* ad Antiphanem referenda et versibus sint includenda, collato scholio minus videtur probabile. Sed de Aristarchea totius scholii origine nunc vix dubitabis, ut ne hoc quidem ex Dioscuridis opere in scholia Homerica transiisse Brunkio (p. 22) credamus, id quod omnino nusquam factum esse in proficiendis his quaestionibus elucebit.

Quae his similia sunt, huc colligere lubet. Oleris esum novisse quidem Homerum neque tamen in carminibus induxisse discimus p. 24^{ef} et p. 25^{d} (fr. 13 p. 97, 23. 24 et p. 98, 20—23). Aristarchi esse hanc observationem ultimis his Aristonici ad *Π* 747 verbis comprobatur: *καὶ μὴν οὐδὲ λαχάνοις παρεισάγει χρωμένους. ἀλλ' ὅμως φησί·*

δμῶες Ὀδυσσῆος τέμενος μέγα κοπρήσοντες (ρ 299).

Deinde nihil apposuisse Homerum heroibus nisi assas carnes largiter exponitur p. 9^{a} (fr. 1 p. 90, 1—17) et firmatur p. 12^{b} (fr. 33). Sed tamen ne elixas quidem carnes illi ignotas fuisse exemplo v. *Φ* 362 demonstratur p. 25^{d} (fr. 11 p. 95, 9—18). Aristonicus autem ad *Φ* 362 haec habet: *ὅτι οἶδεν ἕψησιν κρεῶν, χρωμένους δὲ τοὺς ἥρωας οὐ παρεισάγει.*

Similia statuuntur de heroum coronarum, de myrrhae et suffimenti usu p. 9^{e}, 17^{b}, 18^{ef} (fr. 4 et 14). De coronis autem Aristonici haec sunt ad *N* 736: *ἡ διπλῆ ὅτι στέφανον ἡρωικὸν*

αἴσῃ' τουτέστιν τιμῶμαι αὐτὸν ἐν ᾗ μοίρᾳ αἱ γυναῖκες τὸν ἐγκέφαλον, quae ex eadem contextus corruptela restituta esse facile conicias. Apud Plutarchum igitur huius solutionis mera forma servata est, quam hac quoque parte et Plutarcho et Porphyrio communem fontem suppeditasse iure credes, corpus illud peripateticarum Homericarum solutionum supra iam p. 124. 132 memoratum (cf. Schrad. l. l. p. 426). Utut autem haec sunt, ut Antiphanis verbis suum acumen reddatur, huius solutionis putamus irrideri interpretes, qui quantum sudaverint in hoc explicando versu, nomina docent apud Porphyrium. Verba autem *οὐδ' ἧψεν κρέα . . . ὤπτα δὲ καὶ τὰς κοιλίας*, quam bene possunt pertinere ad Platonis, qui comico aequalis fuit, de re publ. III p. 404^{bc} haec: *ὅτι Ὅμηρος τοὺς ἥρωας ἑστιᾷ . . . 'οὔτε ἐφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς'* κτλ.?

Digitized by Google

πρόσωπον ὠνόμακε. οὐδέποτε δὲ χρωμένους εἰσήγαγε (inser. Lehrsius) *διὰ τῶν γενομένων αἰτιῶν. οὐ γὰρ οἱ τῆς Πηνελόπης μνηστῆρες οὐθ' οἱ Φαίακες οὐθ' οἱ ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἐστέφοντο. ἀλλ' ἴσως ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν ἐμπλοκὴν στεφάνης διὰ τὸ κυκλοτερὲς εἴρηται* (cf. Friedlaender. ad loc. p. 225 [1]). De unguentis autem haec conferas Aristonici verba ad Ξ 172: *ἡ διπλῆ ὅτι μύρον μὲν οὐκ ὀνομάζει, τεθυμιαμένον δὲ ἔλαιον τὸ μύρον λέγει, ὥστε εἰδέναι τὴν χρῆσιν, τὸ δὲ ὄνομα μή. λέγει δέ που 'ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ'* (ψ 186) *καὶ 'κάλλει μὲν οἱ πρῶτα* (sc. *οἵῳ χρίεται Ἀφροδίτη*)*'* (σ 191) *μύρου τι γένος ὀνοματοποιήσας.* Similia sunt eiusdem verba ad ψ 186: *ὅτι μὲν ὀνομασίαν ἀγνοεῖ, τὴν δὲ σκευασίαν οἶδε,* et haec quoque huc pertinent ad υ 192: *κάλλει*] *νῦν τὰ μύρα.* V. (cf. Carnuth. ad loc.) [2]).

In c. 23 p. 13 [e f] (fr. 35 p. 114, 10—16) et l. V [3]) c. 20 p. 192 [f] (fr. 35 p. 114, 22—26) quae de poculorum honoribus dispu-

---

1) Eodem sunt referenda codicis Victoriani apud Bekk. ad Λ 700 haec: *στέφανον δὲ ὅλως οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής, οὐκ ἐν νίκῃ, οὐκ ἐν θυσίαις, οὐκ ἐν συμποσίῳ.* cf. Lehrs. l. l. p. 198.

2) Plane huc quadrant, quae Athenaeus XV p. 688 [e d], ubi fusius de myrrha disputavit, habet: *ὁ δὲ Ὅμηρος τὴν μὲν χρῆσιν οἶδε τῶν μύρων, ἔλαια δὲ αὐτὰ καλεῖ μετ' ἐπιθέτου, 'ῥοδόεντι χρῖεν ἐλαίῳ'* (ψ 186) *καὶ ἀλλαχοῦ δὲ λέγει τι 'τεθυωμένον'* (Ξ 172). Secuntur eadem exempla amplius enarrata. Ex Dioscuride vix possunt huc inserta esse. Pamphilo haec omnia deberi Schoenemannus contendit in diss. Bonn. 'de lexicogr. antiqu. qui rerum ordinem secuti sunt' 1886 p. 110 sqq. Certo principem originem ab Aristarcho ducunt.

3) Ut in l. V cc. 20 et de quo videbimus 19 ab ipso Athenaeo compositis Naucratita Dioscuridem compilavit, potuit etiam in cc. 1 et 2, quae eodem modo undique consarcinavit, antequam in cc. 3—18 Herodicum secutus continua oratione de Homerico convivio collato cum Platonico Xenophonteo Epicureo disputaret (cf. Schmidt. de Herodico Crateteo, Elbing. 1886. p. X sqq.). Quod eo facilius forte putaveris, si Aristarchea vestigia agnoveris in eis, quae de Bellerophonte et Lyciorum rege (Z 167 sqq.) enarrantur p. 185 [e]: *διόπερ οὐδὲ πρότερον ἠρώτων, οἵτινες εἶεν ἀλλ' ὕστερον, ὡς τὴν ξενίαν αὐτὴν τιμῶντες ἀλλ' οὐ τοὺς ἐν μέρει καὶ καθ' ἕκαστον ἡμῶν.* Aristonici autem ad Z 176 sunt: *ὅτι ἔθος ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς ξενίζειν πρότερον, εἶτα πυνθάνεσθαι τίνος ἕνεκεν παραγεγόνασιν οἱ ξένοι.* Neque tamen haec observatio Aristarcho tam peculiaris

Digitized by Google

tantur, quos praestantioribus viris in conviviis tribuerint heroes, Aristarcheis niti observationibus Aristonici comprobatur scholio ad *Δ* 262, cuius parte altera supra (p. 129) usi sumus, hoc: *ὅτι διὰ παντὸς αἱ τράπεζαι παρέκειντο καὶ πλήρη τὰ ποτήρια τοῖς ἐν τιμῇ ἔκειτο, τοῖς δὲ ἄλλοις πρὸς μέρος ἐνεχεῖτο.* Inde ea quoque fluxisse quae de propinandi more secuntur et p. 13[f] 14[a] (fr. 35 p. 114, 17 — 115, 2) [1]) et l. V p. 193[a] (fr. 35 p. 114, 27—29) Aristonicus testatur ad *ν* 25 et 57 his: *ὅτι οἱ ἑστιώμενοι τοῖς ἑστιῶσι προπίνουσι παρὰ τῷ ποιητῇ, ὡς Ὀδυσσεὺς Ἀχιλλεῖ* (*I* 224) *καὶ Εὐμαίῳ ὁ αὐτός.* Prorsus autem cum Athen. p. 193[a] (fr. 35 p. 114, 27 - 29) haec congruunt Aristonici ad *I* 224: *ἡ διπλῆ πρὸς τὸ ἔθος ὅτι πλήρη καὶ οὐ κενὰ προὔπινον ὀρέγοντες τὰ ποτήρια.* Denique huc ea quoque pertinent, quae suo Marte in l. XI p. 498[c] (fr. 35 p. 115, 3—9), ubi de voce *σκύφος* disseritur, Athenaeus inseruit, ut Anacreonteum '*ἐξέπινον*' explicaret, sed mala Fortuna.

Deinde Aristarchi rationem in c. 24 reddunt haec verba: *καὶ παρὰ Μενελάῳ 'ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός'* (*δ* 17), *δύο δὲ κυβιστητῆρες μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον. μολπῆς δὲ ἀντὶ τοῦ παιδιᾶς.* Legebat Aristarchus *ἐξάρχοντες* (*δ* 19), in qua quidem re etiam Herodico Crateteo fides habenda erit apud Athenaeum V p. 180[d] huius rei Alexandreum grammaticum accusanti [2]): *προσσυνῆψαν* (sc. *οἱ περὶ Ἀρίσταρχον*) *τοιούτους τινὰς στίχους* (*δ* 15—19) *μετενεγκόντες ἐκ τῆς Ὁπλοποιίας σὺν αὐτῷ γε τῷ περὶ τὴν λέξιν ἁμαρτήματι. οὐ γὰρ ἐξάρχοντες οἱ κυβιστητῆρες, ἀλλ' ἐξάρχοντος τοῦ ᾠδοῦ πάντως ὠρχοῦντο. τὸ γὰρ ἐξάρχειν τῆς φόρμιγγος ἴδιον.* Quamquam Aristarchea

---

videtur, quam quivis ex lectione Homeri potuit cognoscere. Immo verba: *τὸ δὲ πρὸς τοὺς ξένους συμπόσιον ὁ τῆς Λυκίας βασιλεὺς διδάσκει οἷον εἶναι δεῖ* Herodicum videntur prodere, si huc contuleris: p. 177[c]: *ἐδίδαξε δ' Ὅμηρος*, p. 179[b]: *ἃ δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς διδάσκει πάλιν Ὅμηρος*, p. 191[d]: *διδάσκει δ' ἡμᾶς Ὅμηρος*, alia.

1) Eandem *δειδέχατο* formae etymologiam de porrecta dextra sumptam, quam Dioscurides exponit hoc loco, legimus in Ven. H ad *Δ* 4: *δειδέχατ'*] *ἀπὸ τῆς δεξιᾶς ἡ μεταφορά κτλ.*, ut Aristonici hoc frustulum esse probabile videatur.

2) Cf. Schmidt. l. l. p. X.

Digitized by Google

doctrinae ille ignarum omnino se praebet. Nam Aristarchus *μολπή* vocem nusquam de cantu dictam esse voluit, sed semper de ludo, maxime saltationis lusu. Haec volunt verba: *μολπῆς δὲ ἀντὶ τοῦ παιδιᾶς* apud Athenaeum. Quibuscum ipsius Aristonici verba confer ad ζ 101: *πᾶσαν παιδιὰν μολπὴν λέγων* et ad ipsum locum δ 19: *ὅτι οὐ τὴν ᾠδὴν ἀλλὰ τὴν παιγνίαν* [1]) *λέγει οὕτω* (sc. *μολπήν*) *κτλ.* (cf. Friedlaend. ad Ariston. *A* 474. Lehrs. l. l. p. 138) [2]). Perversa igitur est Brunkii sententia (p. 30. 31), quod huius libelli auctor his verbis *μολπῆς δ' ἀντὶ τοῦ παιδιᾶς* impugnet, quae critici contra Aristarchi mendum disputaverint. Quem tractamus locus impugnatoris Aristarchi cuiusvis omnino rationem non habet, sed ea verba ipsius sunt Aristarchi.

Denique recte fortasse comparantur, quae de tibiarum commemoratione proferuntur apud Athen. in c. 28 p. 16ª (fr. 42) et Aristonici ad Σ 495 haec: *ὅτι ἐνθάδε μόνον καὶ ἐν τῇ K μέμνηται αὐλῶν*, et ad *K* 13 haec: *ὅτι ἐνθάδε καὶ ἐπὶ τῆς Ὁπλοποιίας τῶν αὐλῶν μέμνηται* (Σ 495). Huc usque Friedlaenderus scholion Aristonico tribuit. Quae apud Dindorfium in eodem scholio secuntur, hic non locum habent, sunt ex interiore margine partim sumpta (cf. Dind. adn.). Rei recte perspiciendae Dindorfii obest editio. Tamen quibus cum Athenaeo simile aliquid intercedit, in ultimo scholio leguntur haec: *ἐσημειώσατο δὲ διὰ τοῦ ἤχου ὅτι παρὰ τοῖς βαρβάροις ἐγινώσκετο τὰ ὄργανα ταῦτα.* Magis etiam huc pertinent quae in Ven. B ad Σ 495 exstant ex versibus *K* 11 sqq. desumpta: *Φρὺξ ὁ αὐλός ... καὶ ὅτε γὰρ νυκτηγρετοῦσι Τρῶες, αὐλοῦ-*

---

1) Aptius legi putamus *παιδιάν* hoc quoque loco.

2) Paene sequitur ex hac lectione *μολπῆς ἐξάρχοντες* Aristarchum expunxisse — nimirum non delevisse — versum:

μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός
φορμίζων (δ 17)

ex *μέλπεσθαι* verbi usu male hic adhibito. Quod nimirum Dioscuridem non impedivit, ne enarraret: '*καὶ παρὰ Μενελάῳ ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός*', quamquam in ceteris Aristarchum secutus. Alia in hac re a viris doctis multum tractata hic non curamus. cf. Ludwich. l. l. I. ad Σ 604 p. 439, ad δ 15 p. 536.

Digitized by Google

σιν, παρὰ δὲ Ἕλλησιν οὐδαμοῦ αὐλός. Quae ex Aristarchea interpretatione frustula superesse facile tibi nunc persuadeas, praesertim cum hoc quoque tecum reputaveris, quod ad *N* 41 Aristarchus de Troianis dixit: *ἑκάστοτε γὰρ θορυβώδεις τοὺς Τρῶας παρίστησιν*, qua de re infra disputandum erit.

Longiores fuimus in hac tractanda re, ut taedium fortasse commotum sit. Sed intererat nostra ostendere in his Athenaei capitibus aliquo modo etiam integros nobis virescere Aristarcheorum commentariorum hortulos. Unde etiam de Aristarchi arte critica hic illic nos aliquid addiscere, quod nunc maiore fiducia possit contendi, iam vidimus. Ludwichius enim l. l. I p. 72 sq. Athenaeum non bonum de Aristarcho diorthota fideiussorem habuit. Sed non unum Athenaei iudicium est, quippe qui instar multorum auctorum exstet. In his quidem capitibus Dioscurides sat bonum se praestare videtur. Neque dubitamus quin in l. V capite 20 prorsus Aristarcheo p. 193[b] (fr. 32 p. 110, 23 — 111, 6) versuum *α* 139. 140, *δ* 55. 56 athetesis nunc iure Aristarcho adscribatur, quo digna videtur, quamquam huius rei nulla alia memoria aetatem perduravit.

Altero loco stoicorum certa vestigia in Dioscuridis his apud Athenaeum servatis frustulis nos detecturos esse promisimus, ut ab horum studiis illum non alienum fuisse appareat. Nimirum *σωφροσύνη, αὐτάρκεια, εὐτέλεια*, quarum in primis capitibus 15 et 16 non semel mentio fit, etiam in stoicorum virtutibus enumerantur. Quomodo autem *εὐταξία* Nestoris et Machaonis exemplo illustretur in c. 17, hoc quoque cum stoicis conspirat, de qua virtute (Chrysippus apud) Stob. II p. 61, 7 W.: *εὐταξίαν δὲ ἐπιστήμην τοῦ ποτε πρακτέον, καὶ τί μετὰ τί, καὶ καθόλου τῆς τάξεως τῶν πράξεων* sive apud Andronicum Rhodium in libello qui fertur *περὶ παθῶν* p. 24, 8 Sch.: *εὐταξία δὲ ἐμπειρία καταχωρισμοῦ πράξεων* sive apud Ciceronem (de offic. I 40, 112): sic definitur a stoicis, ut modestia (sc. *εὐταξία*) sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur loco suo conlocandarum [1]).

1) Cf. Schuchardtium, 'Andron. Rhod. qui fertur libelli *περὶ παθῶν* pars altera de virtutibus et vitiis', Darmstadiae 1883 p. 45.

Digitized by Google

Ipsum vero stoae alterum patrem adiisse videtur Dioscurides in conscribendo libro Chrysippum, cuius nomen apud Athenaeum laudatur p. 18[b]. Brunkius quidem (p. 9) ab ipso Athenaeo stoici mentionem iniectam esse putavit velut p. 9[c]. Sed ibi aliter res sese habet. Quae illic laudantur Chrysippi: *καὶ τὸ παρὰ πολλοῖς λασταυροκάκαβον καλούμενον βρῶμα, ὥς φησι Χρύσιππος* Suida auctore s. v. *λασταυροκάκαβος* pleniorem Athenaeum secuto ex libris sumpta sunt *περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς* [1]). Hos autem inter Athenaei fontes, quos ipse exscripserit, habendos esse contendimus, ac primum quidem, quod plerumque diligenter librorum numeri citantur, IV 137[f] XIII 565[a] quartus liber, III 89[d] VIII 335[d] 337[a] IX 373[a] XIV 616[a b] quintus, VIII 335[e] septimus laudatur liber. Deinde quae ex quarto libro (XIII 565[a]) de barbarum rasurae historia enarrantur, amplioris ambitus sunt, quam ut intercedenti alicui auctori debeantur. Quae tanti spatii quasi excusandi causa his indicuntur: *οὐκ ἀκαίρως δὲ, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, μεμνήσομαι τῆς λέξεως*, donec tandem leguntur: *καὶ ταῦτα μὲν ὁ Θαυμάσιος εἴρηκε Χρύσιππος.* Tum facile perspicitur ipsum Athenaeum ex primario fonte XI 373[a] parentheseos loco haec suo Marte intulisse de genere vocis *ὄρνεις*: *καὶ Χρύσιππος δὲ ὁ φιλόσοφος ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς γράφει οὕτως 'καθάπερ τινὲς τὰς λευκὰς ὄρνιθας τῶν μελαινῶν ἡδίους εἶναι μᾶλλον'*. Denique fere integra ex his libris videntur l. VIII capita 13 usque ad 16 hausta esse, quae de voluptate sunt, ipsa cum testimoniorum larga copia, quantum quidem temporum ratio admittit, quae bene videntur Chrysippi indolem reddere citandi studiosissimi [2]).

Alia contra est ratio Chrysippeorum verborum p. 18[b] (fr. 9). Quae non tam facile possunt seiungi quam Brunkio (p. 9) visum est: *ἐπετήδευον γὰρ τὴν αὐτοδιακονίαν καὶ ἐκαλλωπίζοντο, φησὶ Χρύσιππος, τῇ ἐν τούτοις εὐστροφίᾳ.* Nam omnino non

1) Integrum titulum Laertii catalogus praebet (VII 7, 202): *περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς πρὸς Ἀριστοχρέοντα ι'.*

2) Cf. Laert. Diog. VII 7, 180. 181. X 1, 27. Galen. de Hipp. dogm. III 4 p. 314 sqq. K. Vide Zellerum 'hist. philos. Gr.' III 1[3] p. 42.

Digitized by Google

licet separare Ulixis exemplum quod sequitur, qui *o* 321 sqq. re vera de se gloriatur:

δρῃστοσύνῃ οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος
πῦρ τ' εὖ νηῆσαι διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι
δαιτρεῦσαί τε καὶ ὀπτῆσαι καὶ οἰνοχοῆσαι
οἷά τε τοῖς ἀγαθοῖσι παραδρώωσι χέρηες,

ex quibus versibus ut persaepe apud Athenaeum epitomatorum culpa frustula tantum restare elucet. Tum plura essent removenda. Fuisse tamen apud Dioscuridem haec exempla Chrysippeae *αὐτοδιακονίας* rectissime Brunkius animadvertit (p. 10), quod his ex more nostri de quo disputavimus quasi respondent verba quae praeierunt p. 17[b]: *πολυτελεῖς δ' αὐτοῖς καὶ οἱ διακονούμενοι.* Nimirum verba p. 18[a]: *ἐς τὸ πρέπον δὲ Ὅμηρος ἀφορῶν τοὺς ἥρωας οὐ παρήγαγεν ἄλλο τι δαινυμένους ἢ κρέα* ab ipso Athenaeo consarcinata videntur collatis capitibus l. I 15. 45. 46. Nova inducuntur his: *καὶ ταῦτα ἑαυτοῖς σκευάζοντας*, ut hinc Chrysippi doctrinam incipere merito putemus. Bona fortuna eadem Ulixis Achillis exempla integriore forma servavit Aelianus in var. hist. VII 5 (fr. 9 p. 94, 19 sqq.) quibus Laertae quoque additur, quem sua manu hortum colentem deprehenderit filius. Iure his integrum Athenaeum, antequam grammatici huius opes discerpserint, ab Aeliano nobis reddi censebimus. Quamquam si communem fontem haec et Athenaeo et Aeliano suppeditasse males, sive fuit Dioscurides, sive ipse Chrysippus, non possumus refragari, quoad in has quidem res accuratius aliquis inquisierit de integro Athenaeo curis Kaibelii nunc edoctus.

Dio quoque Chrysostomus rhetor in oratione LXXI, quae *περὶ φιλοσόφου* habita est, hanc Chrysippeam rationem de Ulixis persona persecutus est. In qua oratione disputavit rhetor contra stoicorum illud placitum: '*δεῖν πάντα ἐν πᾶσιν εἶναι περιττὸν τὸν φιλόσοφον*', cuius generis fuisse Hippiam et Ulixem Homericum. Quae de Ulixe omnigena eloquentia erudito enarrentur, redire ad Antisthenis interpretationem vocabuli *πολύτροπος* Ernestus Weber 'de Dione Chrysostomo cynicorum sectatore' ('stud. Lips.' X p. 228) comprobavit (cf. Duemm-

Digitized by Google

leri Antisthenica p. 23). Huc pertinent, quibus Ulixes, ut cum Chrysippo apud Horatium loquamur, tanquam vere 'sapiens operis sic optimus omnis sit opifex'. Sunt Dionis haec p. 378 R II: *σχεδὸν δὲ καὶ Ὅμηρος Ὀδυσσέα πεποίηκεν οὐ μόνον γνώμῃ διαφέροντα . . . ἀλλὰ καὶ τῶν τοιούτων ἁπάντων ἔμπειρον, τεκτονικῆς καὶ οἰκοδομίας καὶ ναυπηγικῆς. πῶς γὰρ ἂν τὸ λέχος ἐποίησεν ἀποκόψας τὸν τῆς ἐλάας θαλλόν, εἰ μὴ τεκτονικῆς ἐπιστήμων ἦν;* Quae pertinent ad lectum genialem ab ipso Ulixe aedificatum (ψ 181 sqq.). *πῶς δ' ἂν περιέβαλε τὸν θάλαμον, εἰ μὴ καὶ οἰκοδομῆσαι ἠπίστατο* (ψ 192—194); *πῶς δ' ἂν εἰργάσατο τὴν σχεδίαν οὐκ ὢν ἔμπειρος ναυπηγίας* (ε 234 sqq.); Quibuscum Aeliani conferas v. h. VII 5: *καὶ τὴν σχεδίαν οὐ δεηθεὶς ναυπηγῶν . . . εἰργάσατο.* Dein Dio: *τὰ δὲ περὶ φυτείαν καὶ γεωργίαν εὐθὺς ἐκ παίδων ἐσπουδακὼς φαίνεται, παρὰ τοῦ πατρὸς δένδρα αἰτῶν καὶ ἀμπέλους* (ω 336 sqq.). *ἄλλως τε καὶ τοῦ πατρὸς γεωργοῦ ὄντος πάνυ ἐπιμελοῦς τε καὶ ἐμπείρου εἰκὸς ἦν αὐτὸν ταῦτα μὴ ἀγνοεῖν* (cf. Laertae exemplum apud Aelianum), *ὅπου γε καὶ προκαλεῖται τὸν Εὐρύμαχον καὶ ἀμῆσαι καὶ ἀρόσαι* (σ 365 sqq.). Denique cum Athenaeo et Aeliano conspirant haec: *ἀλλά φησι καὶ τῶν τοιούτων ἔμπειρος εἶναι, μαγειρικῆς τε καὶ οἰνοχοίας καὶ τῆς ἄλλης ἁπάσης διακονίας, ἃ φησι τοὺς χείρονας τοῖς ἀγαθοῖς διακονεῖσθαι* (ο 324).

Ne Aristarchum quidem haec Chrysippea interpretandi ratio effugit, cum apud Aristonicum ad Γ 261 haec legantur: *ἡ διπλῆ ὅτι δύο ἐπεδέχοντο οἱ δίφροι. διὸ νῦν Πρίαμος ἡνιοχεῖ παραιβατοῦντος τοῦ Ἀντήνορος. καὶ ὅτι οἱ ἥρωες πάντες ἔμπειροι καὶ αὐτουργοί, διὸ καὶ Ὀδυσσεὺς ναυπηγεῖ* (ε 234 sqq.), *καὶ κυβερνᾷ* (κ 32). Haec autem de Ulixis *αὐτοδιακονίᾳ* sive *αὐτουργίᾳ* doctrina, ut his ipsis verbis utamur, qui stoicis omnium virtutum fuit exemplum[1]), quasi comprehenditur scholio quodam ad Θ 93 Ven. A adnotatum, ut *πολυμήχανος* cur appellatus esset Ulixes illustraretur. Quo in scholio duplici forma servato, quarum alteram Ven. B quoque exhibet, Ulixem se-

1) Cf. Zellerum 'hist. philos. Gr.' III 1³ p. 335.

Digitized by Google

decim artium — si omnes computaveris, decem et octo enumerare poteris — peritum se praestare demonstratur. Neque desunt illae, de quibus apud Athenaeum Chrysippo auctore, Aelianum, Dionem, Aristarchum legitur. Quod scholion si non ad ipsum Chrysippum referendum esse putabis, tamen ex huius interpretandi more prodiisse facile concedes.

Deinde autem stoicorum sapientiae vestigia reperire nobis videmur in eis, quae de Circe et Ulixis sociis narrantur p. 10[a] (fr. 25 p. 105, 12—15). In quibus breviter contractis ex ipsius Homeri narratione mere ficta et fabulosa non facile intelleguntur verba: *'ταῖς ἡδοναῖς ἑπακολουθήσαντας'*. Quae ut recte explicentur, Heraclitum prodire iubemus in allegor. Homer. c. 72 haec docentem: *ὁ δὲ Κίρκης κυκεὼν ἡδονῆς ἐστιν ἀγγεῖον, ὃ πίνοντες οἱ ἀκόλαστοι διὰ τῆς ἐφημέρου πλησμονῆς συῶν ἀθλιώτερον βίον ζῶσιν. διὰ τοῦτο οἱ μὲν Ὀδυσσέως ἑταῖροι χορὸς ὄντες ἠλίθιος ἥττηνται τῆς γαστριμαργίας. ἡ δὲ Ὀδυσσέως φρόνησις ἐνίκησε τὴν παρὰ Κίρκῃ τρυφήν. ἀμέλει τὸ πρῶτον ἐκ τῆς νεὼς ἀνιόντι καὶ πλησίον ὄντι τοῖς προθύροις Ἑρμῆς ἐφίσταται, τουτέστιν ὁ ἔμφρων λόγος. ὑφιστάμεθα γοῦν ἐτύμως αὐτὸν Ἑρμῆν λέγεσθαι παντὸς τοῦ νοουμένου κατὰ ψυχὴν ἑρμηνέα τινὰ ὄντα.* Ne quae ultimo quidem loco de Mercurio allegorica ratione exponuntur, Dioscuridi ignota fuisse nobis ex his recte colligere videmur, quae apud Athenaeum p. 16[b] de *ἑρμηνείᾳ* leguntur (fr. 45), praesertim cum haec quoque Heracliti l. l. comparaveris: *γλῶττα δ' αὐτῷ θυσία, τὸ μόνον λόγου μέρος, καὶ τελευταίῳ ἐπὶ κοίτην ἰόντες Ἑρμῇ σπένδουσιν, ἐπεὶ πάσης φωνῆς ἐστιν ὅρος ὕπνος.*

Eadem autem doctrina apud Porphyrium legitur in cod. Ambros. *E* ad *γ* 332, cui scholion praeter formae indolem vel inde vindicatur, quod ipsius nomen in scholii exitu citatur, ad versum *τάμνετε μὲν γλώσσας*]· *τετραχῶς λέγεται. τὰς γλώσσας γὰρ τῷ Ἑρμῇ ἀνετίθουν ὡς ἐφόρῳ τοῦ λόγου. καὶ ὅτε ἔμελλον κοιμηθῆναι, ἔθυον γλώσσας δεικνύντες ὅτι τῆς ἡμέρας παρελθούσης οὐ χρῆ ἔτι λαλεῖν, ἀλλὰ καιρὸν ποιεῖσθαι ὕπνου μετὰ τὸ δειπνῆσαι τὴν νύκτα,* uberius fere quam apud Heraclitum fuit. Huc autem referendum est scholion ad *γ* 341,

Digitized by Google

ἐξήτησαν διὰ τί τοῖς θεοῖς ἀπένεμον τὰς γλώσσας, ex quo ad nostram rem spectant: οἱ δὲ ὅτι δεῖ παύειν αὐτὴν (sc. τὴν γλῶσσαν) εἰς κοίτην ἰόντας. ὅθεν καὶ τῷ Ἑρμῇ πνεύματι σπένδεσκον (η 138). Eodem pertinent frustula ad η 138: διὰ τὸ μνείαν ἔχειν λόγου τὸν κοιμώμενον. ἢ ὅτι ὕπνου παρεκτικὸς ὁ θεός. E.[1]) Mirum autem illud est in hac re, quod inter sese confusi sunt Odysseae duo loci η 137. 138 et γ 332. 341. Nam illic in sacrificio Mercurio apud Phaeaces parato nihil legitur de linguis immolandis, ubi autem linguae commemorantur γ 332. 341, immo ut Neptuno sacrificium fiat, monet Minerva.

Heracliti autem et Porphyrii his in rebus consensus nos remittit ad communem quendam fontem, quem his quidem rebus non attactis Schraderus l. l. p. 393—406 detexit. Stoicarum illud corpus allegoriarum est, quod Vitruvio aliquis vetustior condidit, ex quo thesauro Heracleo grammaticus (unde Probus et Sextus Empiricus) et Heraclitus materiam delibarunt et enchiridio quodam breviato intercedente Stobaeus et Plutarchus personatus libelli de vita et poesi Homeri scriptor. Cuius memoriam Dielsius excitavit (de doxograph. Graec. p. 88 sqq.). Quod etiam Athenagoram, Minucium Felicem, alios in suum usum vocasse Neumannus monuit 'Gött. gel. Anz.' 1884 p. 360. Sed Porphyrium quoque in componendis quaestionibus Homericis compilatorem fuisse Schraderus comprobavit l. l.[2])

---

1) Unde Porphyrii reliquiae videntur esse etiam scholia ad ξ 277 de vocibus 'Ἑρμείας χρυσόρραπις] . . . ὅτι ὁ λόγος θεὸς κτλ., ad ξ 305: . . . τὸ μῶλυ, τοῦτό φησι τὸν τέλειον λόγον, ὑφ' οὗ βοηθούμενος οὐδὲν παθεῖν ἐδύνατο, ad π 319: ἐπειδὴ τὸν Ἑρμῆν τοῦ λόγου λέγουσιν ἔφορον κτλ., alia.

2) Ex hoc stoicarum allegoriarum corpore derivatum esse videtur etiam scholion ad Apollon. Rhodii *A* 517, eadem doctrina repletum: ὅτι ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς κρατῆρα κιρνᾶν, ὅτε μέλλοιεν καθεύδειν, καὶ τὰς γλώσσας τῶν ἱερείων ἐπιθύειν τῷ Ἑρμῇ καὶ ἐπισπένδειν οἶνον. καὶ ἴσως φυσικῶς. ἐπεὶ γὰρ Ἑρμῆς λόγος εἶναι παραδέδοται, ὄργανον δὲ αὐτοῦ ἡ γλῶσσα, ἥτις ὕπνου ἐπιπεσόντος ἠρεμεῖ, εἰκότως τῷ Ἑρμῇ αὐτὴν θύουσιν. καὶ Ὅμηρος 'γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον'. Nam etiam in aliis Apollonii scholiis eundem fontem adhibitum esse potest demonstrari, ut Heilbutius in mus. Rhenan. vol. XXXIX p. 158 eam memoriam quae apud Dielsium p. 91 composita est iterari docuit in schol. Apollon. ad *A* 498.

Digitized by Google

Quae autem de Circe narrantur apud Heraclitum, leviter tanguntur apud Athenaeum, eadem ampliore ratione persecutus est etiam Porphyrius apud Stobaeum in eclogis (I 41, 60 G. p. 445 W.), itemque Pseudo-Plutarchus in c. 126 talia protulit, ut iam Dielsius l. l. p. 98 utrique in hac quoque exponenda re allegoriarum librum patuisse merito contenderit, variare tamen illos excerpendo. Plane vero ex stoicorum ratione illud quoque de Ulixe dictum esse (Athen. p. 10[f]): *διὸ καὶ ἀπαθὴς γίνεται* eo facilius putabis, si tecum reputaveris stoicorum *ἀπάθειαν* et ex. gr. Laertii Diogenis illud: *φασὶ δὲ καὶ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφόν* [1]). Maxime cum his concinunt, quae Plutarchus personatus l. l. exhibet: *Ὁ δὲ ἔμφρων ἀνήρ, αὐτὸς ὁ Ὀδυσσεύς, οὐκ ἔπαθε τὴν τοιαύτην μεταβολήν, παρὰ τοῦ Ἑρμοῦ, τουτέστι τοῦ λόγου, τὸ ἀπαθὲς λαβών.*

Ex quo autem stoico auctore allegoriarum ille conditor suam de Circe et Mercurio doctrinam deprompserit, eundem Dioscuridi suppeditasse statuendum erit. Quem Chrysippum esse iure conicias, cum hunc Dioscuridem adiisse supra viderimus. Inde etiam Dio Chrysostomus hanc de Circe explicationem petiisse videtur, qui fusius eam persequitur in orat. VIII p. 283 et 284 R et in or. LXXVIII p. 427 R II. Ubi Ulixis socii his praedicantur: *δύστηνοι ἄνθρωποι καὶ ἀνόητοι, διεφθαρμένοι διὰ τρυφὴν καὶ ἀργίαν* [2]). Quam interpretationem Horatium quoque amplexum esse iudicamus in epistula ad Lollium ineunte (I 2, 1 sqq.). Nam quibus exemplis illustrat melius docere Homerum, quid turpe, quid utile sit, philosophis, illa non tam ab ipso videntur ficta esse in 'relegendis' carminibus, quam Graecos sapiunt interpretes et philosophos atque eos stoicos [3]). De Circe autem haec sunt (v. 23 sqq.):

1) Cf. Zellerum 'hist. philos. Gr.' III 1[3] p. 234.

2) Vide eodem modo in Procopii epistula ad Orionem 117 (p. 579, 36 Herch.) Ulixem Circae et Sirenibus quasi *ἡδοναῖς* obluctari et propria virtute et *μωλυ* herba, i. e. *λόγῳ*, quam Mercurius donaverit, quae eidem stoicorum doctrinae originem debent.

3) Plane eadem atque Horatius Homerum docentem inducit Plutarchus person. l. l. c. 163: . . . *ἔν τε τῇ Ἰλιάδι . . . ὅτι μέλλει λέγειν ὅσα διὰ τὴν Ἀχιλλέως ὀργὴν καὶ τὴν Ἀγαμέμνονος ὕβριν κακα τοῖς Ἕλλησιν*

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

Sirenum voces et Circae pocula nosti:
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.

Illud 'stultus' bene explicabimus verbis Heracliteis: *οἱ μὲν Ὀδυσσέως ἑταῖροι χοροὸς ὄντες ἠλίθιος*, Dioneis: *ἄνθρωποι ἀνόητοι*, Pseudo-Plutarcheis: *ἄφρονες ἄνθρωποι*, illud 'cupidus' Athenaei verbis: *ταῖς ἡδοναῖς ἑπακολουθήσαντες*. Circe autem 'domina meretrix' *ἡδονῆς* explicationem sat clare demonstrat.

Tertio loco peripatetica scrinia diripuisse Dioscuridem in conscribendo libello ut comprobemus in animo est. Quod lucrum ut faciamus, Dioscuridea apud Athenaeum l. I capita 17 et 18 subveniunt, in quibus de vini apud Homerum usu accuratius agitur. Plura in c. 17 conspirare cum Porphyrii quaestionibus Homericis ad *A* 623 et *Z* 265 servatis Schraderus animadvertit l. l. p. 375, ut Dioscuridis opus — nimirum Isocrateum eum habuit — inter eos libros esse censeret, quos Porphyrius in componendis quaestionibus adhibuisset (p. 376). Alia autem quae in his capitibus narrantur etiam proferri in Plutarchi quaestionum convivalium problemate l. V quarto nos subinde demonstrabimus. In quo quaestio quaedam agitatur nota ex Aristotelis arte poetica (c. 25), quid sibi velint Achillis verba (*I* 203) *'ζωρότερον κέραιρε'*, quibus Patroclum merum infundere iubeat. Duae enim solutiones iam Aristotelis temporibus circumferebantur: *καὶ τὸ 'ζωρότερον δὲ κέραιρε' οὐ τὸ ἄκρατον, ὡς οἰνόφλυξιν, ἀλλὰ τὸ θᾶττον*. Hanc autem quaestionem Porphyrius quoque tractavit ad *I* 203, quem una cum Plutarcho eodem fonte usum esse Schraderus l. l. p. 373. 421 sqq. comprobavit, peripatetico illo solutionum corpore, quod compluries commemoravimus. Neque licet de hac quidem re dubitare.

συνέβη (cf. Horat. l. l. v. 11—16), *καὶ ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ, ὅσοις πόνοις καὶ κινδύνοις περιπεσὼν ὁ Ὀδυσσεὺς πάντων τῇ τῆς ψυχῆς συνέσει καὶ καρτερίᾳ περιεγένετο* (cf. v. 17—26). cf. Porphyrionis verba ad loc.: 'In Iliade enim ostendit vitia hominum, in Odyssia per Ulixis personam virtutes demonstrat.'

Digitized by Google

Priusquam autem ad ipsam hanc rem efficiendam aggredimur, aliud quid absolvere necesse est. Nam Athenaeus quoque in l. X p. 423[d], cum Ulpianus dipnosophista puerum admonuisset: *ἐμοὶ οὖν ὦ παῖ ζωρότερον κέραιρε*, ampliorem disputationem de *ζωρότερον* significatione inseruit, et solutionum ordine et ipsis enarrationis verbis Plutarcheae plane similem, auctam tamen quattuor comicorum testimoniis et Theophrastei libri *περὶ μέθης* quodam loco. Excerpsit Athenaeus, id quod Schraderus l. l. p. 375 adn. 1 rectissime vidit, Plutarcheum problema, cuius quaestiones convivales fuerunt in exemplis illius (II 52[d] Plutarcho laudato alludit ad quaest. conv. I 6 IV), cuius memoriam in mente habuit, cum inter dipnosophistas Plutarchum grammaticum induceret (cf. Kaibelii praef. ad vol. I p. VI). Neque uno verbo opus esset, nisi Brunkius (p. 3 adn. 7) ob Theophrasti testimonium Athenaei et Plutarchi locos ad eundem fontem referendos esse censuisset. Quae res a Plutarchi in auctoribus adhibendis ratione, quantum quidem ad hos libros pertinet, plane esset aliena. Neque enim tantopere ad verbum exscribere solet fontes suos philosophus Chaeroneensis. Sed in propatulo res est. Comicorum testimonia nimirum Athenaeus suo Marte addidit, sive ex lexicis sibi suppetentibus deprompsit, sive comicorum lectioni debuit (cf. VIII 335[d]). Iam vide compilantem Athenaeum. Nicerati apud Plutarchum sententiam ad verbum exscripsit, nisi quod nominis loco *'τινὲς δέ'* substituit. Quod autem Plutarchi *'ὃ δὴ καὶ λόγον ἔχειν'* immutavit in *'γὰρ.....ἄτοπον'* ex iudicii licentia factum est, nisi potius cum Schweighaeusero *'οὐκ'* excidisse mavis. Subinde enim apud Plutarchum legitur *'οὐκ ἄτοπον'*. Male vero excerpsit Sosiclis opinionem, quod Empedocle auctore *ζωρός* idem esset atque *εὔκρατος*, comparativum autem stare positivi loco velut *δεξιτερόν* pro *δεξιόν*, *θηλύτερον* pro *θῆλυ*. Quibus apud Athenaeum respondent haec: *ἄλλοι δὲ τὸ εὔκρατον ὅσπερ τὸ δεξιτερόν ἀντὶ τοῦ δεξιοῦ*, quae sic fere non intelleguntur, nisi forte grammaticus ille epitomator sexti septimive saeculi integrum Athenaeum contraxit. Denique si Antipatri sententiam cum Athenaeo comparaveris, apud hunc super-

Digitized by Google

esse invenies *τὸ ζα ὅτι μέγεθος ‘ἢ πλῆθος’ σημαίνει*, quod verbum nisi apud Plutarchum in memoria tam lacunosa excidisse putabis, Athenaeum ipsum adiunxisse facile credes. Qua re feliciter gesta Athenaeus Plutarchum de manibus posuit. Etiam Diphili versus adscripsit ratione non habita, quod *εὐζωρότερον* ibi nulli responderet earum significationum quas modo protulerat. In somniando Theophrasti quoque testimonium adglutinavit cum versibus Empedoclis, quod eandem explicationem iam ex Plutarcho adposuisset, plane securus. Unde tamen Theophrasti locum, cuius *περὶ μέθης* liber in dipnosophistarum l. X et XI compluries obviam fit, Athenaeus sumpserit, fere certo licet autumare. Loco illum subsequenti (X p. 424[e f]) quae Theophrastus narravit, Hieronymus Rhodius recepit ‘*καὶ οὗτος ἐν τῷ περὶ μέθης*’ [1]), quem non ipsum in manibus Athenaeum habuisse ex l. XIII p. 556[b] conclusit Bappius (*Beiträge zur Quellenkritik des Athenäus* in commentat. Ribbeck. p. 260), immo Seleuco grammatico Homerico Tiberii convivae deberi hanc quidem partem merito comprobare studuit (p. 265). Huius enim ‘*περὶ ἀρχαίων συμποσίων*’ opes Athenaeum in primo et decimo potissimum libro itemque in quarto et undecimo compilasse, sive ‘*ἐν συμμίκτοις*’ sive alicubi in illius libris fuissent compositae. Quamquam quomodo certiores fines Seleuco apud Athenaeum possint adscribi, aliis demonstrandum reliquit. Ex eiusdem ratione apparet Theophrasti de *ἀκρατοποσίᾳ* verba (p. 427[d]) cum Chamaeleontis ‘*ἐν τῷ περὶ μέθης*’ enarrationibus (p. 427[b c]) ad Seleucum, inde ad Athenaeum pervenisse. Eadem fuit via testimonii p. 429[b] (cf. Bapp. p. 261 l. l.), eadem l. XI p. 463[c] et 465[b], si Bappii (p. 263) coniectura de capite quarto (p. 460[f]) et Chamaeleontis *περὶ μέθης* testimonio recte se habet, id quod nobis videtur. Nam haec quoque capita ‘*περὶ ἀρχαίων συμποσίων*’ sunt. Eodem pertinet l. XI c. 18: *ἔθος*

1) De his *περὶ μέθης* peripateticorum litteris Aristotelis, Theophrasti, Hieronymi Rhodii, Chamaeleontis et quae inter singulos intercedat ratio, cf. Rosium in Aristot. pseudepigr. p. 116 et uberius disputantem Koepkium ‘de Chamaeleonte peripatetico’ (1856) p. 39 sq., de Aristotelis et Theophrasti libris his Zellerum ‘hist. philos. Gr.’ II 2[3] p. 103 adn. 1.

Digitized by Google

δ' ἦν πρότερον ἐν τῷ ποτηρίῳ ὕδωρ ἐμβάλλεσθαι κτλ. laudato Theophrasto quamvis titulo *περὶ μέθης* omisso, qui locus bene coniungitur cum l. X p. 427[d].[1]) Uno autem loco (XI p. 497[e]) sub lemmate *ῥυτόν* Theophrasti verba ex lexicographo quodam Athenaeo videntur innotuisse, quem Pamphilum esse ex Schoenemanni l. l. ratione facile credes, certis causis adhuc comprobari nequit. Quibus expositis non dubitamus, quin eo de quo agimus loco p. 423[f] Athenaeus Theophrasti testimonium cum Empedoclis versibus ex Seleuco Plutarcheae disputationi adnexuerit. Hoc quoque pro certo fere licet statuere fuisse Theophrasteam explicationem Empedoclis versibus nixam etiam in corpore illo peripatetico, unde eam Plutarchus in suas res deduxit (l. l. V 4 ι 3), velut continebatur illud Aristotelis: esse *ζωρότερον* idem atque *θᾶττον*, quod et Plutarchus (l. l. V 4 ιι 1) et Porphyrius (ad *I* 203) in suum usum vocaverunt.

Sed Dioscurideum cum hoc Plutarchi problemate conspirat fr. 22 apud Athen. I p. 10[c]. Quae verba primum quidem, quo loco nunc leguntur, vix possunt fuisse apud integrum Athenaeum, nequaquam apud Dioscuridem. Sic enim plane seiunguntur verba: *ἴσως οὖν οὐκ ἐγίνωσκεν κτλ.*, quibus ad Nestoris et Machaonis exemplum ineunte capite tractatum revertitur auctor. Nam quae de Hectore et Hecuba narrantur, huic exemplo inserta fuisse etiam nunc cognoscimus. Commissurae enim instar sunt verba: *καίτοι ἀλλαχοῦ λέγων τὸν οἶνον ἐκλύειν τὴν ἰσχὺν καὶ ἀπογυιοῦν* et Hectoris ad Hecubam versus (*Z* 265):

Μή μ' ἀπογυιώσῃς, μένεος δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι.

Multa autem in transponendis singulis enuntiatis peccasse Athenaei epitomatorem Kaibelius larga exemplorum copia demonstravit in Herm. vol. XXII p. 328 adn. 1, id quod hoc quoque loco eum commisisse non negabis. Videntur autem haec verba apud Dioscuridem fuisse in fronte totius de vini apud Homerum usu disputationis, quo loco apud Pseudo-Plutarchum l. l. c. 206 leguntur (fr. 22 p. 102, 24 sqq.). Quod autem varia no-

1) Alii etiam, quos hoc capite Athenaeus laudat auctores, in Seleuceis partibus citati erant: Xenophanes p. 462[c] l. XI, Anacreon p. 427[abd] 429[b]. 430[d] l. X, Hesiodus p. 428[b] l. X.

Digitized by Google

verit Homerus miscendi vini genera et suam Achilles habuerit mixtionem, in Plutarchi problematis ea parte insunt, in qua ipse Plutarchus suam enarrat solutionem. Ut enim Achillem contra Zoili crimen defendat, Phoenicem, Ulixem tamquam seniores meraciore vino gaudere Pelidem bene scientem fuisse profert. Dein haec leguntur: *ἔπειτα Χείρωνος ἂν μαθητὴς καὶ τῆς περὶ τὸ σῶμα διαίτης οὐκ ἄπειρος ἐλογίζετο δήπουθεν, ὅτι τοῖς ἀργοῦσι καὶ σχολάζουσι παρὰ τὸ εἰωθὸς σώμασιν ἀνειμένη καὶ μαλακωτέρα κρᾶσις ἁρμόζει.* Tum ob medicinae artem praedicatur Achilles et bibendi temperantiam. Unde haec quoque explicantur: *Λοιδορούμενος δὲ τῷ Ἀγαμέμνονι πρῶτον αὐτὸν οἰνοβαρῆ προσείρηκεν* (*A* 225) *ὡς μάλιστα τῶν νοσημάτων τὴν οἰνοφλυγίαν προβαλλόμενος.* Dioscuridis autem de temulentia disputantis apud Athen. p. 11[b] haec sunt: *καὶ ὁ Ἀχιλλεὺς δ' ὀνειδίζων τῷ Ἀγαμέμνονί φησιν* (*A* 225)· *'οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων'.* Denique in Plutarcheae quaestionis exitu Achillis *'συνήθην κρᾶσιν'* componas cum Athenaei *'καθημερινῇ'*. Ergo in sua ipsius quidem solutione enarranda Plutarchus Dioscuridem secutus videtur esse, cuius opus ei suppetiisse convivales quaestiones conscribenti Schraderus evicit l. l. p. 373 sqq. Sed eandem quamvis curtatam Porphyrius servavit (ad *I* 203): *οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἔθους* (sc. *λύουσιν*). *'... ἢ ἴσως ὡς μουσικὸς καὶ ὑδαρέστερον πίνων, ἀφ' ὧν ὀνειδίζει καὶ οἰνοφλυγίαν Ἀγαμέμνονι.* Quam ob rem etiam in corpore illo peripatetico fuisse videtur, quod et Plutarcho et Porphyrio patebat. Quae coniectura duabus causis nobis confirmari videtur. Primum quidem peripatetici illi solutores id agebant, ut heroum dicta et facta contra Platonis potissimum et Zoili opprobria defenderent (cf. Schrader. l. l. p. 424). Zoilum illud *ζωρότερον κέραιρε* Achilli crimini obvertisse Plutarchus docet, Plato autem de re publ. III p. 390[a] vituperaverat Achillis verba: *οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων.*[1]) Dein Plutarchus et Porphyrius conspirant in ipsa voce *'οἰνο-*

1) Quem versum multifarie etiam defendisse solutores vide apud Porphyrium ad *A* 225, quas res ex eodem peripateticorum opere collectaneo prodiisse Schraderus opinatur l. l. p. 426.

Digitized by Google

φλυγία', quae ad Aristotelis illud nos remittit (de arte poetica c. 25): *οὐ τὸ ἄκρατον ὡς 'οἰνόφλυξιν' ἀλλὰ τὸ θᾶττον*, quam solutionem illud corpus continuisse ex Plutarchi et Porphyrii consensu constat. Quae cum ita sint, his rebus exponendis et Dioscuridi et Plutarcho et Porphyrio eundem praesto fuisse fontem elucet. Ergo Dioscurides quoque copias illas peripateticorum solutorum novit et suae materiae adhibuit.

Qua re comprobata ad quaestionem eam delabimur, utrum Porphyrius omnino in quaestionibus Homericis componendis Dioscuridis *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* librum adhibuerit, id quod ex Schraderi observationibus (l. l. p. 374 sqq.) constare videbatur, an ex eodem fonte peripateticarum illarum solutionum et Dioscuridi et Porphyrio suppeditata sint, quae similia uterque exhibet. Quamquam autem et Dioscuridis [1]) et Porphyrii libris contractis tantum utimur, tamen certum iudicium fieri potest. Quae adhuc Schraderus ex Dioscuridis opere in Porphyrii quaestiones transiisse putabat, ad Athenaei ipsum illud caput 17 spectant de vini apud Homerum usu et ad sententiam quandam de cenis heroum apud Athenaeum c. 19 exeunte et apud Porphyrium ad *Θ* 53 explanatam. Quae de Hectore et Hecuba apud Athenaeum leguntur p. 10^{c}: *καὶ ἡ μὲν ἀπεριστάστως ἐπαινεῖ τὸν οἶνον, ὃ δὲ μετὰ ἄσθματος ἤκων ἀπωθεῖται*, apud Porphyrium ad *Z* 265 in quaestionis breviore forma (p. 101, 23 Schr.) his respondent: *ἢ ὅτι μετέωρον ἔχει τὸ πνεῦμα ὡς δρομαῖος ἐλθών, σπεύδει δὲ καὶ ἀπελθεῖν δρομαῖος*. Quae autem apud Athenaeum sunt: *καὶ ἡ μὲν ἀξιοῖ πεῖσαντα πιεῖν, ὃ δὲ καθημαγμένος ἀσεβὲς ἡγεῖται*, apud Porphyrium in ampliore quaestionis forma (p. 101, 5 sqq. Schr.) ea solutione continentur, qua '*καθ' ὑπερβατόν*' versus *Z* 265 post 268 transponitur. Quas res tam ample apud Dioscuridem narratas fuisse, ut hinc Porphyrius eas potuerit in suum usum convertere, praesertim cum hoc de Hectore et

1) Satis tamen integram Dioscuridis commentationem ab Athenaei epitomatore traditam esse Kaibelius coniecit in praef. Athen. vol. I p. XVII, quod in libris V et XI epitomator Homericarum rerum studiosum se praestitisset.

Digitized by Google

Hecuba exemplum medium in Nestoris et Machaonis insertum fuisse comprobaverimus, quis est qui credat? Immo ex eadem illa peripateticorum doctrina haec ad utrumque manaverunt. Item apud Porphyrium ad *Λ* 624 de Nestore Machaoni saucio Pramnium vinum ministrante quaestio illa, utrum in ipso potando cibos edi oporteat necne, diligentius et fusius exponitur, quam ut ex Dioscuride (fr. 23 p. 104, 2—9) sua delibare potuerit Porphyrius. Hoc quoque loco uterque eodem fonte usus est. [1])

Restat ut Porphyrium de Homericis cenis ad *Θ* 53 disputantem audiamus: *δεῖπνον λέγεται καὶ τὸ ἐξ ἑωθινοῦ ἀκράτισμα, ὡς νῦν ἐν τοῖς προκειμένοις* (*Θ* 53. 54), *καὶ τὸ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενον ἄριστον, ὡς ἐν τῷ*

· ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὠπλίσσατο δεῖπνον (*Λ* 86).

καὶ πάλιν ἄριστον τὸ ἀκράτισμα·

ἐντύναντο ἄριστον ἅμ' ἠοῖ κειαμένῳ πῦρ (*π* 2).

Quocum Dioscurides, postquam Aristarchum secutus de tribus Homericis cenis sententiam exposuit, conspirat in fr. 29 p. 109, 10—14. Etiam haec optime potuerunt locum habere in peripatetico illo opere, unde ad utrumque pervenerint, quippe quae

---

1) Quomodo autem hae de Nestore et Hecuba narrationes apud Dioscuridem compositae fuerunt ita, ut illic Homerus commendare videretur vini usum, hic reicere, eadem ratione iam una tractatae fuisse videntur in corpore illo peripatetico. Nam apud Porphyrium quoque in quaestionum ipso opere olim has coniunctas exstitisse probabile est. (De pristino quaestionum ordine cf. Schrader. l. l. in praefat. p. IV. V.) Quae enim solutiones ad *Z* 265 et *Λ* 624 nunc traduntur, ex iisdem partim videntur prodiisse. Sic ad *Z* 265 in priore scholio (p. 100, 21 Schr.) leguntur haec: *ἡ γὰρ τροφὴ σὺν τῷ οἴνῳ τὸ πλεῖστον συμβάλλεται εἰς δύναμιν, ὅσπερ καὶ ἀλλαχοῦ εἶπεν ὁ ποιητής* (*I* 706)·

σίτου καὶ οἴνοιο, τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή (Diomedes loquitur)

καὶ πάλιν (*T* 167 sq., sunt Ulixis)·

ὅς δέ κ' ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς

ἀνδράσι δυσμενέεσσι κτλ.,

quibuscum Dioscuridis conferas fr. 23 p. 104, 6—9. Quo pertinent quae in posteriore scholio sunt (p. 101, 21 Schr.): *ἢ ὅτι δίχα τροφῆς βλάπτει τῶν νεύρων καθαπτόμενος, ὥς φησι Λύκος.* Quae optime demum ex medicorum ratione explicantur quaestione ad *Λ* 624 servata. Omnem autem horum scholiorum doctrinam Dioscurides quasi comprehendit fr. 23 p. 104, 2—5.

Digitized by Google

prohibeant ab Homero luxuriam quandam, quod bis tantum Homerici heroes videantur cenasse, cum *ἄριστον* et *δεῖπνον* nominibus eadem significetur cena.[1])

In eodem de temulentia capite Athen. l. I 18 quae narrantur, quod iactantiae poenam paene luisset Aeneas (fr. 25 p. 105, 20. 21, p. 106, 1—3), eadem morali ratione deflexa leguntur in scholio Ven. B ad *Y* 84: *παιδευτικὰ ταῦτα, τῆς παρὰ τοῖς συμποσίοις προπετείας ἀπαλλάσσοντα, δι' ὧν φησι τὸν Αἰνείαν διὰ τὰς παρ' οἴνῳ ὑποσχέσεις ὀλίγου δεῖν κινδυνεῦσαι.* Quam doctrinam ex eodem fonte, ex quo de vini apud Homerum usu suae rei Dioscurides fructum cepit, et huic suppeditatam esse et in scholia pervenisse probabile est, ex peripatetico illo collectaneo opere.

Certius autem hunc eundem fontem nobis deprehendere videmur in eis quae de vetustis cantoribus disputavit Athenaeus p. 14[b] sqq. (fr. 37 p. 116, 1 sqq.) collatis scholiis quae ad *γ* 267 aetatem perduraverunt. Peripatetici enim Demetrii Phalerei[2]) potissimum sunt quae illic exponuntur: *οὕτω Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.* Aliis narratis de Demodoco cantore Pythia vincente, cum Menelaus et Ulixes Delphicum Apollinem adirent, haec leguntur: *τὸν δὲ Δημόδοκον εἰς Μυκήνας λαβὼν Ἀγαμέμνων ἔταξε τὴν Κλυταιμήστραν τηρεῖν. ἐτίμων δὲ λίαν τοὺς ᾠδοὺς ὡς διδασκάλους τῶν τε θείων καὶ παλαιῶν ἀνδραγαθημάτων, καὶ τῶν ἄλλων ὀργάνων πλέον τὴν λύραν ἠγάπων. δηλοῖ δὲ καὶ Κλυταιμήστρα τὴν εἰς αὐτὸν τιμήν. οὐ γὰρ φονεύειν ἀλλ' ἀφορίζειν αὐτὸν ἐκέλευσε.* Quae amplius aliud

1) Eandem sententiam amplectuntur scholia Ven. A et quod paulo plenius est Ven. B ad *B* 381: *δεῖπνον τὸ ἑωθινὸν ἄριστον* (velut Porph. ad *Θ* 53), *ὃ δι' ἀνάγκην πρὸ τοῦ δέοντος ποιοῦνται. δόρπον δὲ τὸ ἑσπερινὸν δόροπόν τι ὄν, τὸ μετὰ τὴν παῦσιν τῶν δοράτων διδόμενον. τὸ δὲ δεῖπνον ἔσθ' ὅτε πᾶσαν τροφήν. Αἰσχύλος δὲ κακῶς 'ἄριστα δεῖπνα δόρπα θ' αἱρεῖσθαι', τρισὶ δ' οὐδέποτε οὔτε μνηστῆρες οὔτε μὴν κύκλωψ ἐχρῶντο τροφαῖς,* quae ampliore etiam ratione Eustathius persequitur ad *B* 381 p. 242, 17 sqq. Ex iisdem peripateticis thesauris haec originem ducere nunc probabile videtur.

2) Huius de studiis Homericis vide Sengebuschii dissertationem Homericam priorem in Dindorfii Iliadis edit. p. 89 sqq.

Digitized by Google

Ambrosiani libri *E* scholion persequitur ita, ut ipsius Athenaei verba bene possint cum his componi, id quod Schweighaeuserus in animadvers. ad locum princeps indicavit.

Athenaei sunt:	scholii:
σῶφρον δέ τι ἦν τὸ τῶν ἀοιδῶν γένος καὶ φιλοσόφων διάθεσιν ἐπέχον.	τὸ ἀρχαῖον οἱ ἀοιδοὶ φιλοσόφου τάξιν ἐπέσχον καὶ πάντες αὐτοῖς προσεῖχον ὡς σοφοῖς, καὶ παιδευθῆναι τούτοις παρεδίδοσαν τοὺς ἀναγκαίους. .....
Ἀγαμέμνων γοῦν τὸν ἀοιδὸν καταλείπει τῇ Κλυταιμήστρᾳ φύλακα καὶ παραινετῆρά τινα· ὃς πρῶτον μὲν ἀρετὴν γυναικῶν διερχόμενος ἐνέβαλλέ τινα φιλοτιμίαν εἰς καλοκἀγαθίαν, εἶτα διατριβὴν παρέχων ἡδεῖαν ἀπεπλάνα τὴν διάνοιαν φαύλων ἐπινοιῶν. διὸ Αἴγισθος οὐ πρότερον διέφθειρε τὴν γυναῖκα πρὶν τὸν ἀοιδὸν ἀποκτεῖναι ἐν νήσῳ ἐρήμῃ.	καὶ ὁ καταλιφθεὶς οὖν παρὰ τῇ Κλυταιμήστρᾳ ᾠδὸς πονηρὰς ἐπινοίας ἐγγίνεσθαι ἐκώλυε, διηγούμενος ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀρετάς. καὶ ἕως τούτου ἐσωφρόνει, ἕως αὐτῇ παρῆν οὗτος.

Quod scholion ex eodem fonte prodiisse atque illud, cuius fronti ipsum Demetrii nomen praefixum est, haec ultima quoque verba demonstrant: *τοῦτόν τινες Χαριάδην, οἱ δὲ Δημόδοκον καλοῦσιν, οἱ δὲ Γλαῦκον.* Nam illa de Chariade sententia est Timolai, in altero quoque scholio commemorata: *Τιμόλαος δὲ ἀδελφὸν αὐτόν φησιν εἶναι Φημίου, ὃν ἀκολουθῆσαι τῇ Πηνελόπῃ εἰς Ἰθάκην πρὸς παραφυλακὴν αὐτῆς· διὸ καὶ βίᾳ τοῖς μνηστῆρσιν ᾄδει* coniuncto scholio ad π 325: *οὗτος ὁ ἀοιδὸς* (secl. Phemius) *ἀδελφὸς ἦν Χαριάδου* (cf. Dind. adnot.) *τοῦ Κλυταιμήστρας ᾠδοῦ συνάρας ἀπὸ Λακεδαίμονος Πηνελόπῃ.* Demodocum autem illum nominatum fuisse Demetrius Phalereus voluit, nescio quis Glaucum. Cum Timolai autem verbis de Phemio Penelopae quasi custode prolatis haec conspirant quae apud Athenaeum insecuntur: *τοιοῦτός ἐστι* (velut

Digitized by Google

Clytemestrae) *καὶ ὁ παρὰ μνηστῆρσιν ἀείδων ἀνάγκῃ, ὃς τοὺς ἐφεδρεύοντας τῇ Πηνελόπῃ ἐβδελύττετο.* Dein quae super Demodoci de Marte et Venere cantu apud Athen. p. 14^{c} (fr. 37 p. 116, 13—17) sunt, his duas contineri solutiones Wilamowitzius rectissime animadvertit, cum ἤ particulam inter utramque vellet inseri. Quas ex eiusdem peripatetici corporis indole illa, qua ab Homero hoc quoque prohiberetur crimen, petitas esse fere certo licet statuere. Denique haec quoque Athenaei: *καὶ τοῖς μνηστῆρσιν ᾄδει πρὸς τὴν αὐτὴν βουλὴν ὁ Φήμιος νόστον Ἀχαιῶν* (α 326) quodammodo cum scholii ad α 327 possunt comparari hac solutione: *καὶ φαμὲν ὅτι οἰκονομικῶς ὁ Φήμιος τοῦτο ποιεῖ, ἵνα τῆς τοιαύτης ἀοιδῆς τοῦ Φημίου ἡ Πηνελόπη ἀκροωμένη τοῦ οἰκείου ἀνδρὸς μνημονεύῃ καὶ ἀποσοβῇ τοὺς μνηστῆρας.* Hoc scholion ad eundem fontem revocandum esse non negabis, sive intercesserit Porphyrius, sive ex ipso illo corpore in scholia devenerit, quode ambigi potest. Probamus autem Wilamowitzii, in quam nos quoque incideramus, correcturam ‘*πρὸς τὴν αὐτὴν βουλήν*’ pro codicum memoria ‘*αὐτῶν*’, ut haec verba quasi respondeant illi ‘*οἰκονομικῶς*’, quod ‘consulto’ cecinisset Phemius Achivorum reditum. Nam in Schweighaeuseri traditae scripturae explicatione ‘ipsorum admonendorum causa’ vix aliquis acquiescat.

Ad peripatetici corporis subsidia etiam in eis proferendis confugit Dioscurides, quae apud Athen. I p. 17^{e} de Ulixe et Achille leguntur inter sese certantibus gaudente Agamemnone, ‘*λόγῳ ἢ μάχῃ αἱρεῖσθαι δεῖ τὸ Ἴλιον*’ (fr. 36 p. 115, 13—17). Nam qua de re inter sese certaverint, ex Homero non discimus. Sed aeque peritum se praestat Porphyrius in solutionibus ad ϑ 75. 77 servatis, ut probrum illud ab Homero arceatur, ne ‘*χαιρέκακος*’ videatur Agamemnon de amicorum contentione. Haec potissimum adferre iuvabit ad ϑ 77: *λύουσι δὲ ἐκ τῆς λέξεως οἱ μέν, ὅτι μάχονται οἱ ἄνθρωποι οὐ μόνον ἀφιλέχθρως, ἀλλὰ καὶ φιλονεικοῦντες ὑπὲρ καλοῦ καὶ ἀρετῆς*, quibuscum Dioscuridis componas haec: *ἀλλ' ὠφέλιμοι αἱ φιλοτιμίαι ζητούντων κτλ.* Infra autem sunt: *καὶ ὁ μὲν Ἀχιλλεὺς ἔλεγε δι' ἀνδρείαν ἁλῶναι τὸ Ἴλιον, ὁ δὲ Ὀδυσσεὺς διὰ μηχανῆς καὶ*

Digitized by Google

φρονήσεως, et ad ϑ 75 haec sunt: *ὁ μὲν βιάζεσθαι παρήνει .... ὁ δὲ δόλῳ μετελθεῖν.* Unde Schweighaeuseri coniecturam, qui *λόγῳ* in *δόλῳ* apud Athenaeum corrigi voluit, confirmari lubens concedes. Cum Porphyrii et Dioscuridis consensus tum ipsa rei indoles peripateticum prodit opus.

Denique idem liber eis videtur quodammodo subesse, quae leguntur p. 9[b] (fr. 1 p. 90, 18—21, p. 91, 1. 2) de Nestoris sacrificio, qui ipse cum filiis mactaverit boves '*βασιλεὺς ὢν καὶ πολλοὺς ἔχων ὑπηκόους*'. Nam quae secuntur, quod sanctissimum diisque acceptissimum illud sit sacrificium, quod per cognatos amicissimosque fiat viros, tanquam solutionis instar sunt quaestionis Porphyrianae (ad γ 411. 412): *διὰ τί ὁ Νέστωρ βασιλεὺς ὢν τοῖς αὑτοῦ παισὶν ἐπιτέλλει τὰ τῶν δούλων καὶ τῶν ὑπὸ χεῖρα;* Quamquam hoc quidem loco haec aetatem non tulerunt.[1])

1) Eiusdem originis nobis videntur esse, quae apud Athen. XIV p. 660[b] sunt: *καὶ Ἀγαμέμνων δὲ παρ' Ὁμήρῳ θύει βασιλεύων. φησὶ γὰρ ὁ ποιητής* (Γ 292 sqq.)·

ἦ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέι χαλκῷ

κτλ. et haec potissimum: *καὶ Θρασυμήδης ὁ τοῦ Νέστορος υἱὸς ἀναλαβὼν πέλεκυν κόπτει τὸν βοῦν, ἐπεὶ διὰ τὸ γῆρας ὁ Νέστωρ οὐκ ἐδύνατο. συνεπόνουν δὲ αὐτῷ καὶ οἱ ἄλλοι ἀδελφοί.* Sed vix ex Dioscuride huc illata videntur. Nam omnino in his capitibus de coquis sacrificis sermo est, in hoc quidem de huius artis prisco honore. Haec autem Homerica exempla quamquam non tam arte cohaerent cum ipsis eis quae antecedunt, tamen nobis vix separanda videntur ab censorum Romanorum exemplo, quod subsequitur, quippe qui ipsorum manu victimas ceciderint. Quod ab Dioscuride alienum est. Contra hoc loco Dioscuridem putamus Nestoris exemplum protulisse, quo nunc apud Athenaeum est. Ubi non tam hanc heroum '*αὐτουργίαν*' curavit, quam id comprobare voluit 'bovem' sacrificasse regem et 'bubulae' carnis Pylios quoque edisse heroas (cf. p. 9[b]). Neque quae de praeconum apud Homerum ministerio hoc Athenaei capite sunt (p. 660[cd]), Dioscuridi tribuimus, quamquam quodammodo cum scholio ad ο 319 conveniunt. Eadem fere in l. X p. 425[d] ita interposita sunt, ut disputationis cursum interrumpant (cf. Bapp. in comment. Ribb. l. l. p. 260) eodem Cleidemo laudato (cf. Müller. F. H. G. I 359 sqq.), cuius partes sunt in his Athenaei l. XIV capitibus 79. 80.

Digitized by Google

Caput II.

Quoniam de fontibus Dioscuridei libri disputavimus, quantum ex Brunkii dissertatione ei adscribere licet, alterum illud interest: novis detectis vestigiis propagare libelli fines. Ac primum quidem operis expilatorem proferimus adhuc ignotum. Nam Dionem quoque Chrysostomum novisse Dioscuridis librum et in suum usum convertisse contendimus. Quam ad rem comprobandam exordium capere lubet a media altera oratione, in qua quid Homerus de optimo rege doceat, Philippus et Alexander inter sese disceptantes inducuntur.

Ubi Alexander p. 87 R:	Quibuscum plane congruunt apud Athenaeum haec p. 8[f]:
εὐωχεῖ γε μὴν ἀπὸ κρεῶν τοὺς ἥρωας [1] *καὶ τούτων βοείων* [2]*, δῆλον ὅτι ἰσχύος, οὐχ ἡδονῆς ἕνεκεν.*	*ἁπλῆν οὖν ἀπέδωκε τὴν δίαιταν πᾶσι, ... ὀπτὰ παρατιθεὶς πᾶσι κρέα, καὶ ταῦτα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βόεια ..... καὶ οὐ θρῖα καὶ κανδύλην, ... ἀλλ' ἀφ' ὧν εὖ ἕξειν ἔμελλον τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν.*
τὸν γοῦν Ἀγαμέμνονα τὸν συμπάντων βασιλέα καὶ πλουσιώτατον βοῦν ἀεί φησιν θύειν καὶ ἐπὶ τοῦτον καλεῖν τοὺς ἀρίστους. καὶ τὸν Αἴαντα μετὰ	*Αἴαντα γοῦν* [3]*) μετὰ τὴν*

1) Utrum *ὀπτῶν* hoc loco apud Dionem exciderit, id quod facile fieri potuit in tanto genetivorum numero, necne, dubii haeremus, cum gravius videatur, quam quod Dionem prorsus praetermisisse probabile sit, nisi forte ipsam ob genetivorum copiam consulto contempsit scriptor elegantiae sermonis studiosissimus.

2) Suidae s. v. *Ὅμηρος* ex integriore Athenaeo plane eadem sunt: *κρειῶν ....., καὶ τούτων ὀπτῶν καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βοείων.*

3) *οὖν* exhibent epitomae codices, *γοῦν* correxit Dindorfius, probavit Meinekius. Quod et sensu paene flagitatur et Dionis loco commendatur: *τὸν γοῦν Ἀγαμέμνονα .... καὶ τὸν Αἴαντα κτλ.* Kaibelius quidem traditam scripturam retinuit, cui in eodem constituendo enuntiato ne illud

Digitized by Google

τὴν νίκην φιλοφρονεῖται τοῖς νώτοις τοῦ βοός.

μονομαχίαν νώτοισι βοῶν γέραιρεν ὁ Ἀγαμέμνων. . . . . .

ἰχθύων δὲ οὐδέποτε γενομένους αὐτοὺς ἐποίησε καὶ ταῦτα ἐπὶ τῆς θαλάττης στρατοπεδεύοντας, καίτοι τὸν Ἑλλήσποντον, ὥσπερ ἐστίν, ἰχθυόεντα ἑκάστοτε καλῶν.

p. 9d: Ἑλλήσποντον δὲ Ὅμηρος ἰχθυόεντα προσαγορεύων . . . . . καὶ εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καταριθμῶν τὸ τὴν θάλασσαν ἰχθῦς παρέχειν, ὅμως τούτων οὐδὲν οὐδένα ποιεῖ προσφερόμερον.

πάνυ γὰρ ὀρθῶς αὐτὸ τοῦτο ἀπεμνημόνευσεν ὁ Πλάτων.

ἀλλ᾽ οὐδὲ τοὺς μνηστῆρας ἰχθύσιν ἑστιᾷ, σφόδρα ἀσελγεῖς καὶ τρυφεροὺς ὄντας, ἐν Ἰθάκῃ καὶ ταῦτα ἑστιωμένους.

p. 9b: καὶ τοὺς μνηστῆρας δὲ ὑβριστὰς ὄντας καὶ πρὸς ἡδονὰς ἀνειμένους οὔτε ἰχθῦς ἐσθίοντας ποιεῖ οὔτε ὄρνιθας. Denique compara haec p. 9d: καὶ ἐν τῇ Ἰθάκῃ εἰδὼς λιμένας πλείους καὶ νήσους προσεχεῖς πολλάς, ἐν αἷς ἰχθύων ἐγίνετο πλῆθος.

Eundem et Chrysostomo et Athenaeo fluxisse fontem luce clarius est. Quaecunque autem sunt apud Dionem, fuisse omnia apud Dioscuridem certis argumentis etiam nunc comprobari potest. Nam quae de Agamemnonis conviviis in Athenaei epitoma nunc desiderantur, Suidas servavit ex integriore Athenaeo s. v. Ὅμηρος (fr. 1 p. 90, 3. 4). Qua re argumentum gravissimum eis addere licet, quae Kaibelius et Brunkius protulerunt, quo uno Hilleri de Suidae interpolatore infringatur

quidem concedimus. quod βοῶν deleri voluit, cum Suidas illud omisisset. Quamquam autem in versibus *H* 321. 22, quo haec spectant, βοῶν expressim mentio non fit, tamen hic illud deesse non potest, quod potissimum auctoris interfuit, 'bubula' terga proposuisse Aiaci Agamemnonem.

Digitized by Google

opinio. Quod autem illud quoque legebatur apud Dioscuridem abstinuisse heroas piscibus *'καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττης στρατοπεδεύοντας'*, huius observatiunculae testis Plutarchus est (in quaest. conv. IV 4 III 4) [1]) eundem fontem secutus: *'ὡς μηδ' ἰχθύσι χρῆσθαι παρὰ τὸν Ἑλλήσποντον στρατοπεδεύοντας.'* In qua quidem re ut in totius argumenti summa Dioscurides pendet a Platone [2]) (de re publ. III p. 404$^{b\,c}$), id quod non fugit Dionem Platonis scientissimum, unde illius verba: *πάνυ γὰρ ὀρθῶς αὐτὸ τοῦτο ἀπεμνημόνευσεν ὁ Πλάτων*, nisi forte ipse Dioscurides Platonici testimonii mentionem iniecit. Sunt autem Platonis haec: *καὶ παρ' Ὁμήρου τά γε τοιαῦτα μάθοι ἄν τις. οἶσθα γάρ, ὅτι ἐπὶ στρατείας ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ, καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς, ἃ δὴ μάλιστα ἂν εἴη στρατιώταις εὔπορα. πανταχοῦ γὰρ ὡς ἔπος εἰπεῖν αὐτῷ τῷ πυρὶ χρῆσθαι εὐπορώτερον ἢ ἀγγεῖα ξυμπεριφέρειν. καὶ μάλα. οὐδὲ μὴν ἡδυσμάτων, ὡς ἐγῷμαι, Ὅμηρος πώποτε ἐμνήσθη.* Ne ultima quidem quae Platonis sunt, Dioscuridem fugisse documento sunt Athenaei haec p. 9^{a}: *καὶ οὐ θρῖα καὶ κανδύλην καὶ ἄμητας μελίπηκτά τε τοῖς βασιλεῦσιν ἐξαίρετα παρατίθησιν Ὅμηρος.*

Quae secuntur apud Dionem p. 88 R de verbis *μενοεικὴς δαίς*, qua *μένος* i. e. *ἰσχύς* praebeatur, num Dioscuridi debeantur, comprobari non potest, quamquam optime rei conveniunt. Sed iam deprehendimus Dioscuridem: *ταῦτα δὲ λέγει* (de simplici heroum victu) *διδάσκων καὶ παραινῶν κτλ.* (fr. 11 p. 95, 21—26) [3]). En habes quod Dioscuridis libro quasi sigillum impressum est, quod Homerus quamquam hac illa re abstinentes heroas finxerit, piscium cibo, myrrhae et coronarum

---

1) Cf. Brunkium l. l. p. 3.

2) Item Platonici Phaedri quendam locum p. 230^{d} Dioscurideis eis apud Athen. I 25^{b} (fr. 13 p. 98, 14. 15) subesse, quae in Tantali enarrando supplicio de pastore sunt, qui virides frutices ostentans ducat cupidum gregem, Schweighaeuserus docuit in animadvers. ad loc.

3) *ἐφιχνεῖσθαι* scribendum esse censemus cum Reiskio et Emperio pro codicum memoria *ἀφιχνεῖσθαι*.

Digitized by Google

usu, carnis coctione, aliis, tamen ipse ipsarum rerum haud ignarus inducitur, de qua re Brunkius disputavit p. 8 sqq. Quantopere autem Aristarchus ei hac quoque parte auxilio fuerit, supra demonstravimus p. 133 sqq., cf. Lehrs. l. l. p. 333. Ex Athenaeo vero huc spectant, utpote quae ab heroum simplicissimo victu prorsus abhorreant, p. 16^c (fr. 11 p. 95, 6—8; fr. 17 p. 99, 12), et quae dubitanter huc referri voluit Brunkius (p. 9 adn. 14) apud Athen. p. 25^e (fr. 11 p. 95, 14—18). Immo haec quoque verba: *ὡς ἀνακύπτειν τὰς Σικελικὰς καὶ Συβαριτικὰς [καὶ Ἰταλικὰς]* [1]) *τραπέζας ἤδη καὶ Χίας* haud cunctanter ad Dioscuridem revocabis, si haec Dionea comparaveris: *ὥστε τοὺς περὶ ταῦτα νῦν ἐπτοημένους Πέρσας καὶ Σύρους καὶ τῶν Ἑλλήνων Ἰταλιώτας καὶ Ἴωνας μηδὲ ἐγγὺς ἐφικνεῖσθαι τῆς παρ' Ὁμήρῳ χορηγίας καὶ ἁβρότητος.* Videntur autem Athenaei verba accuratius nobis reddere ipsum fontem quam Dionis simpliciorem qualem apud Dioscuridem legebat sermonem exaggerantis. Brunkius (p. 39) ipsum Athenaeum haec verba consarcinasse sibi persuasit ex libro XII, ubi de Tyrrhenorum, Siculorum, Sybaritarum luxuria disseruit. Sed tam arte cum eis quae antecedunt cohaerent et ita rei conveniunt, ut ipsam hanc ob causam vix secernenda esse putemus. Ne de Timoclis quidem testimonio concedimus (fr. 11 p. 96, 2—4). Nam ipsos Chios bene commemoratos fuisse censemus, scilicet unde Homerum oriundum fuisse et luxuriam novisse Dioscurides fortasse putaverit, quod in verbis '*ἤδη δὲ καὶ Χίας*' inesse videtur. Quae autem de Chiis dicuntur, ex comico sunt deducta. Comicorum omnino studiosus fuisse videtur Dioscurides. Comicorum versus p. 11^c apud eum fuisse videntur (cf. supra p. 127), Antiphanis p. 12^c et Eubuli p. 25^c vix possunt propter rem ei detrahi.[2])

Hanc eandem '*πολυτέλειαν*', qua quidem regias et domus

---

1) Quin '*καὶ Ἰταλικάς*' Kaibelium secuti glossematis loco irrepsisse putemus, non impedimur Dioneo: '*καὶ τῶν Ἑλλήνων Ἰταλιώτας*'. Qui pro Chiis Iones substituerit, eum pari modo Siculas et Sybariticas mensas sua sponte ita comprehendisse facile putabimus.

2) Aliter Brunkius p. 5 adn. 11.

Digitized by Google

Homerus splendidissime ornatas descripserit, apud Dioscuridem enarratam et exemplis illustratam fuisse iterum Dionis et Athenaei consensu discimus, quamvis exigua sint, quae Athenaeus et Athenaei epitomatores nobis reliquerunt p. 16ᵉ (fr. 17 p. 99, 12, 23—28). Menelai aedibus celebratis sequitur Alcinoi regiae exemplum, quod suo Marte coniunxit Athenaeus cum historiola de Iberici cuiusdam principis domo ex Polybio desumpta.[1]) Denique Calypsus mentio fit: *Ὅμηρος δὲ τοπογραφῶν καὶ τὴν Καλυψοῦς οἰκίαν ἐκπλήττει τὸν Ἑρμῆν.* Merito autem cum his conferes quae apud Dionem leguntur inde a verbis p. 83 R: *οὐδὲ οἴκησιν ἀξιοῖς κατεσκευάσθαι τὸν βασιλέα κτλ.* Succurrit enim Dioscuridis libri ratio, ut Athenaeo inter dipnosophistas disputandi materiem obtulit[2]), Philippo quoque adversus Alexandrum velitanti, ut hanc *'δαπάνην καὶ πολυτέλειαν'* opprobret Homero, uso Alcinoi et Menelai exemplis p. 85 R[3]) (fr. 17 p. 99, 13—22). Et ne Calypsus quidem antrum apud Dionem desideratur p. 86 R (fr. 17 p. 100, 19—29).[4]) [5])

---

1) Cf. XXXIV 9, 15 Hu. 2) Cf. Brunkium l. l. p. 24 adn. 26.

3) Inde haec quoque Dionis quodammodo exorta videntur esse, in or. LXXIX p. 432 R II: *καὶ ὅτι χρυσῷ τὰς οἰκίας ἐρέπτουσι καὶ μεστὰ πάντα ἀργύρου καὶ ἠλέκτρου καὶ ἐλέφαντος, ὁποῖα Ὅμηρος εἴρηκε τὰ Ἀλκίνου καὶ τὰ Μενελάου βασίλεια ὑπερβάλλειν τότε ἀληθὲς καὶ τὸ δυνατὸν σχεδόν.*

4) Huius similem descriptionem Atalantae antri ex Calypsus Homerico exemplo (ε 55 sqq.) expressam vide apud Aelianum var. hist. XIII 1.

5) Quae his similia enarrat Iulianus imperator p. 66, 10 H de Alcinoi et Menelai domuum magnificentia, p. 144, 25 H de Calypsus antro et Phaeacum luxuria, alia, Dioneae lectionis videntur esse vestigia. Nam Prusensem bene novit Iulianus, laudavit in or. VII p. 275, 18 H. Uno autem loco, quo de piscium esu agitur ne procis quidem ab Homero concesso, in Misopog. p. 452, 4 H (fr. 2 p. 92, 20—22), non solum Dionem videtur secutus esse propter avium commemorationem, quae desideratur apud illum in or. II p. 88 R (fr. 2 p. 91, 20—22), cum concinant in ipsis *τρυφῆς* et *ἀσελγείας* verbis, quae nec Plutarchus nec Athenaeus eiusdem rei expilatores exhibent. Sed ipsius Dioscuridis librum etiamtunc patuisse Iuliano nemo comprobare poterit. Nobis quidem videtur sua quasi contaminasse ex Dione et Athenaei his: *καὶ τοὺς μνηστῆρας .... οὔτε ἰχθῦς ἐσθίοντας ποιεῖ 'οὔτε ὄρνιθας'*, cuius thesauros Iuliano, qui ipse scripsit convivium, exempli instar ignotos fuisse vix quisquam putabit.

Digitized by Google

Haec sunt quae in hac altera oratione cum Athenaeo ita conspirant, ut certo ad Dioscuridem referenda videantur. De aliis posthac videbimus. Quamquam facile conicitur, quae de templis narrentur ornandis hostium armis (p. 83 R), de Ulixis domo firma atque tuta (p. 86 R) hac quoque parte omnibus antecellentis, eidem deberi fonti, quippe quae opposita sint Homericae illi in describendis domibus Menelai et Alcinoi magnificentiae. Sed desunt certa argumenta. Quae autem de Diomede in pelle bubula recumbente leguntur p. 87 R (fr. 8), eis apud Athenaeum ex more Dioscuridei operis quasi respondere videntur, quae p. 17[b] (fr. 15) de Aretae et Nestoris narrantur pretiosis stragulis et lectis eleganter constructis. Ad quam consuetudinem putamus pertinere Dionis quaedam verba, quae insunt in alterius orationis mediis istis exemplis Homericae interpretationis, de qua modo disputavimus. Sunt haece p. 87 R (fr. 10): *δεῖ δὲ τοῦ ποιητοῦ τὰ μὲν ὡς συμβουλεύοντος καὶ παραινοῦντος ἀποδέχεσθαι, τὰ δὲ ὡς ἐξηγουμένου μόνον, πολλὰ δὲ ὡς ὀνειδίζοντος καὶ καταγελῶντος.* Ergo Homerum quasi omnium virtutum et vitiorum scientia, omnino omni eruditione praeditum his quidem rebus docentem agere, illis referentem tantum statuit Chrysostomus, tertium autem quod commemoratur de illudente Homero, nimirum quasi primo continetur. Quod haud scio an bene concinat cum stoicorum ratione, in qua excolenda eis praeierat Antisthenes, qui quomodo Homerum interpretati sint, Dio testatur in or. LIII p. 276 R II: *Ὁ δὲ Ζήνων οὐδὲν τῶν τοῦ Ὁμήρου ψέγει ἅμα διηγούμενος καὶ διδάσκων, ὅτι τὰ μὲν κατὰ δόξαν, τὰ δὲ κατὰ ἀλήθειαν γέγραφεν, ὅπως μὴ φαίνηται αὐτὸς αὑτῷ μαχόμενος ἔν τισι δοκοῦσιν ἐναντίως εἰρῆσθαι..... ἔτι δὲ καὶ Περσαῖος ὁ τοῦ Ζήνωνος κατὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν γέγραφε καὶ ἄλλοι πλείους.* Quem locum nuper bene explicavit Dionis oratione VII p. 254 sq. R adhibita Ernestus Weber l. l. p. 224 sq. Nimirum quae ex veritate Homerus a stoicis dixisse fingitur, ea nostra in re eum docentem inducit rhetor Prusensis, quae ex opinione hominum narrasse dicitur, *'ἡγούμενος τὴν τῶν πολλῶν διάνοιαν περί τε πλούτου καὶ τῶν ἄλλων, ἃ θαυμάζουσι'* (VII p. 254 R),

Digitized by Google

ea referre tantum Homerum statuit. Quam ob rem in hoc quoque libelli persequendo consilio ab stoicis pendere Dioscuridem similemque Aristarchi rationem (cf. p. 133. 160) cum stoicorum doctrina quodammodo cohaerere comprobatum esse censemus.

Sed multa etiam supersunt in hac altera Dionis oratione Dioscuridea frustula. Quae ut cognoscamus, Homerica succurrunt scholia. Hagenus nuper in dissertatione quam inscripsit 'quaestiones Dioneae' Kiliae 1887 emissa talia composuit p. 55—63, quae Dioni cum scholiis communia essent. Quamquam hanc quidem materiem minime exhausit. Ex quo consensu mirum in modum sibi evicisse ille visus est (p. 55. 62 sq.) scholiis Homericis usum esse Dionem nostris similibus sed locupletioribus, unde omnem suam uberem de Homericis rebus doctrinam petiisset Prusensis. Quae res ab omni probabilitate ita abhorret, quantum quidem novimus Dionem, quem una cum Plutarcho huius aetatis omnigenis litteris versatissimum nuncupare solemus, ut vix pluribus eam refutare opus esse videatur. Meliores enim hercle Dioni patebant fontes. Quae alterius orationis exempla protulit Hagenus (p. 55—57), ea Dioscuridem illi fere omnia suppeditasse probabile est, scholia autem haec quidem Aristonici potissimum videntur. Item quae septimae et undecimae maxime orationum (p. 57—62) in comparationem vocavit, quae ex Zoili ratione scripta esse Duemmleri (l. l. p. 39) prona est coniectura, ex iisdem ipsis fontibus et ad Dionem et in scholia pervenisse rectius statuetur. Sed haec quidem non curamus.

Cum Homericis scholiis Ven. B ad *Δ* 429 et *Γ* 2 et Porphyriano quodam frustulo ad *Δ* 401 Hagenus contulit p. 56, quae Dio p. 90 R de Achivis et Troianis exposuit diversa ratione ab Homero descriptis (fr. 43 p. 119, 21—28, 7—13). Quae re vera Dioscurideae esse originis Plutarchus testatur, qui eiusdem rei expilatorem se praebet in libelli de audiendis poetis capite 10 p. 29de [1]) (fr. 43 p. 119, 1—6 = p. 119, 21—28), et de

1) Eandem de legum oboedientia sententiam Plutarchus protulit etiam in vita Cleomenis p. 808de: *οἱ γὰρ δειλότατοι πρὸς τοὺς νόμους θαῤῥαλεώτατοι πρὸς τοὺς πολεμίους εἰσί* laudato versu *Δ* 431.

Digitized by Google

Troianorum tibiis conspirat Athenaeus p. 16^b (fr. 42 p. 118, 20—22). Aristarchum autem in his persequendis rebus Dioscurides videtur secutus esse, id quod quantum quidem ad tibias a barbaris adhibitas pertinet, supra p. 138 sq. iam tetigimus. Aristonicus enim ad verba: *Τρῶες .... ἄβρομοι αὐϊαχοι* (*N* 41) in Ven. A haec habet: *ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ ἄγαν βρομοῦντες καὶ ἄγαν ἰαχοῦντες, κατ' ἐπίτασιν τοῦ α κειμένου. ἑκάστοτε γὰρ θορυβώδεις τοὺς Τρῶας παρίστησιν.* Eiusdem autem interpretationis fragmina multa etiam natant in scholiorum Homericorum colluvie, plura quam Hagenus attulit, quae ex Aristarcheis copiis superesse nunc facile tibi persuadebis. Huc enim pertinent quae Venetus B ad hunc versum *N* 41 servavit: *ἄβρομοι*] *πολύβρομοι. φύσει γὰρ ὄντες θορυβώδεις τῇ νίκῃ πλεῖον θορυβοῦσιν*, quae cum Dionis verbis bene conveniunt. Diversos omnino Graecorum et Troianorum exercitus depinxisse Homerum in scholiis exponitur Ven. A ad *Γ* 1, Ven. B ad *Γ* 2 (cf. Hagen. l. l.): *ἄμφω τὰς στρατιὰς διατυποῖ καὶ μέχρι τέλους οὐκ ἐξίσταται τοῦ ἤθους 'ὥστ' ὄιες πολυπάμονος'* (*Δ* 433) *καὶ 'ἐς Τρώων ὅμαδον κίεν'* (*H* 307). Ad *Δ* 433 autem in Ven. B haec sunt: *εἴωθεν δ' ἀεὶ ἀντιπαραβάλλειν τὸ θορυβῶδες τῶν Τρώων. δεινὸν δὲ καὶ κατωφερὲς ἡ ὄις*, et ad *H* 306. 307 in eodem libro: *ἐπὶ μὲν Αἴαντος τὸν λαόν, ἐπὶ δὲ Ἕκτορος ὅμαδόν φησι διαστείλας. ἀεὶ γὰρ θορυβώδεις αὐτοὺς ἐκδέχεται.* Tum ad *Θ* 542 in utroque codice haec leguntur: *καλῶς ἐπὶ μὲν τῶν Ἑλλήνων φησὶν 'Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον'* (*B* 333), *ἐπὶ δὲ τῶν Τρώων 'κελάδησαν' λέγει. θορυβῶδες γὰρ (ἀεὶ) τὸ βαρβαρικόν.* Unde hoc quoque scholion Aristarcho iure vindicaveris in Ven. B ad *Δ* 437: *εἰκότως τὸ βάρβαρον θορυβεῖ μᾶλλον, ἑτερόγλωσσον ὄν. ὃ γὰρ μή ἐστιν ὁμόφωνον, τοῦτο ἀνάγκη θορυβεῖν.* Sed super Graecorum laude plane similia Plutarcheis et Dioneis verbis exhibet scholion Ven. B ad *Δ* 429 (cf. Hagen. l. l.): .... *ὑποφαίνει γοῦν ἄκρως ὡς εὐπειθεῖς Ἕλληνες τοὺς πολεμίους οὐ δεδιότες ἀλλὰ μᾶλλον τοὺς ἡγεμόνας.* Ex hac autem Aristarchea doctrina Porphyrius quoque verborum: *'τὸν δ' οὔτι προσέφη κρατερὸς Διομήδης αἰδεσθεὶς βασιλῆος ἐνιπήν'* (ad *Δ* 401. 402) hanc solutionem sibi con-

Digitized by Google

formavisse videtur, quam Hagenus l. l. contulit: *σώφρων ὅστις οὐδέποτε τοὺς πολεμίους δείσας φοβεῖται τὴν ἐπίπληξιν τοῦ στρατηγοῦ. καὶ νῦν μὲν ἵνα μὴ δοκεῖ εἶναι λάλος, ἡσυχάζει.* Porphyrium enim Aristarcheorum operibus sive ipsis sive opere illo Homerico ex horum libris composito usum esse Schraderus comprobavit l. l. p. 447. 469. 470.[1]) Idem l. l. p. 426. 448 ex Plutarchi et Porphyrii consensu utrique a peripatetico illo corpore haec submínistrata esse putavit. Sed Aristarcheas copias his subesse, quas et Plutarcho et Dioni Dioscurides praebuerit, nunc nostro iure contendimus.

Quae quidem Dionis p. 89 R (fr. 44 p. 119, 14—20) de Care, sive Naste sive Antimacho, puellae more auro ornato (*B* 867 sqq.) comparavit Hagenus (p. 56) cum scholio Ven. B ad *B* 872: *Εὔφορβος μέντοι καὶ Γλαῦκος χρυσᾶ ὅπλα ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κωμῳδοῦνται, ἐπεὶ μὴ γυναικεῖα τὰ αὐτῶν ὡς τὰ τούτου,* haec quoque ex Aristarcho derivata esse non negabis, si quae in Ven. A ad *B* 871 Aristonici sunt, legeris: *.. καὶ ὅτι οὐ λέγει ὅπλα αὐτὸν ἔχειν χρυσᾶ ..., ἀλλὰ κόσμον χρυσοῦν. λέγει γὰρ 'ἠύτε κούρη'. ἐνεπλέκοντο γὰρ χρυσὸν οἱ βάρβαροι. 'πλόχμοι θ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκοντο'* (*P* 52 de Euphorbo). Quibuscum haec quoque Dionis concinunt (p. 90 R): *οὔκουν φαίνεται χρυσοφορίας ἐπαινῶν ὁ Ὅμηρος καὶ ταῦτα εἰς πόλεμον, ψελίων τε καὶ στρεπτῶν κτλ.* (fr. 44 p. 120, 2—5). Si non ipsa arma commemorat Dio, tamen tanquam singula servavit *χρυσῶν φαλάρων καὶ χαλινῶν* mentionem, quae non vituperasset Homerus. Eodem pertinent quae in Ven. A curtata et sic vix recte expressa sunt ad *P* 52: *ἀλλὰ λανθάνουσιν οἱ βάρ-*

---

1) Ab Aristarcheis haec quoque mutuatus est Porphyrius, quae ei cum Dioscuride communia sunt de mensis adstantibus et removendis ad *A* 449 et *δ* 52, quode vidimus. Utrum autem inter hanc quaestionem (cf. etiam ad *α* 138): *διὰ τί δὲ μετὰ τὸ δεῖπνον οὐ ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους ἀπονίπτοντας τὰς χεῖρας* et Dioscuridis haec apud Athen. p. 18[f]: *παρατηρητέον δὲ ὅτι ἐν μὲν Ὀδυσσείᾳ ἀπονιζομένους τὰς χεῖρας ποιεῖ πρὶν μεταλαβεῖν τροφῆς, ἐν Ἰλιάδι δὲ τοῦτο ποιοῦντας οὐκ ἔστιν εὑρεῖν* (fr. 20 p. 102, 5—7) neglecto ceteroqui versu *A* 449 vinculum quoddam intercedat eadem ratione necne, nunc parum perspicitur (cf. Schrader. l. l. p. 376 adn. 2).

Digitized by Google

βαροι οὐκ ἐπὶ καλλωπισμῷ φέροντες τὸν χρυσόν, ἀλλὰ λάφυρα τοῖς πολεμίοις. Nam nobis haec videntur idem fere voluisse quod apud Dionem p. 89 R legitur hunc in modum: *καταγελῶν αὐτοῦ* (sc. *Ὅμηρος τοῦ χρυσῷ καλλωπιζωμένου Κᾶρος*) .... *ὅτι τοῖς πολεμίοις ἆθλα ἐκόμιζε τοῦ θανάτου σχεδόν* (fr. 44 p. 120, 1. 2). Ex hoc autem Dionis et Aristarchi consensu fere certum esse putamus apud Dioscuridem haec narrata fuisse, eo quidem loco, ut videtur, quo illum secutus de barbarorum et Graecorum diversa ratione disputavit Dioscurides, id quod, quamquam in hoc quidem exemplo apud Dionem non tantopere palam fit quantopere in Aristarcheis his scholiis, certe in eis, quae apud eum subsecuntur (fr. 43).

Quae autem de Achillis cithara (p. 55) et de Merione saltatore (p. 57) Hagenus protulit, Dioscuridea videri meliore loco infra p. 177 et 179 comprobabitur. Alia contra via nostro quidem iudicio eorum fuit, quae de Agamemnonis laude quasi optimi regis cum tauro comparato Dio p. 96 et 97 R et Porphyrius ad *B* 482 exhibent similia (cf. Hagen. l. l. p. 57) [1]). Cuius rei coniecturam inde facere licet, quod in Plutarchi personati libello in c. 87 fere eadem leguntur: *σχῆμα δὲ βασίλειον καὶ ὑπερέχον ἐτύπωσε διὰ τούτων: 'ἠύτε βοῦς ἀγέλῃφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων'* (*B* 480). Unde Porphyrium et Pseudo-Plutarchum sua ex stoico illo allegoriarum corpore hausisse probabile est. Qui autem auctor huius operis conditori haec subministraverit, eundem Dioni praebuisse putamus. Nam apud Dioscuridem haec vix videntur fuisse.[2])

Denique, quae Hagenum omnino fugerunt, Dionis p. 87 R (fr. 8 p. 94, 6—8) in altera oratione de Diomede verba cum scholiis quibusdam comparare licet. Ex Dioscuride haec manavisse supra p. 162 comprobare studuimus, quippe quae cum

---

1) Haec quoque Dionis de tauro verba p. 98 R: *ἀλλὰ τῶν ἀφρόνων ζώων ἡγεμονικώτατόν γε καὶ ἄριστον πεφυκότα* .... cum Porphyrianis (ad *B* 478) comparare licet: *λοιπὸν δὲ τὸ ἡγεμονικὸν καὶ ἔξαρχον τῶν ἄλλων ταύρῳ ἀπείκασεν.*

2) Antisthenem de Agamemnone similia docuisse exposuit Ernestus Weber l. l. p. 232.

Digitized by Google

eis essent coniungenda, quae Athenaeus servavit p. 17ᵇ (fr. 15). Haec Dionis et Athenaei doctrina quasi comprehenditur scholiis Ven. A ad *I* 661 et Ven. B ad *K* 75 ad eundem fontem referendis. Illo enim loco haec sunt ad verbum *ῥῆγος*: *λέγει οὖν βαπτὸν περιπόλαιον, οἱ δὲ τάπητα. οἰκεία δὲ ἡ κοίτη τῷ γέροντι*, scilicet Phoenici. *καὶ ὁ Νέστωρ καθεύδει 'εὐνῇ ἔνι μαλακῇ'* (*K* 75). *οἱ δὲ ἑταῖροι τοῦ Διομήδους ὑπὸ κρασὶν εἶχον ἀσπίδας* (*K* 152), *καὶ αὐτὸς ῥινὸν ὑπέστρωτο βοὸς ἀγραύλοιο* (*K* 155). Ad *K* 55 haec leguntur: *μαλακὴ γὰρ στρωμνή ἐστι τῷ γέροντι* (scil. Nestori) *ὡς καὶ τῷ Φοίνικι. τῷ δὲ Διομήδει νεωτέρῳ ὄντι ὑπέστρωτο ῥινὸς βοός* (*K* 155)· *τὸν δὲ Ὀδυσσέα κατέκλινεν Εὔμαιος ὑποβαλὼν ῥῶπας καὶ δέρμα αἰγός* (ξ 49). Quae scholia cum nulla vestigia exstent, cur Aristarcho tribuantur, ex peripatetico illo collectaneo opere originem ducere iure quodam conicias, unde Dioscurides quoque haec potuerit lucrari. Apud cynicos quoque circumlatum fuisse illud Diomedis exemplum Ernestus Weber l. l. p. 232 ex Diogenis quae fertur quadam epistula XXXVII (p. 251, 45 H.) comprobare studuit.

Cum haec altera Dionis oratio repleta sit Dioscurideis copiis, frustra quaesieris in aliis orationibus, ut ipsum hunc libellum subesse evincas. Unum restat exemplum. Similem quendam interpretandi morem de Antinoi morte luserunt et Dioscurides apud Athen. p. 10ᶠ (fr. 25 p. 105, 16—19) et Dio in or. LV p. 288 et 289 R II. Hic enim accuratius illud exemplum persequitur, ut nihil temere et sine consilio induxisse Homerum demonstret. Itaque de Antinoo omnium procorum maxime libidinoso haec dicit: *ὁμοίως δὲ καὶ τοῦτον ἀποθανόντα ἐποίησεν, οὐκ εἰκῇ πληγέντα διὰ τοῦ λαιμοῦ, οὐχ' ὅπου ἔτυχεν, ὥσπερ ἀμέλει τὸν Πάνδαρον διὰ τῆς γλώσσης.*[1]) Sed ipsius Dioscuridis librum Dioni de Antinoo observatum esse his elucet:

1) Eadem de Pandaro Demetrium Scepsium docuisse Athenaeus demonstrat VI p. 236ᶜ: *φησὶν δ' ὁ Σκήψιος Δημήτριος ὡς καὶ Πάνδαρον διὰ τὸ ἐπιωρχηκέναι* (sc. *τιτρώσκεσθαι*), cf. Gaedii dissertationem: 'de Demetrii Scepsii quae supersunt', Gryphiswaldae editam 1880 (fr. 74 p. 58). Ceteroqui de Pandaro supra disputavit Dio in or. LV p. 287 R II.

Digitized by Google

Dionis sunt p. 289 R II (fr. 21 p. 102, 18—23):	Apud Athen. p. 17b de procis haec leguntur (fr. 21 p. 102, 14. 15):
τελευτῶν δὲ ἐπεχείρει τοξεύειν ἄπειρος ὢν τοξικῆς καὶ τὰς χεῖρας οὕτω ὑπὸ τρυφῆς διεφθαρμένος[1]), ὡς μὴ δύνασθαι ἅπτεσθαι τῆς νευρᾶς, εἰ μή τις ἐπιχρίσειε στέαρ (φ 175 sqq.) ... μηδὲ ἐπιτείναι δυνάμενος τὸ τόξον κτλ.	οὕτω δὲ διὰ τὴν τρυφὴν τὰς χεῖρας οἱ μνηστῆρες ἔχουσιν ἁπαλάς, ὡς μηδὲ τὸ τόξον ἐντεῖναι δύνασθαι.

Nimirum inde non concludimus haec Athenaei verba apud Dioscuridem cum Antinoi exemplo coniuncta fuisse. Immo Dionem liberius fonte suo usum esse credimus. Nam optime cohaerent cum ineuntis capitis 29 his: καὶ οἱ μνηστῆρες δὲ παρ᾽ αὐτῷ πεσσοῖσι προπάροιθε θυράων ἐτέροντο (fr. 21 p. 102, 12. 13). De Phaeniae autem et Apionis testimoniis extrinsecus ex Pamphilo additis rectissime Brunkium iudicavisse censemus l. l. p. 34. Fuerunt haec in ea quidem libri parte, ubi de magnificentia et luxuria Phaeacum et procorum disputavit Dioscurides.

Deinde Plutarchus quibus locis et qua ratione Dioscuridis librum in suum usum converterit, nondum absolvit Brunkius, ut non sine fructu hanc rem denuo nos tractaturos esse speremus. Nam non solum in quaestionibus convivalibus, sed etiam in nonnullis aliis Plutarchi libris Dioscuridis vestigia insunt.[2]) Adhuc Schraderus (l. l. p. 374 sqq.) consensum animadvertit inter ea, quae apud Athenaeum in l. I c. 19 et apud

---

1) Videntur quasi huc respicere Dionis verba in or. VII p. 267 R de ἀργίᾳ disputantis: καὶ ὅτι ἄλλως τὰς χεῖρας ἔχεις κατὰ τοὺς μνηστῆρας ἀτρίπτους καὶ ἁπαλάς (φ 251).

2) Qua in re nobis totum Plutarchum versantibus, cum Duebneriano indici fides plane nulla sit, auxilio venerunt, quas res congessit et disposuit Ammonicitius in dissertatione 'de Plutarchi studiis Homericis', Regimonti Borussorum edita a. 1887, cf. imprimis p. 36 sqq. 'de cultu et victu heroum'.

Digitized by Google

Plutarchum in quaest. conviv. VIII 6 IV de cenis heroum exponuntur (fr. 29 p. 108, 1—9 = p. 108, 16—25, p. 109, 19), et inter ea, quae apud Athen. in l. I c. 16 et Plut. in quaest. conviv. VIII 8 III sunt de piscium cibo ab Homerica aetate alieno (fr. 2 p. 91, 10—15 = p. 91, 23—26). Brunkius (p. 3) huc spectare vidit in quaest. conviv. IV 4 III haec quoque: *οἱ γοῦν ἥρωες κτλ.* (fr. 2 p. 91, 28—32), quibus quasi comprehenduntur, quae sunt apud Athen. in capite 15 et capitis 16 initio. Idem rectissime (p. 4 sq.) cum Plutarchea illa quaestione (VIII 8 III) contulit etiam Athenaei caput 22 praeter 16 (fr. 12 p. 96, 5—14 = p. 96, 18—26). Denique eandem rem protulisse illum comprobavit (p. 21) in libelli de Iside et Osiride c. 7 (fr. 12 p. 96, 27—30, p. 97, 25. 26), ita adhibitam, ut Aegyptios sacerdotes piscium esu abstinere demonstraret. Nos autem supra p. 163 Chaeroneensem expilasse Dioscurideum opus docuimus in libro de audiendis poetis p. 29de collato Dione II 90 R (fr. 43 p. 119, 1—6 = p. 119, 21—28).

Nimirum Plutarchum compilatorem ex more Athenaei deprehendi non exspectamus. Sed licentius alienam materiem suis rebus intexere solet variatam non raro et suo consilio adaptatam, ut interdum leviter res stringens ex lectione sua meminisse tantum videatur. Cuius rei exemplum suppeditat ex ipsis etiam quaestionibus convivalibus problema l. II 10: *πότερον οἱ παλαιοὶ βέλτιον ἐποίουν πρὸς μερίδα ἢ οἱ νῦν ἐκ κοινοῦ δειπνοῦντες*, si Aristarcheum illud caput apud Athen. l. I 21 potissimum, quo *δαὶς ἴσῃ* explicatur, in comparationem vocaveris. Quae enim Plutarchi ineunte in problemate sunt (fr. 34 p. 112, 16—18), nituntur Aristarchea illa etymologia *δαίς* vocis: '*ἐν ταῖς θυσίαις ἑκάστῳ μερίδος ἀποκληρουμένης.*' Dioscurides autem illam persequitur apud Athen. p. 12^{e} (fr. 34 p. 112, 5—11). Deinde ex Dioscuride derivata est illa sententia in Hagiae verbis (l. l. I 4), quod sua cuique convivarum apposita sit mensa, suum cuique poculum (fr. 35 p. 113, 31—33). Nam cum his componas velim, quae sunt apud Athen. p. 11^{f} (fr. 31 p. 110, 14. 15) et p. 13^{d} (fr. 35 p. 113, 24. 25, p. 114, 1). Imprimis autem Dioscuridis vestigia hac re palam fiunt, qua

Digitized by Google

ratione ipse Plutarchus harum epularum defensionem suscepit l. l. II 3. Nam quae de cenarum indole exposuit, antequam sua cuique distributa fuisset portio (fr. 34 p. 112, 22—27), plane eis respondent, quae Athenaeus de eadem re enarrat p. 12[d] (fr. 34 p. 112, 14. 15, p. 113, 1—4).

Denique haec ipsa inter sese comparentur, quibus uterque pergit l. s. s.:

Plutarchus (fr. 34 p. 113, 26—31):	Athenaeus (fr. 34 p. 113, 4—6, 9—11):
Ὅσον δὲ χρόνον ἡ Μοῖρα καὶ ἡ Λάχεσις ἰσόιητι τὴν περὶ τὰ δεῖπνα καὶ συμπόσια κοινωνίαν ἐρράβευον, οὐδὲν ἰδεῖν ἄκοσμον ἰν οὐδ' ἀνελεύθερον.	*ὡς δὲ παρεγένετο αὐτοῖς πολλὴ ἐκ τῆς Λίμητρος διένεμον ἑκάστῳ ἴσην, καὶ οὕτως εἰς κόσμον ἦλθε τοῖς ἀνθρώποις τὰ δόρπα.*
	. . . . .
ἀλλὰ καὶ τὰ δεῖπνα δαῖτας ἐκάλουν, καὶ τοὺς ἑστιωμένους δαιτυμόνας, δαιτροὺς δὲ τοὺς τραπεζοκόμους ἀπὸ τοῦ διαιρεῖν καὶ διανέμειν.	*ὥστε ἡ τροφὴ δαὶς ἐπὶ τῷ δαίεσθαι λέγεται, ὅ ἐστι διαμοιρᾶσθαι ἐπ' ἴσης. καὶ ὁ τὰ κρέα ὀπτῶν δαιτρός, ἐπεὶ ἴσην ἑκάστῳ μοῖραν ἐδίδου.*

Quae res summi momenti videtur ei quaestioni indagandae, quomodo exortae sint hae quaestiones convivales. Volkmannus enim (*Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch* I 55 sqq.) sermones eis contineri existimabat re et veritate habitos, quos ex schedularum adumbrationibus (cf. l. l. p. 177) fusius et ornatius enarrasset Plutarchus. Atque eandem sententiam amplectitur Ernestus Grafius in commentationibus Ribbeckianis (*Plutarchisches* inde a p. 59), fidam in his inesse memoriam arbitratus. Idem quae necessario inde secuntur, colligere audet his: de fontibus in componendis convivalibus quaestionibus omnino non esse cogitandum (p. 61). Ex eis autem quae supra exposuimus efficitur Chaeroneensem philosophum vel ipsos in conscribendo auctores adiisse vel quos fructus ex lectitando cepisset, eos scite sermonibus inseruisse. Ante nos etiam alii quaestionum fontes statuere. Sic Valentinus Rose (Aristot. Pseudep. p. 116) problemata quae Aristo-

Digitized by Google

telis nomine feruntur, largam ei praebuisse materiam animadvertit. Dein Schraderus (l. l. p. 376 et 426) et Porphyrium in zetematis Homericis et Plutarchum in symposiacis corporis illius solutionum Homericarum peripatetici copias diripuisse comprobavit. Bappius quoque (de font. quibus Athen. in rebus musicis lyricisque enarrandis usus sit, in stud. Lips. VIII p. 97) eidem fonti iure tribuit, quae de Pylade et Bathyllo saltatoribus iisdem fere verbis Plutarchus (quaest. conviv. VII 8 III) et Athenaeus (I p. 20de) produnt. Quem Seleucum Tiberii convivam esse idem nuper evicit in commentat. Ribbeck. p. 258 sqq. Quodsi in ipsis conviviis huius aetatis viri docti ita colloqui solebant, ut quasi gloriarentur, quantum ex litterarum lectione meminissent, quanto magis hoc factum esse putabimus in conscribendis istis rebus, quas fortasse tetigerant in illis colloquiis? Immo vero late etiam patuisse in his libris Plutarchi fingendi et exornandi artem et in personis inductis et in rebus tractatis, ut non raro sermones veritate omnino non habitos esse censendum sit, vel hinc conicias quod inde a Socraticorum temporibus peculiare erat litterarum genus 'conviviorum', in quibus omnigena doctrina solebat enarrari. Athenaei totum dipnosophistarum fictum convivium nuncupasse satis est.

Cum Plutarchi problemate l. VII nono: *ὅτι βουλεύεσθαι παρὰ πότον οὐχ ἧττον ἦν Ἑλληνικὸν ἢ Περσικόν* (cf. Herodot. I 133), id quod Agamemnonis in Iliade conviviis comprobatur versuum *H* 324 *I* 93. 70. 74 copia laudata, plane conveniunt Athenaei in l. V c. 19 haec verba: *ἐν ἐνίοις δὲ καὶ τῶν Περσικῶν συμποσίων ἐγίνοντό τινες καὶ βουλαὶ καθάπερ ἐν τῷ τοῦ Ἀγαμέμνονος κατὰ στρατείαν.* Sed huius capitis initium Seleuco deberi suo iure Bappius comprobavit (l. l. p. 265), cui haec tribuenda esse nos quoque putamus, quippe quae magis Seleuco *περὶ ἀρχαίων συμποσίων* disputanti adaptata videantur quam Dioscuridis rationi. Plutarchum autem a Seleuceo illo opere pendere non miraberis, cum in antecedenti quoque quaestione (VII 8 III) inde eum quaedam sumpsisse modo commemoratum sit. Tamen Dioscuridis in huius Athenaei capitis initio sunt haec: *οἱ νέοι τῶν ἐλευθέρων ᾠνοχόουν ὡς ὁ τοῦ*

Digitized by Google

Μενελάου υἱός, ᾽καίτοι νυμφίος ὑπάρχων καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς γάμοις᾽, quorum verborum mentio fluxit ex l. I p. 18ᵇ. Neque enim ipsis in nuptiis (in l. *δ*) pincernam agit Megapenthes, sed *ο* 141, cum Sparta proficiscitur Telemachus. Quae recte proferuntur a Seleuco (apud Athen. X p. 424ᵉ, cf. Bapp. l. l.): *ᾠνοχόουν τε παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οἱ εὐγενέστατοι παῖδες, ὡς ὁ τοῦ Μενελάου υἱός*

ᾠνοχόει δ᾽ υἱὸς Μενελάου κυδαλίμοιο (*ο* 141).

Ceteroquin autem huius capitis prior pars usque ad verba: *κατὰ τὴν στρατείαν* ex rerum indole ad Seleucum videtur referenda.[1]) De reliquis infra erit dicendum. Sed Plutarchum quoque in eodem problemate praeter Seleucum etiam Dioscuridem adiisse haec documento sunt in quaestionis exitu (fr. 45 p. 120, 11—13): *οἱ δὲ τῷ Ἑρμῇ πυμάτῳ σπένδοντες, ὅτε μνησαίατο κοίτου* (*η* 138), *ἆρ᾽ οὐχ τὸ αὐτὸ συνάγουσι τῷ οἴνῳ τὸν λόγον;* De qua stoicorum doctrina supra disputatum est.

Tum haec quoque ex Dioscuride meminisse videtur Plutarchus, quae in quaestione iam commemorata IV 4 III 8 de caepa tanquam Homerico cibo obiter inseruit (fr. 13 p. 97, 30, p. 98, 28. 29). Nam huius fuerunt (apud Athen. p. 24ᶠ): *ἀλλὰ μὴν καὶ τοῖς κακοχυμοτάτοις κρομύοις ἐχρῶντο· ᾽ἐπὶ δὲ κρό-*

---

1) Similia tamen eis, quae apud Seleucum fuerunt: *καὶ δοῦλος οὐδεὶς ἦν ὁ διακονήσων, ἀλλ᾽ οἱ νέοι τῶν ἐλευθέρων ᾠνοχόουν, ὡς ὁ τοῦ Μενελάου υἱός ..... καὶ τἆλλα δὲ πάντα παρεσκεύαζον τοῖς δειπνοῦσιν ἐλεύθεροι,* etiam apud Dioscuridem videntur narrata fuisse, ex quibus nunc nihil restat nisi hoc apud Athen. p. 17ᵇ: *πολυτελεῖς δ᾽ αὐτοῖς καὶ οἱ διακονούμενοι* (fr. 16). Cum his rebus scholia Ven. A et B ad *A* 470 conspirant ad verba notata: *κοῦροι μὲν κρητῆρας κτλ.*] *ἀρχαῖον ἔθος οἰνοχοεῖν τοὺς νέους. διὸ καὶ παῖδας μέχρι τοῦ νῦν τοὺς δούλους φαμέν. καὶ Γανυμήδης καὶ Ἥβη ὑπηρέται θεῶν εἰσιν* (*Y* 234 *Δ* 2). In Ven. B autem etiam haec sunt: .. *οἰνοχοεῖ δὲ υἱὸς Μενελάου. ᾽ἐπὶ δ᾽ ἀνέρες ἐσθλοὶ ὄρνυτο οἶνον ἐποινοχοεῦντες᾽* (*γ* 471). *διὸ καὶ παῖδας κτλ.* Quae nunc videntur Seleuceae originis esse, nisi forte Aristarchi sunt, ut inde sua habere Seleucum censendum sit. Nam *πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἔθος* saepe (cf. Lehrs. l. l. p. 11) illum diplen posuisse scimus, dein illius rationem sapiunt scholia nec illo videntur indigna. Sed interim ambiguum maneat iudicium.

Digitized by Google

μυον ποτοῦ ὄψον' (*Δ* 630) (fr. 13 p. 97, 25—27, cf. Athen. p. 10[b], fr. 23 p. 103, 13).

Denique in Plutarchei Convivii septem sapientium quodam loco (c. 13 p. 156[e]) male tradito Dioscuridem nobis deprehendere videmur, quem ex Hauptii et Bernardakis curis versibus qui irrepserunt deletis *Δ* 262. 263 sic legi volumus: *ἐπεὶ τάς γε προπόσεις αὐτάς, ἔφη* (scil. Mnesiphilus), *πυνθάνομαι λέγειν τοῖς παλαιοῖς ἐνδεῖν, 'δαιτρόν'* [1]), *ὡς Ὅμηρος ἔφη* (*Δ* 262), *καὶ μετρητὸν ἑκάστου πίνοντος, εἶτα ὥσπερ λείας* [2]) *μέριδας μεταδιδόντος τῷ πλησίον.* Quo haec quoque Chersiae poetae quae subsequitur quaestio pertinet: *ἆρ' οὖν, ἔφη, καὶ τοῖς θεοῖς ὁ Ζεύς, ὥσπερ τοῖς ἀριστεῦσιν ὁ Ἀγαμέμνων, μετρητὸν ἐνέχει τὸ ποτόν, ὅτε προὔπινον ἀλλήλοις ἑστιώμενοι παρ' αὐτῷ;* Quibus fuisse quasdam veteribus propinationes apud Plutarchum legitur, his Dioscuridea respondent apud Athen. p. 13[f] de heroum *'διὰ τῆς προπόσεως ἀσπασμῷ'* (fr. 35 p. 114, 17) et in l. V quaedam potissimum verba p. 193[a] (fr. 35 p. 114, 27. 28). Quae autem de vini partitione apud illum sunt, cum Dioscuride conveniunt apud Athen. p. 12[a] (fr. 34 p. 112, 8 = p. 112, 19—21). Tum quod suae quisque partis conviva aliis largiri solitus esset, hoc quoque Dioscuridis fuit apud Athen. p. 14[a] (fr. 35 p. 115, 10—12 = p. 115, 24. 25). Denique deos quoque inter sese propinasse in Dioscuridis libello legebatur apud Athen. p. 13[f] (fr. 35 p. 114, 17—19 = p. 114, 30—33). 'Convivii' vero Plutarcheam originem si recte contra Volkmannum (l. l. I 188 sqq.) comprobarunt G. Herrmannus [3])

1) Hercherus ut huic loco difficillimo aliquo modo succurreret, quamquam leni mutatione *αὐτάς* correxit in *λιτάς*, tamen iusto audacius traditorum verborum loco *λέγειν τοῖς παλαιοῖς* scribi voluit *πίνειν τοὺς παλαιούς*. At tamen multo aptiorem et simpliciorem medelam Bernardakis adhibuit, cum in corrupta voce *ἔνδεινον* latere cognovisset verba: *ἐνδεῖν δαιτρόν*. *Δαιτρόν* autem iam restituerat Meziriacus.

2) Traditae litterae *αἷας* sunt. Quod autem nuper Kaibelius coniecit in Herm. vol. XXII p. 505 *'ὥσπερ ἰδίας μερίδος'* propter *ὥσπερ* ibi plane supervacaneum non probamus. Immo ab omni parte Hauptii praeplacet inventum *'ὥσπερ λείας'*, quod nec Hercherum nec Bernardakim recepisse miramur.

3) 'Quaestiones criticae de Plutarchi Moralibus. Part. I *τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον*'. Halis 1875.

Digitized by Google

et Muhlius [1]), ista quoque Dioscuridis memoria ex Plutarchi ratione iniecta hanc rem aliquantulum iuvare posse putamus.

Pauca addimus de Plutarcho personato libelli *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου* auctore ut Dioscuridei operis expilatore. Quem affatim spoliasse hunc librum in capitibus 205—209 comprobavit Brunkius (p. 10 sq. 17 sq. 21), quibus 'τὸ διαιτητικὸν μέρος τῆς ἰατρικῆς' tractatur. Ergo feliciter potuerunt adhiberi, quae de heroum vivendi ratione tam diligenter composuit Dioscurides. Sed etiam in c. 210, quo de Homeri chirurgia sermo est — *ἰατρικὰ* omnino tractantur in capitibus 200—211, nam dilucidam per totum libellum persequitur ille auctor dispositionem —, Machaonis exemplum ex Dioscuride apud Athen. I p. 10ᵃ (fr. 23 p. 103, 6—15, p. 104, 2—6) depromptum esse putamus: *τὸν δὲ Μαχάονα τρωθέντα οὐ μεγάλην οὐδὲ καίριον πληγὴν ἐπὶ τοῦ ὤμου, εἰκότως ἀφυλακτοτέρᾳ διαίτῃ ποιεῖ χρώμενον· ἴσως καὶ τὴν τέχνην αὐτοῦ δείκνυσιν· ὁ γὰρ τὰ ἄλλα ὡς ἔτυχε διαιτώμενος, ἑαυτὸν ἰᾶσθαι ἐδύνατο.* Quae in hoc quidem capite non tam suo loco sunt, quam supra in c. 206 indicata erant, quo *τὸ διαιτητικόν* quantum ad vinum pertinet, in disputationem vocatur: *οὗτος γάρ ἐστιν ὁ Ἰράμνειος* (sc. *οἶνος*), *ὃν τῷ Μαχάονι τετρωμένῳ δίδωσιν* (cf. Athen. l. l., fr. 23), id quod ipsa narrationis verba demonstrant. Eandem vero apud Pseudo-Plutarchum quam apud Athenaeum spirat hoc exemplum *εὐταξίαν*, cuius illustrandae causa illud protulerat Dioscurides.

Tum ex Dioscurideo libro haec quoque excitata sunt, quae de Clytemestra et Agamemnonis cantore in c. 213 exposuit ille scriptor, quo tragoediam ab Homero originem sumpsisse demonstrare studet. Haec autem eadem ratione suae rei adaptavit, velut, quae supra in capitibus 205—210 inde deprompsit, in medicinae usum convertit. Nam postquam Homeri 'dramata' ab omni parte sublimi genere esse demonstravit, quae non continerent recentiorum tragicorum more nefastas nuptias, liberorum et parentum caedes, alia portenta, tamen si eiusmodi

1) *Plutarchische Studien*, prgr. S. Annae Augsb. 1885 p. 27—29.

Digitized by Google

quidpiam induxisset Homerus, eum quam maxime contexisse illud delictum contendit. *ὡς καὶ ἐπὶ τῆς Κλυταιμήστρας πεποίηκε* χτλ. Sed originem sat clare demonstrat ipsorum verborum cum Athen. I p. 14[b] concentus (fr. 37 p. 116, 2—7 = p. 116, 25—30).

Cum autem tam curtatam et non raro tam ieiune Pseudo-Plutarchus ille protulerit Dioscurideam materiem eamque exeunte demum libello, ipsum plenum Dioscuridis librum ei non iam patuisse haud sine veritatis specie aliquis coniciat, sive contractus fuit, sicut breviato usus est stoico illo corpore (cf. Diels. in doxogr. l. l.), sive alius quidam intercessit auctor. Qua de re certum iudicium tum demum fieri poterit, si accuratius aliquis huius libelli naturam et fontes examinaverit inquisitione dignissimi. Quam ob rem non putamus ex Dioscuride fluxisse libelli capita magnam partem inde a 161, in quibus oratorum principem Homerum fuisse demonstratur, quamquam mirum in modum conspirant cum eis, quae in altera oratione Dio exposuit inde a p. 79 R ea de re, quanti Homerus rhetoricam aestimaverit artem. Nam Dionis verba, quibus haec res inducitur: *δοκεῖ μοι τὸ πρᾶγμα θαυμάζειν* quasi respondent capiti 161 libelli. Quae autem de Phoenice subsecuntur apud eundem, qui Achilli fuerit a patre commissus tanquam *'διδάσκαλος λόγων'*, apud Plutarchum personatum leguntur in c. 169: *καὶ τὴν αἰτίαν λέγει* (sc. Phoenix), *ὅπως τρέφειν αὐτὸν ἐπιστεύθη παρὰ τοῦ Πηλέως νήπιον παραλαβὼν καὶ διδάσκαλος ἔργων καὶ λόγων εἶναι ἠξιώθη* (cf. etiam c. 170). Reliqua quoque Diomedis, Nestoris, Ulixis eloquentiae exempla apud utrumque proferuntur. Diomedis quidem apud Dionem indicatum tantum amplius exponitur in c. 168, Nestoris in c. 165 eodem versu *A* 249 laudato. Quid vero praestiterint Ulixes et Nestor dicendi vi in sedando tumultu ad naves properantium Achivorum (*B* 182 sqq.), eodem modo quo apud Chrysostomum narratur in huius scriptiunculae capitibus 166 et 167. Quae tam ample sunt prolata, ut omnino non respondeant ei rationi, qua in exeunte libro ille auctor diripuit Dioscurideas opes. Quam ob rem ex stoico quodam fonte

Digitized by Google

— nam ex stoicorum consuetudine prolata sunt — et Dioni et Plutarchi Vitae haec suppeditata esse rectius statuemus.

Denique ut ex Athenaeo amplificemus Dioscurideas copias restat. Unum quidem ex ipso primo libro superest, quod certo Dioscuridi vindicare nobis videmur. Quae enim de saltationibus Homericis capitibus 25 et 27 ineuntibus exponuntur, et Bappius in dissertatione (l. l. p. 139 sqq.) et Brunkius (l. l. p. 31 sqq.), qui Bappii horum capitum 24—36 tractationem neglexit, ab Dioscuridis opere segreganda esse voluerunt. Haec omnia ex opere quodam *περὶ παιδιᾶς*, quale Suetonius conscripsisset, fluxisse Bappius putavit (p. 141), haud iure ut nobis videtur. Facile enim illa, quae Homerum omnino non curant, de pilarum variarum lusuum inventionibus clarisque lusoribus ab his possunt secerni tanquam aliunde deprompta, utpote quae interrumpant qui inter horum capitum initia exsistit artum conexum, quem Brunkius quoque animadvertit p. 31. Eorum autem quae ad Halii et Laodamae saltationis lusum pertinent apud Athen. p. 15c (fr. 39 p. 117, 21—23): *καὶ ὀρχοῦνταί που ἀνὰ μέρος πυκνῶς* (*τοῦτο γάρ ἐστι τὸ 'ταρφέ' ἀμειβόμενοι'*) *κτλ.*, eandem interpretationem conservavit scholion ad ϑ 379: *πυκνῶς πλέκοντες εἰς ἀλλήλους* (= *ταρφέα — πυκνῶς*) *ἐναλλασσόμενοι* (= *ἀνὰ μέρος — ἀμειβόμενοι*). Dein cum eis quae apud Naucratitam subsecuntur: *οἰδε δὲ ὁ ποιητὴς καὶ τὴν πρὸς ᾠδὴν ὄρχησιν κτλ.* (fr. 39 p. 117, 24—28), bene comparatur scholion ad ϑ 262: *πρὸς ᾠδὴν δὲ καὶ λύραν τὴν ὄρχησιν ἐποιοῦντο, οὐ μὴν πρὸς αὐλόν. ἦν δέ τις ῥυθμοῦ ὁμίλησις ἐναρμονίου ὑπὸ τῆς λέξεως. ἄτοπον γὰρ μιμεῖσθαι μοιχείαν.* Quae verba ex ipsius hyporchematis definitione, quae quidem apud Athenaeum sequatur: *καὶ ἔστιν ἡ τοιαύτη ὄρχησις μίμησις τῶν ὑπὸ τῆς λέξεως ἑρμηνευομένων πράξεων* conformata videntur. Quae autem de ipso hyporchemate in hoc capite 27 insunt, peripateticam doctrinam sapere videbantur Bappio l. l. p. 139. Brunkius haec eidem fonti tribuenda esse censuit, cui deberentur, quae in l. XIV p. 631c de hyporchematica saltatione exstarent. Quem Dionysium Halicarnassensem esse Bappius p. 149 coniecit, non comprobavit. Utut haec sunt, quae

Digitized by Google

ad ipsum Homerum his in capitibus spectant, nostro iure ex peripatetico illo opere et ad Dioscuridem et in scholia pervenisse statuimus.

De saltatione Homerica etiam quaedam protulit ex Aeneae de Merione Cretensi his verbis derivata (*Π* 617):

Μηριόνη, τάχα κέν σε καὶ ὀρχηστήν περ ἐόντα
ἔγχος ἐμὸν κατέπαυσε κτλ.

Dio Chrysostomus in altera oratione p. 93 R (fr. 38), quae cum scholio Ven. A ad *Π* 617 composuit Hagenus l. l. p. 57. Tamen quod cum ipsis Dionis verbis comparetur scholion multo magis idoneum est hoc, quod in Ven. B legitur:

Dionis enim sunt:	scholii:
ἢ σὺ οἴει ἄλλην τινὰ λέγειν ἐπίστασθαι τὸν τοῦ Μόλου υἱόν (sc. *ὄρχησιν*) ..... *ἢ τὴν ἐνόπλιον, τὴν Κουρητικήν, ἥπερ ἦν ἐπιχώριος τοῖς Κρησί, τὴν ὀξεῖαν καὶ ἐλαφρὰν κίνησιν πρὸς τὸ διακλῖναι καὶ φυλάξασθαι ῥᾳδίως τὸ βέλος;*	*Κρῆτες γὰρ ἀσκοῦσι τὴν ἐνόπλιον ὄρχησιν, ἔμπειροι ὄντες ἀπὸ τῆς τῶν Κουρήτων μυθολογίας. ἄκρως δὲ ἐξεφαύλισε τὸ εὐκίνητον τοῦ ἀνδρός. βουλόμενος γὰρ αὐτὸν ἐλαφρὸν εἰπεῖν, τοῦτο παρατρέψας εἰς ὄρχησιν ἐχλεύασεν.*

Hanc quoque rem Dioscuridis fuisse ex peripatetici operis cornu subministratam probabilis videtur coniectura.[1])

1) Peripateticorum sapientiam hoc quoque in his scholiis redolet, quod saltationis omnino statuuntur genera tria: *πυρρίχη, σίκιννις, χορδακισμός*, quamquam *πυρρίχη ἐμμελείας* loco ex lyricae saltationis generibus perperam substituta est, cf. Aristoxenum apud Athen. l. XIV p, 631 c d, Bappii dissert. l. l. p. 96 (adn. 1) et 97. Cum ipso hoc Homerico Merionis Cretensis exemplo quodammodo haec quoque cohaerere videntur Aristoxeni peripatetici apud Athen. XIV p. 630 b: *ἄλλοι δὲ Κρῆτα λέγουσι τὸ γένος εἶναι Σίκιννον. ὀρχησταὶ δ' οἱ Κρῆτες, ὥς φησιν Ἀριστόξενος.* Hanc Aristoxeni doctrinam apud Athen. I p. 20 e cum eis quae de Bathyllo et Pylade saltatoribus produntur, Aristocle fortasse hic quoque inter utrumque intercedente ex Seleuco in dipnosophistarum sermones receptam esse probabile est (cf. Bapp. in comm. Ribb. p. 263 sqq.). Unde suspicio exoritur libri XIV capita quidem 28 usque ad 30, quae continuo ordine de saltationibus sunt et

Digitized by Google

Facilis ex saltatione transitus fuit ad instrumenta musica ab Homero adhibita, de quibus initio capitis 28 (fr. 42) disseruit Dioscurides, praesertim p. 15[d] (fr. 39 p. 117, 26) cithara modo commemorata. Attamen de cithara hoc quidem loco apud Athenaeum omnia exciderunt. Quamquam simile aliquid Plutarcheis his in quaest. conv. VII 8 IV 5 (fr. 40): *ἀλλ' ἥ γε κίθαρα πάλαι που καὶ καθ' Ὅμηρον ἔτι τοῖς χρόνοις γνωρίμη τῆς δαιτός ἐστιν* (cf. ϑ 99, ϱ 270. 271) etiam apud Dioscuridem fuisse nobis sequi videtur ex Athenaei de tibiis et syringis his verbis (fr. 42 p. 118, 19): *εἰς δὲ τὰ συμπόσια οὐ παρήγαγε.* Eadem fere apud Athenaeum sunt in l. XIV p. 627[e]: *ὅθεν ἔοικε καὶ Ὅμηρος διατηρῶν τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἑλλήνων κατάστασιν λέγειν*

φόρμιγγός θ' ἣν δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην,

qui versus ex ϱ 262 et 271 conflatus est. Quae verba, sicut quod sequitur exemplum ex Iliade A sumptum, quod dii musicae vi conciliati sint post contentionem Achillis causa obortam, fortasse ex Dioscuridis pratis flosculos esse putaveris. Neque tamen adeo bonam de Athenaeo sententiam habere licet non tam auctoris quam compilantis librarii vicibus functo, ut tam scite haec his capitibus intulisse putandus sit. Continuo enim cursu haec capita 23—26 et 31—33 secundum Erwini Rohdii libellum 'de Iulii Pollucis in apparatu scaenico enarrando fontibus', Lipsiae emissum 1870 p. 36—46, quibus certo caput 18 adnumerare non dubitamus, de veteris musicae mitigandi medendi ad omnes virtutes animos inflammandi vi agunt, quorum Aristoxenea vestigia Rohdius detexit l. l. Ergo certe peripateticorum doctrinam prae se ferunt (cf. Bappii dissert. p. 104), sive ex Rohdii coniectura (p. 45) Chamaeleon Naucratitae sup-

---

cum illis in primo libro conciuunt, non ex Dionysio (cf. Bapp. diss. p. 149), sed ex Seleuco ab Athenaeo transscripta esse. Quae de pyrrhicha in extremo c. 29 sunt 'Caesarum Romanorum aetati propria' (cf. Bapp. diss. p. 101) quam commode pertinent ad Tiberii convivam! Sed altioris indagationis haec est quaestio. Ceterum ex eadem peripatetica doctrina dependent quae Herodici sunt apud Athen. V p. 181[a b] de saltationibus ex Cretico more apud Homerum descriptis.

Digitized by Google

peditavit, sive ex Bappii ratione per Aristoclem (p. 104) et Dionysium (p. 149) huc illata sunt. Adhuc neutri confidimus. Quae autem Chamaeleon p. 624ᵃ protulit [1]) lenivisse Achillem iram citharae lusu (I 186 sqq.), quam ex Eetionis spoliis ei tribuisset Homerus, cum Pelidae in Dionis altera oratione exemplo aliquo modo conspirant p. 82 R (fr. 41 p. 118, 7—12). Chrysostomum cum in oratione XXXII ab eadem peripateticorum doctrina pendere Rohdius comprobaverit (p. 37. 45), eum hoc quoque Achillis exemplum inde sumpsisse fortasse credas. Tamen ne apud Dioscuridem quidem hoc exemplum celeberrimum defuisse verisimile videtur, unde eius mentionem inicere potuerit rhetor Prusensis. Dioscuridi autem in hoc quoque exemplo enarrando peripateticum corpus patebat. Nam quae apud Porphyrium in hac tractanda quaestione (ad I 186): *ἀπρεπὲς δοκεῖ καταλαμβάνεσθαι κιθαρίζοντα* (scil. Achillem) supersunt: *παραμυθία γὰρ ταῦτα θυμοῦ καὶ λύπης* hinc fluxisse propter rerum indolem vix negabis. Cum Dionis autem omnibus his verbis (fr. 41) hanc Porphyrii *λύσιν* concordare concedes: *ἔστι δὲ νέος καὶ φιλόμουσος καὶ λάφυρον ἔχων τὴν κιθάραν, καὶ οὐ θηλυδριώδη μέλη ἀλλὰ κλέα ἀνδρῶν ᾄδει.* Quae autem Aristarchi (cf. Ariston. ad I 188) cum hoc Dionis loco Hagenus composuit (l. l. p. 55), eis eiusdem quaestionis quasi solutio videtur contineri.

Certo Dioscuridis sunt verba apud Athenaeum p. 11ᶠ (fr. 30 p. 110, 1): *εὐωχοῦνται δὲ παρ' Ὁμήρῳ καθήμενοι*, item p. 17ᶠ: *καθίζονται δ' ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται*, quibus transitum sibi paravit sophista ad quandam de Alexandro Magno historiolam ab Duride narratam, quam cum eis quae secuntur, ex Hegesandri hypomnematis petiit. Huius enim memoria tam trita est apud Athenaeum, ut ipsum ei in manibus fuisse censendum sit. Unde etiam in l. V capitis 20 Aristarcho-Dioscuridei initium ad Dioscuridem re-

1) Cliniae Pythagoraei et Achillis exempla ut Athenaeus coniuncta exhibet Aelianus in var. hist. XIV 23, sive integrum Athenaeum sive communem fontem expilavit, quode adhuc ambigi potest.

Digitized by Google

ferendum videtur: *ἐκαθέζοντο δὲ καὶ δειπνοῦντες οἱ τότε κτλ.* (fr. 30 p. 110, 2—13).[1])

Dein Dioscurideo apud Athenaeum libri I capiti 18, quod temulentiae poenarum Homerica exempla persequitur inde a verbis: *τῆς μέθης δὲ κατατρέχων ὁ ποιητής κτλ.* (fr. 25), quodammodo respondet l. XII caput tertium p. 511^{abc}, quibus noxam ferre *ἡδονήν* Homericis exemplis demonstratur (fr. 28). Ut enim omnino in huius libri primis capitibus sophista varios pannos, dummodo de voluptate et luxuria essent, undiqūe collectos consuit, hoc frustum ex Dioscuride huc eum posuisse putamus. In capitis primis verbis stoicum quendam audire tibi videaris contra Epicureorum rationem pugnantem. Quae autem de Iove protulit: *ὅσα μὲν γὰρ ἀγρυπνῶν ὁ Ζεὺς ἐφρόντιζεν ὑπὲρ τῶν Τρώων, ταῦτ' ἀπώλεσε μεθ' ἡμέραν ὑφ' ἡδονῆς κρατηθείς*, ad verbum propemodum locum habent in Porphyrii problematis (ad Ξ 314 sqq.): *τίνος ἕνεκεν τοσοῦτον ἀκρατῆ παρίστησι τὸν Δία ὡς μὴ δύνασθαι κρατεῖν ἑαυτοῦ;* hac solutione: *ἄλλως τε διδάξαι βούλεται τοὺς νέους ὁ ποιητής, ὅσον ἐστὶ χαλεπὸν μὴ κρατεῖν τῶν παθῶν, ὅπου καὶ Ζεὺς ὁ παγκρατὴς πάθει νικηθεὶς ἐξημιώθη τὴν ὄνησιν, ἣν ἐξ ἀγρυπνίας περιεποιήσατο.* Neque quae de Marte poenae vice ab Vulcano vincto secuntur, apud Porphyrium desunt ad θ 267, cui haec scholia tribuenda esse arbitrati vix errabimus: *οὐκ ἀτόπως ἐπὶ ἡδυπαθῶν ᾄδει ταῦτα ὁ κιθαρῳδός, δι' ὧν ἥδονται, ⟨ἀλλὰ⟩*[2]) *σωφρονίζων αὐτούς. δέσμιον γὰρ εἰσάγει τὸν μοιχὸν καὶ τοὺς θεοὺς λέγοντας 'οὐκ ἀρετᾷ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἔθος, ἀλλὰ 'δαίννυθ' ἑζόμενοι'*, ut non possit ex Dioscuride huc insertum esse. Nam in continuis capitibus ibi de veteribus conviviis sermo est, quae si ex rerum indole et auctoribus laudatis coniecturam facere licet, ex Seleuci illo opere *περὶ ἀρχαίων συμποσίων* statuimus derivata esse. Eodem pertinere videntur, quae huius Homerici moris exempla protulit Athenaeus in l. XI initio, cuius de Seleuceis vestigiis fere constat, Adrasti et Polyidi, quae Homerum omnino non curant, dein Eurycliae et Autolyci, ex versibus ν 399 sqq. arguta ratione extricatum.

1) Sed idem fere legitur in l. VIII p. 363^{f}: *ὅθεν οὔτε καταχλίνεσθαι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἔθος, ἀλλὰ 'δαίννυθ' ἑζόμενοι'*, ut non possit ex Dioscuride huc insertum esse. Nam in continuis capitibus ibi de veteribus conviviis sermo est, quae si ex rerum indole et auctoribus laudatis coniecturam facere licet, ex Seleuci illo opere *περὶ ἀρχαίων συμποσίων* statuimus derivata esse. Eodem pertinere videntur, quae huius Homerici moris exempla protulit Athenaeus in l. XI initio, cuius de Seleuceis vestigiis fere constat, Adrasti et Polyidi, quae Homerum omnino non curant, dein Eurycliae et Autolyci, ex versibus ν 399 sqq. arguta ratione extricatum.

2) '*ἀλλά*' nos quidem inseruimus.

Digitized by Google

κακὰ ἔργα' (ϑ 329). Quae exempla Dioscuridem ex peripatetici operis divitiis mutuatum esse sponte apparet, quippe in quo Demodoci cantum defensum fuisse supra p. 155 viderimus. Attamen etiam duae causae huic rei comprobandae succurrunt, ex quibus ibi haec quodammodo iam coniuncta fuisse probabile videtur. Plato enim de re publ. III p. 390^{bc} horum vituperator exstitit, et de Cephisodoro Isocrateo haec sunt apud Athen. III p. 122^{b}: *Κηφισόδωρος γοῦν ὁ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος μαθητὴς ἐν τῷ τρίτῳ τῶν πρὸς Ἀριστοτέλην λέγει ὅτι εὕροι τις ἂν ὑπὸ τῶν ἄλλων ποιητῶν ἢ καὶ σοφιστῶν ἓν ἢ δύο γοῦν πονηρῶς εἰρημένα, οἷα παρὰ μὲν Ἀρχιλόχῳ, . . .* aliis, *Ὁμήρῳ δὲ τὸ τὴν Ἥραν ἐπιβουλεῦσαι τῷ Διὶ καὶ τὸν Ἄρη μοιχεύειν. ἐφ' οἷς πάντες κατηγοροῦσιν αὐτῶν.*

In eodem XII libro septimum quoque caput maximam partem Naucratitam ab Dioscuride lucratum esse statuimus. Voluptuosam enim vitam novisse et descripsisse Homerum ex operis ratione in l. I p. 16^{d} his Dioscurides comprobavit (fr. 18 p. 100, 6—8): *ἀπολαυστικὸς δέ ἐστι παρ' αὐτῷ καὶ ὁ τῶν Φαιάκων βίος· 'αἰεὶ γὰρ ἡμῖν δαὶς τε φίλη κίθαρίς τε' καὶ τὰ ἑξῆς* (ϑ 248 sqq.), post quae verba iure Kaibelius desideravit Ulixis mentionem et versuum ι 5 sqq. vulgatam memoriam, ut sic demum Eratosthenis coniectura potuerit proferri. Ampliorem autem de horum versuum ι 5 sqq. interpretatione disputationem sophista proponit in l. XII c. 7 (fr. 18 p. 100, 9—18, p. 101, 1—7), quam cum illis coniungere ab omni parte commodum est. Locus ille Odysseae *πολυϑρύλητος* est, ab vituperatoribus et defensoribus multum agitatus.[1]) Quae de Ulixe, qui Epicuro voluptatis auctor exstiterit, et de Megaclidis solutione Athenaeus protulit, coniuncta leguntur etiam in Plutarchi personati libelli c. 150 ea quidem libri parte, qua Dioscuridem nondum adiit ille auctor, quo in capite singulos

1) Hac Epicuri vel Aristippi ratione Heraclides Ponticus '*ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς*' apud Athen. XII p. 512^{d} hos versus explicavit, sed '*χωμικῶς*' teste Laertio Diogene in fine catalogi l. V 6, 88, ut decet Platonis et Aristotelis alumnum. Eiusdem rei documento est Athenaei l. XII totum caput 5 (cf. Schweigh. ad loc.). Tamen cum capite 7 hoc omnino non cohaeret.

Digitized by Google

philosophos ex Homero suas doctrinas deduxisse comprobatur. Democriti enim exemplo allato haec secuntur: *ἄλλους δὲ πλανηθέντας* (scil. *δεῖ μνημονεῦσαι*), *ἐν οἷς ἐκεῖνος οὐχ ἑλόμενος, ἀλλὰ πρὸς τὸν παραπίπτοντα καιρὸν ἁρμοζόμενος τισὶ περιέθηκεν, ἐπεί γε* [1]) *ὃ Ὀδυσσεὺς παρ' Ἀλκινόῳ κατεχόμενος ἡδυπαθείᾳ καὶ τρυφῇ κεχρημένῳ πρὸς χάριν αὐτῷ διαλεγόμενος ἔφη, 'οὐ γὰρ ἔγωγε' κτλ.* (ι 5—11), quibus Megaclidis peripatetici [2]) rationem perstringi patet. Dein haec secuntur: *τούτοις παραχθεὶς καὶ Ἐπίκουρος τὴν ἡδονὴν τέλος εὐδαιμονίας ἐνόμισε.* Quas res cum omnino stoicorum sapientiam prae se ferant, Heracliti allegoriarum c. 75 consensu, quae quidem ad Epicurum spectent, ex stoico illo corpore depromptas esse omnibus probabitur.[3]) Ergo ab stoico quodam haec quidem de Epicuro accipere potuit Dioscurides, quem re probata etiam corporis illius auctor expilasse censendus esset. Quamquam certe Megaclidis peripatetici solutionem ne in peripatetico quidem opere defuisse suspicamur. Nam Porphyrius quoque ad *ι* 5, cui id scholion vindicare nemo dubitabit, Megaclidis solutionem quamvis nomine non laudato servavit. Haec enim in codice H sunt: *λύεται δὲ ἀπὸ τοῦ προσώπου. πρὸς οὓς γάρ φησιν, αὐτοὶ ἦσαν φάσκοντες 'αἰεὶ δ' ἡμῖν' — τῶν πρὸς εὐωχίαν.* Quae amplius in codice T ita enarrantur, ut cum ipsis Dioscuridis verbis satis congruant:

Porphyrii sunt ad *ι* 5:	Athenaei XII p. 513^{bc}:
οὐ πάντως ἀποδεχόμενος τὸν τοιοῦτον βίον ἐπαινεῖ, ἀλλὰ	*ὁ δὲ Μεγακλείδης φησὶ τὸν*

1) Traditum est: *Ἐπεὶ γὰρ ὁ Ὀδυσσεὺς κτλ.* At tamen illud enuntiatum cum antecedentibus verbis coniungendum esse statuimus. Nam ita demum suo ordine fluunt sententiae. Quam ob rem illud *γάρ* aut plane delendum est aut quod Wachsmuthius proposuit corrigendum: *ἐπεί γε*, quod praeplacet.

2) De Megaclidis peripatetici studiis Homericis cf. Sengebuschium in diss. Homer. priore apud Dindorf. l. l. p. 88. 89, Schraderum l. l. p. 414.

3) Cur hoc stoicum corpus etiam hanc peripateticam rem ita adhibitam continuisse negandum sit, omnino non intellegimus. Schradero enim scrupulus resedit, cf. l. l. p. 414. Tamen vix probabile est 'alius cuiusdam explicationem cum Megaclidis congruentem fuisse.'

Digitized by Google

ἁρμόζεται κατὰ τὸν παρόντα καιρὸν (cf. Ps.-Plut. verba) ὑπὲρ τοῦ τυχεῖν ὧν ἐβούλετο. προσποιεῖται οὖν τὸ ἄβροδίαιτον ἀσπάζεσθαι τῶν Φαιάκων ἀκηκοὼς λεγόντων·

'αἰεὶ δ' ἡμῖν δαὶς τε φίλη κιθαρίς τε χοροί τε' (ϑ 248).

Ὀδυσσέα καθομιλοῦντα τοὺς καιροὺς ὑπὲρ τοῦ δοκεῖν ὁμοήθης τοῖς Φαίαξιν εἶναι τὸ ἄβροδίαιτον αὐτῶν ἀσπάζεσθαι προπυθόμενον τοῦ Ἀλκίνου·

'αἰεὶ δ' ἡμῖν δαὶς τε φίλη κιθαρίς τε χοροί τε εἵματά τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί' (ϑ 248. 249). μόνως γὰρ οὕτως ᾠήθη ὧν ἤλπιζε μὴ διαμαρτεῖν.

Etiamsi enim Porphyrius sua et ex stoico et ex peripatetico opere delibare potuit, tamen hunc ob concentum peripateticum corpus utrique subesse putamus, cum apud Pseudo-Plutarchum ex stoicorum consilio ita deflexa esset haec res, ut quosdam philosophos ab Homero sumpsisse doctrinam accommodandi res praesenti tempori statueretur.[1])

Eadem fere Athenaeus protulit in l. V capite 19, quod supra p. 171 sqq. ex Seleuceis pannis et Dioscuridis quodam frustulo consutum esse vidimus: τὸ δὲ τοῦ Ἀλκινόου συμπόσιον, πρὸς ὃ ἀποτέταται ὁ τοῦ Ὀδυσσέως λόγος· 'οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κτλ. (ι 5—8)' ξένου ὑποδοχὴν ἔχει, ὄντων καὶ αὐτῶν τῶν Φαιάκων τρυφερῶν (fr. 18 p. 101, 26—31). Nam vix recte

1) Stoicum illud de Epicuri furto inventum etiam scholion exhibet ad ι 28: γνῶθι ὅτι καλῶς λέγει καὶ Ἐπίκουρος ὁ φιλόσοφος τῷ ἑαυτοῦ δόγματι ἄριστον τέλος εἶναι πάντων τὴν ἡδονήν, ἐξ Ὁμήρου τοῦτο λαβὼν καὶ ἐπὶ πάντων αὐτὸς ἐκτείνας τὴν τῆς ἡδονῆς τελειότητα, quae non spectare possunt nisi ad versus ι 5 sqq. Quam ob rem hoc quoque Porphyrii quoddam frustum esse conicias, sive ex stoico corpore depromptum est, sive in peripatetico etiam hoc receptum fuisse credideris, unde et Porphyrius et Dioscurides potuerint in suas res deducere.

Ad eandem rem Seneca quoque alludit in epist. mor. l. XIII 3 (88), 5 his: 'nam modo Stoicum illum faciunt (scil. Homerum) . . . ., modo Epicureum, laudantem statum quietae civitatis et inter convivia cantusque vitam exigentis, modo Peripateticum' etc.

Digitized by Google

Schweighaeuserus illa verba: *ξένου ὑποδοχὴν ἔχει* his reddidit: 'continet illud receptionem hospitis'. Sed ex Megaclidis ratione hoc fere volunt: 'continet hospitis captationem benevolentiae ipsis luxuriosis Phaeacibus', velut *εἰς ὑποδοχὴν λέγειν τινί* ex. gr. legitur apud Aeschinem (II 62). Quam ob rem hoc quidem enuntiatum ex Dioscuride huic capiti tessellato sophistam intulisse censemus. Quod autem subsequitur: *ὅπερ συμβάλλων τις πρὸς τὰ τῶν φιλοσόφων συμπόσια κτλ.* ex Herodici capitum 3—18 ratione sive ipse sibi conformavit sive ex illo conrasit. Sed quae in capitis exitu de Demodoci cantu exponuntur (fr. 37 p. 116, 18—22), iterum ex Dioscuridis hortulis sunt conquisiti flosculi. Nam quod ab claudicante Vulcano superatus sit Mars deorum fortissimus, Dioscurideum esse ex Athen. p. 511[b] (fr. 28 p. 107, 18—25) elucet, quode disputavimus p. 180. Quod autem Demodoci cantu Ulixi quasi procorum mors praedicatur, quamvis inepta sint, tamen peripateticae illi rationi conveniunt, qua certo consilio carmina elegisse cantores supra p. 155 vidimus. Haec quoque tanquam excusantis solutionis instar huic materiae succurrunt.

Restat, ut suis terminis Dioscuridis fines in l. XII c. 7 circumscribamus. Certo huic tribueris capitis finem inde a verbis: *εἰσὶ δ' οἵ φασι κτλ.* (fr. 19) — nimirum Dioscuridem indicat subdolus Naucratita —, quippe quae prorsus huius libri consilio accommodata sint. His quoque ultimis verbis ipse conexus comprobatur: *διόπερ καὶ Ὀδυσσεὺς τρυφὴν καὶ λαγνείαν τέλος τοῦ βίου παρὰ τῷ Ἀλκινόῳ τίθεται.* Sed quae in medio capite Pindari [1]), Sophoclis, Theognidis de polypo testimonia insunt, ipsum Athenaeum ex more suo addidisse facile credes.

Duo supersunt quae Dioscuridea fragmenta esse existimamus apud Athenaeum. Sed pro certo ut hoc affirmemus, non adeo suppetunt argumenta ex aliis auctoribus desumpta. Alterum est Athenaei caput 42 libri X de Nestore vini studioso inde a verbis: *πλεῖστον δὲ ἔπιε τῶν μὲν ἡρώων Νέστωρ ὁ τριγέρων κτλ.* (fr. 24), quod probabilitate quadam Dioscuridi

1) Collato Plutarcho de soll. animal. p. 978[e].

Digitized by Google

tribuatur. Nam totius capitis indoles huic accomodata est, quippe quod bene coniungatur cum Athenaei libri I capite 17 (fr. 23). Si autem ex Asclepiadis Myrleani *περὶ Νεστορίδος* libello hoc transscriptum esse quispiam dixerit, quem in l. XI sophista affatim expilavit [1]), non ita huius rationi haec convenire ipse videat. Immo his: *τοῦ Ἀγαμέμνονος ...., ὃν ὡς πολυπότην ἐπιπλήσσει ὁ Ἀχιλλεύς* quasi sese ipsum exscripsisse videtur Dioscurides (cf. supra p. 150), neque Antiphanis comici testimonium ab hoc alienum est. Huic autem rei illustrandae, quod non temere Homerus Nestori potissimum poculum offerentem induxerit Achillem, Eumelo corporis tutaminis causa thoracem, quippe qui periculose cucurrerit, horum meminisse iuvabit, quae de Antinoo supra p. 167 disputata sunt. Quae vero de hoc Nestoris poculo narrantur, ea quasi duas huius quaestionis solutiones esse facile intelleges, cur poculum Nestori dono dederit Achilles, quarum alteram acceperit, alteram spreverit ille auctor.[2]) Quam ob rem ne hoc quidem ab Dioscuride abhorrere concedes. Tanquam instar tertiae huius rei solutionis scholion est in Ven. B ad Ψ 616, quamquam hic non ita de ipso poculo quam omnino de Nestoris praemio cogitatur: *ἀγαθός ἐστι νομοθέτης* (sc. Achilles), *ἀξιῶν καὶ φρονήσεως ἆθλα τίθεσθαι. παρ' Ὁμήρου τοίνυν διδαχθεὶς Ἰσοκράτης ἐπιτιμᾷ τοῖς μὴ φρονήσεως ἆθλα τιθεῖσιν. ὥσπερ δὲ τὸν βασιλέα* (Agamemnonem v. 890) *οὕτω καὶ τὸν συνετὸν ἀκονιτὶ στεφανοῖ.*[3]) Quod scholion Kaibelius adhibuit, ut in

1) Cf. praecipue capita 76—85.

2) Kaibelii miramur horum verborum distinctionem. Parenthesi enim inclusit haec tantum verba: *τοῖς γὰρ φιλοπόταις οὐ παρέπεται τὸ νικᾶν διὰ τὸ ῥᾴθυμον*, quasi verbis quae secuntur: *ἢ ὅτι διὰ δίψαν μάλιστα λείπονται οἱ πύκται διὰ τὸ βαρεῖσθαι τὰς χεῖρας ἀνατείνοντας* tertia quaedam solutio eius quaestionis proferatur, cur poculum Nestori obtulerit Achilles. Immo post haec demum verba parenthesin esse concludendam unusquisque concedet. Nam his etiam illud explicatur, cur potatores non sequatur victoria. Haec omnia verba parenthesis loco haud opportune huc inserta si ab ipso Athenaeo addita esse statuerimus, vix errabimus.

3) Eandem solutionem Accius protulit in didascalicis in fr. X Baehr. (fragm. poet. Roman. p. 268):

Digitized by Google

hac altera solutione corrigeret corrupta verba: *οὐχ οτι καὶ οὐχὶ τῷ νικηθέντι ἔδωκε δέπας ὁ Ἀχιλλεύς* in *οὐχ ὅτι ἀκοντὶ τῷ νικηθέντι κτλ.* Vix tamen hac ratione suam medelam his verbis allatam esse putamus. Nos quidem alterum *οὐχὶ* delendum esse censemus tanquam variam lectionem, ut illum solutorem ad versum Ψ 656 respexisse statuendum sit:

τῷ δ' ἄρα νικηθέντι τίθει δέπας ἀμφικύπελλον.

Eadem ratione Casaubonus rem explicavit, quamquam audacius pro verbis *οὐχ ὅτι καὶ οὐχὶ τῷ νικηθέντι* scribi voluit *ὅτε καὶ τῷ νικηθέντι* (cf. Schweighaeuser. ad locum).

Alter ille Athenaei locus legitur ineunte libro XIII p. 556ª (fr. 26). Quae praecedunt inde a capitis 3 initio ea de re, quod barbarorum quidem mulieres patiantur pellices, non Graecorum, certo cohaerent cum eis quae secuntur. Nam ex hac consuetudine Aristoteles exposuit Menelaum Helenam veritum abstinuisse ab aliarum feminarum concubitu. Itaque si haec quoque ex Dioscuride fluxisse contenderis, quamquam praeter Priami mulieres parum ipsum Homerum curant, lubenter adstipulabimur, praesertim cum Dioscuridem de diversa barbarorum et Achivorum ratione disputasse supra p. 163 sqq. comprobatum sit. Quae autem Aristotelis hic ample de Menelao, Nestore, Phoenice narrantur, in libro I breviter proferuntur p. 25ᶠ (fr. 26 p. 106, 11—20 = p. 106, 26—29) in fine earum rerum, quas ex Dioscuride petiit Athenaeus. Quare Brunkius (p. 39) haec ab Dioscuridis opere desecari voluit. Nos quidem contrarium inde concludimus, ut haec quoque in l. XIII ei tribuamus. Quae vero Aristotelis sequitur solutio, ut libidinis et temulentiae crimen ab Agamemnone prohibeatur, prorsus peripatetici corporis indolem prae se fert, ut Dioscuride intercedente haec ad Athenaeum pervenisse probabile videatur. Tamen

---

'sapientiaeque invictae
gratia atque honoris patera Nestorem mactavit
aurea',

ut illud de Nestoris praemio zetema ab Accio agitatum esse prona videatur coniectura, id quod bene convenit cum illius operis natura et indole, cf. Ribbeckii 'hist. poes. Roman.' I p. 267 sq.

Digitized by Google

infirmiora esse haec argumenta fatemur, quam ut certi quidquam statuatur.

His omnibus expositis illud superest, ut aliquo modo Dioscuridei libelli argumentum et dispositionem adumbremus, id quod, quantum potuit, Brunkius quoque conatus est l. l. p. 22 sqq. Nam rationem reddi opus est de ordine quem instituimus in componendis fragmentis, quae dissertationi praemisimus. Nimirum hac quoque parte principem optimumque ducem se praebet Athenaeus, quantumcunque rem ‘dissecuit, coniunxit, mutavit’, ut disputandi materiem inter dipnosophistas distribueret, cf. Brunk. l. l. p. 23 sq. Nam optime etiamnunc cognoscitur, quae inter sese cohaereant.

Quin in primo fragmento libelli initium deprehendamus, nemo in dubitationem vocabit. Nam eo totius scriptiunculae consilium illud indicatur: *σωφροσύνης* praeceptorem sese praestare Homerum. Quam ob rem omnibus heroibus simplicissimum tribuit victum, semper assas carnes atque eas bovis, non haedi aut agni (fr. 1). Neque piscibus aut avibus inducit illos vescentes (fr. 2), nec frugibus (fr. 3). Neque coronis neque unguentis eos facit utentes et deis quoque simplicem tribuit victum, nectar et ambrosiam, nec tura aut myrrha aut coronae adhibentur ad eos colendos (fr. 4). Sed tam modeste cenati alii discis iaculisque sese oblectant ludicro certamine ad seria sese exercentes, alii cantores audiunt (fr. 5). Eodem modo ‘*πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν*’ venatum exeunt iuvenes (fr. 6), laborum autem ut remedia varia noverunt lavandi genera (fr. 7). Etiam lectus qualis esse debeat, docet Homerus Diomedis exemplo ‘*στερεῶς*’ in pelle bubula recumbentis (fr. 8). Nec quae de heroum *αὐτουργίᾳ* Dioscurides Chrysippum secutus disputavit, huc pertinere quisquam negabit (fr. 9). His omnibus narrandis rebus praeceptorem agere Homerum, alia eum referre tantum docet fragmentum 10, siquidem his ipsis Dionis verbis haec exposuit Dioscurides. Nam Homerus etiam varios novit cibos, immo etiam elixas carnes varii generis et varium in modum paratas (fr. 11). Neque piscium aut avium esus ab eo

Digitized by Google

alienus est (fr. 12), neque olerum aut frugum (fr. 13). Nec vero unguentorum Homerum fugit suaveolentia, neque ignotus ei fuit coronarum usus (fr. 14). Atque etiam lectos novit eleganter constructos et pretiosa stragula (fr. 15), quin immo sumptuosos famulos (fr. 16). Omnino omnem novit Dioscurideae aetatis magnificentiam. Itaque splendidissime describit regias Menelai, Alcinoi, Calypsus speluncam (fr. 17). Voluptati vero dedita est apud eundem Phaeacum vita, quin ipse Ulixes quibusdam videtur Epicuri ratione illis voluptatis praedicator exstitisse (fr. 18. 19). In Odyssea omnino propter otium et pacem luxuriae indulgent (fr. 20). Sic proci ante fores calculorum lusu sese oblectant et propter desidiam et luxuriam tam molles habent manus, ut ne arcum quidem possint tendere (fr. 21). Quo in ordine fragmentorum planissime fluere sententias lubens concedes, ut singulas res singulis non raro tam apte suppleri iure mireris.

Tum complura fragmenta ad vini usum pertinent (22—25). Novit Homerus vini modum, quatenus conducat, quatenus noceat, et varia miscendi genera (fr. 22). Illud quidem illustratur Nestoris exemplo Machaoni Pramnium ministrantis (fr. 23) et fragmento 24, si re vera Dioscuridi tribuitur, de potatore Nestore. Sed temulentiae poenas large enumerat fragmentum 25. Dein quodammodo inter sese cohaerent fragmenta 26—28. In fragmento 26, quod num iure ad hunc libellum referatur dubium est, illud exponitur, cur uni Menelao nulla iungatur mulier, cum ceteri cum feminis concumbant. Alterum (fr. 27) de castitate mulierum et virginum est, quae hospites lavent. Sed libidinis poenas persequitur fragmentum 28.

Denique secuntur continuo ordine Athenaeo fido auctore ea fragmenta, quae ad cenas et convivia spectant easque res, quae cum his cohaerent (29—45), cf. Brunk. l. l. p. 16. Ac primum quidem accurate de cenarum numero disputatur (fr. 29), dein illud exponitur assedisse heroas in cenando (fr. 30) et refutatur, quod quidam suam cuique mensam appositam fuisse statuerint (fr. 31). Finito demum convivio removentur mensae (fr. 32). Panes apponuntur cum ipsis canistellis (fr. 33), carnis

Digitized by Google

autem assae et vini sua cuique convivarum distribuitur portio (fr. 34), suum quisque habet poculum, pluribus autem poculis et carnibus praestantiores honorantur viri; etiam propinandi inter sese morem noverunt heroes (fr. 35). Omnino decore cenant. Quodsi in Odyssea Ulixes et Achilles inter sese disceptantes inducuntur, utilis est illa contentio, utrum dolo an pugna expugnandum sit Ilium (fr. 36). In ipsis autem conviviis adhibentur citharoedi et saltatores (fr. 37—39). Iam facilis ad instrumenta musica fuit transitus (fr. 40—42). De cithara 'convivii amica' sunt fragmenta 40 et 41, tibias autem et fistulas non in conviviis adhibuit poeta. Omnino barbaris tribuit tibias (fr. 42). Simili ratione de barbarorum et Achivorum diversa ratione agunt fragmenta 43 et 44. Denique soluta cena Mercurio libant linguas tamquam somni praesidi (fr. 45).

Quoniam super opere Dioscuridis non sine fructu nos disputavisse confidimus, de ipso auctore circumspicere ex re videtur. Quem cum grammaticorum, stoicorum, peripateticorum scrinia in conscribendo suo libro adiisse comprobatum sit, vel inde eius aetatis limine vixisse eum concludas, qua non tam de suo componere libros quam vetustiorum scripta expilare solebant. Certe inter Aristarchum et Dionem Plutarchumque, quantum vidimus, fuit Dioscurides. Ergo non potest cogitari de Isocrateo, non de Pyrrhoneo Cyprio, Timonis discipulo, cuius memoriam Sotion servavit apud Laertium Diogenem IX 114. 115 [1]), non de Zenonis successoris Chrysippi patre, ad quem stoae ille alter princeps complures librorum suorum scripsit.[2]) Apud Athenaeum duo etiam cuiusdam Dioscuridis libri commemorantur, in l. IV p. 140[b et f] *Λακωνικὴ πολιτεία*, in l. XI p. 507[d] *ἀπομνημονεύματα*, quos Athenaeus ipse non in manibus habuit. Tamen summa probabilitate ei de quo agimus Dioscuridi tribuuntur, quippe quem solum inter huius aetatis hoc nomine praeditos quantum accepimus revera scrip-

1) Cf. Wachsmuthii Sillographos p. 9 adn. 5.
2) Cf. Laertium Diogenem VII 190. 193. 198. 200. 202.

Digitized by Google

torem fuisse sciamus. *Ἀπομνημονευμάτων* mentio Hegesandri Delphi commentariis debetur, cuius de temporibus nihil colligere licet nisi illud, quod post tempora belli contra Perseum gesti scripsit [1]), ut de Dioscuride hinc nihil redundet. Si quid ex duobus huius operis fragmentis ab Athenaeo et Laertio Diogene subministratis [2]) coniectare licet, clarorum virorum memorabilia dicta liber videtur continuisse, qua ratione ex. gr. Hermogenes [3]) explicavit vocem *ἀπομνημόνευμα* tanquam *χρεία* similem. Quam ob rem in dubio relinquere malumus, num quod de lyra ab Apolline Amphioni data fragmentum ex Apollonii Rhodii scholiis suppeditatum Muellerus cum his coniunxit, revera huc pertineat.

Certioribus etiam argumentis *Λακωνικὴν πολιτείαν* ad hunc Dioscuridem referre licet. Nam quaecunque fragmenta apud Plutarchum et Athenaeum aetatem tulerunt [4]), in antiquitatibus Lacedaemoniorum versantur. In primo quidem de Minervae Optiletidis templo ab Lycurgo dedicato disputatur [5]), in altero de orthagoriscis porcellis, in tertio de honoribus, quos Anticrati Epaminondae percussori eiusque posteris decreverint Spartani. Quibus adde quartum ab Muellero omissum, quod de Lacedaemoniorum *ἐπαίκλων* cenis agit apud Athen. IV p. 140^{f}. Quam rationem cum huius Dioscuridis studiis, quippe qui in Homericis antiquitatibus operam suam collocaverit, convenire non negabis. Alterum hoc proferimus argumentum. Utroque

1) Cf. Mueller. FHG IV p. 412, Droysenum *Geschichte des Hellenismus* III 1 p. 246 adn. 3. Hegesander enim in fr. 20 (M.) Rhodophontem commemorat, Rhodiorum rei publicae quendam administratorem, quem anno a. Chr. n. 167 legatum Romam missum esse ex Polybio constat (XXX 5, 4).

2) Cf. Mueller. FHG II p. 196 fr. 6 et 7.

3) In progymn. p. 5 (Speng.).

4) Cf. Mueller. FHG II p. 192.

5) Eiusdem historiolae eundem auctorem Olympiodorum ad Platonis Gorgiam (cf. Iahnii *Archiv* XIV p. 522) excitasse his verbis: '*Διοσκουρίδης ὁ ἱστορικός*' Wachsmuthius nos docuit. '*Ἱστορικός* autem hac aetate eodem iure videtur appellatus esse quo ex. gr. ab Augustino de civ. dei XVIII 17 Reatinus — est de gente populi Romani liber, quem sequitur ille — 'Varro historicus'.

Digitized by Google

loco quibus huius operis mentio fit apud Athenaeum (p. 140$^{b\,et\,f}$), Dioscuridem Persaeum stoicum secutum esse apertis verbis indicatur. Ab stoicorum autem studiis eum de quo sermo est non alienum fuisse supra satis comprobavimus. Immo in Dionis illo loco orationis LIII p. 276 R II de Homericis stoicorum studiis multum agitato, de quo nos quoque disputavimus p. 162 sq., ipsius Persaei excitatur memoria: *ἔτι δὲ καὶ Περσαῖος ὁ τοῦ Ζήνωνος κατὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν γέγραφε καὶ ἄλλοι πλείους*. Quam ob rem his quoque rebus inter utrumque vinculum quoddam intercedere tuo iure conicias. Cum autem stoicos potissimum, Zenonem, Persaeum, Sphaerum de re publica Spartanorum libros condidisse constaret, Dioscuridem Chrysippi amicum huius libri auctorem esse Ionsius voluit.[1]) Attamen, num omnino scripserit ille, nescimus, ut praevalere nostram rationem omnes concessuros esse putemus.

Quodsi revera *Λακωνικὴν πολιτείαν* scripsit idem Dioscurides qui libellum *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* composuit, angustoribus terminis aetatem licet circumscribere. Nam ex Didymi diligentia conrasa sunt, quae in libri IV his capitibus (certe inde a p. 138^{e}—141^{e}) auctoribus raris et tantum non unicis laudatis de Lacedaemoniorum rebus enarrantur. Quod autem ipsius Dioscuridis mentio ab Didymo fuit iniecta, his comprobatur: Contra Polemonem inducit disputantem Athenaeus Didymum, p. 139^{e}: *ταῦτα μὲν ὁ Πολέμων. πρὸς ὃν ἀντιλέγων Δίδυμος ὁ γραμματικὸς . . φησὶ τάδε· Πολυκράτης ἐν τοῖς Λακωνικοῖς κτλ.* De Dioscuride autem infra sunt p. 140^{b}: *ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὀρθαγορίσκοι λέγονται, ὥς φησιν ὁ Πολέμων* (cf. supra p. 139^{b}), *οἱ γαλαθηνοὶ χοῖροι, ἀλλ' ὀρθραγορίσκοι, ἐπεὶ πρὸς τὸν ὄρθρον πιπράσκονται, ὡς Περσαῖος ἱστορεῖ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ καὶ Διοσκουρίδης ἐν δευτέρῳ πολιτείας καὶ Ἀριστοκλῆς ἐν τῷ πρότερῳ καὶ οὗτος τῆς Λακώνων πολιτείας*. Eodem modo in *ἐπαίκλων* interpretatione (p. 140$^{d\,e\,f}$) proferenda contra Polemonem ab Persaei et Dioscuridis parte stare videtur Didymus.

---

1) Cf. Fabricium in Bibl. Gr. l. l.

Digitized by Google

Ergo quod inter Aristarchum et Didymum interfuerit saeculum vidisse Dioscuridem statuimus. Quod si cui numeris exprimere lubeat, fere inter annos a. Chr. n. 160 et 60 eum vixisse dicat. Aliquantulo autem propius eum accessisse ad Aristarchi tempora fortasse inde concludas, quod p. 140[b] inter Dioscuridem et Didymum intercedit Aristocles quidam, cuius nomen Schweighaeuserus certa emendatione nobis videtur correxisse in Nicoclis. Huius enim testimonium alteri de Persaeo et Dioscuride loco et antecedit (p. 140[d]) et subsequitur (p. 141[a]).[1])

Unum restat de Dioscuridis alicuius quodam opere testimonium, quod ad hunc revocetur, Photii s. v. *σκυτάλη* hoc: *Διοσκουρίδης ἐν τοῖς περὶ νομίμων κτλ.*[2]) Probabiliter autem Muellerus coniecit huius operis partem fuisse *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* libellum. Nam prorsus Alexandrinorum respondet mori, ex quo operum amplo ambitu compositorum singulis partibus singulos superscribere solebant titulos. Immo etiam *Λακωνικὴν πολιτείαν*, si recte de eius natura et indole iudicavimus, eiusdem operis partem fuisse eo facilius conicias, quod Spartanorum quandam consuetudinem enarrat illud Photianum fragmentum.

1) Cf. Bappii dissertat. l. l. p. 88.
2) Cf. Mueller. l. l. fr. 4.

Digitized by Google

INDEX RERUM

Accii didascal. fr. X Baehr. p. 268 : 185 adn. 3
Achillis et Ulixis contentio 155 sq. in addendis p. 196
Achivi et Troiani diversa ratione ab Homero descripti 163 sqq.
Aelianus 141. 179 adn. 1
Agamemno cum tauro comparatus 166
Alcinoi et Menelai domuum magnificentia 161 sq.
Antiphanis comici fr. 273 K (II p. 124) explicatum 134 adn. 1
Apollonius sophista Aristarcheae doctrinae testis 129. 131
Aristarchi doctrina a Dioscuride adhibita 124—139. 160. 164 sqq. 169 sq.; scholia ad eum referuntur Ven. B ad *A* 468 : 131, (Ven. A et B ad *A* 470 : 172 adn. 1), Ven. B ad *B* 872 : 165, Ven. A ad *Γ* 1, Ven. B ad *Γ* 2 : 164, Ven. B ad *Δ* 4 : 137 adn. 1, Ven. B ad *Δ* 429. 433. 437 : 164, Ven. B ad *H* 306. 307 : 164, Ven. A et B ad *Θ* 542 : 164, Ven. B ad *N* 41 : 164, Ven. B ad *Π* 747 : 133 sqq., Ven. A ad *P* 52 : 165, Ven. B ad *Σ* 495 : 138 sq., cod. E et H ad *ϑ* 98, cod. T ad *x* 124 : 132 adn. 2; ei tribuitur athetesis versuum *α* 139. 140, *δ* 55. 56 : 139; Aristarchus peripateticam quandam doctrinam 131 sq., Chrysippeam 142, omnino stoicorum quandam interpretandi rationem secutus 162
Aristonicus v. **Aristarchus**
Athenaeus Dioscuridis expilator 121 sqq. 124—156. 176—187; eius cum Dione Chrysostomo consensus 157—162. 177. 179, cum Plutarcho 127. 133 adn. 1. 147—151. 168—174, cum Pseudo-Plutarcho libelli *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου* scriptore 174 sq.; emendatur X 433[d] : 185 sq.
Calypsus antrum 161
Circae allegoria 143. 145 sq.
Chrysippus 140—143. 145
Demetrius Phalereus 153 sqq.
Dio Chrysostomus Dioscuridem adhibuit 157—168. 177. 179; Chrysippeum quendam interpretandi morem secutus est in orat. LXXI : 141 sq., omnino stoicorum 145. 166. 175 sq.
Diomedes in pelle bubula recumbens 162. 166 sq.
Dioscurides revera libelli *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* auctor 121 sqq.; de nominis scriptura 121 adn. 1; de aetate 189—192; Aristarchi doctrinam adhibuit: v. **Aristarchus**, stoicorum 139—146. 162 sq. 191, Schra-

Digitized by Google

deri peripateticum solutionum corpus 146—156. 167. 176 sq. 178 sq. 180 sq. 182 sqq. 186; eius homonymi 122. 189; eiusdem *ἀπομνημονεύματα* 188 sq., *Λακωνικὴ πολιτεία* 189 sqq., *περὶ νομίμων* 192
εὐταξία 139. 174
Hegesander Delphus 179. 190
Heracliti allegor. Homericae 143 sq. 182
Herodicus Crateteus 136 adn. 3. 137. 184
Heroum de conviviis 126—137. 169 sq.; de cenarum numero 126 sqq. 152 sq.; de piscium, avium esu 132 sqq. 157 sqq. 161 adn. 5, carnis assae 134. 157 sqq., elixae 135, oleris 135, caepae 172 sq.; de coronarum, myrrhae, suffimenti usu 135 sq.; de vini usu 146 sqq. 174. 184 sqq.; de honoribus inter cenam 136 sq. 173; de cantoribus 137. 153 sqq. 174 sq., saltationibus 137 sq. 176 sq., de instrumentis musicis 138. 178 sq.; de *αὐτοδιαχονίᾳ* 140 sqq.; de luxuria et magnificentia 159 sqq. 168
Horatius stoicos secutus 145 sq.
Iulianus 161 adn. 5
Megaclides peripateticus 181 sq.
Mercurii allegoria 143 sq. 172
Nestor vini studiosus 184 sqq.
Philemon Atheniensis glossographus 126 sq.
Plato Dioscuridis auctor 159
Plutarchus Dioscuridis expilator 127 sq. 133 adn. 1. 159. 163. 168—174, peripatetici solutionum corporis 146. 149 sqq. 196 in addendis; de quaestionum convivalium fontibus et natura 170 sq.
Plutarchus personatus libelli *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου* auctor Dioscuridem compilavit 123. 174 sq., Dielsii corpus stoicarum allegoriarum 145. 166. 181 sq.; eiusdem stoicae doctrinae atque Dio Chrysostomus testis 175 sq.; emendatur c. 150 : 182 adn. 2
Porphyrius non Dioscuridem adhibuit (121. 146), sed uterque corpore peripatetico usus est 151 sq. 155 sq. 179. 180 sq. 182 sq., stoicarum allegoriarum Dielsii corpus secutus est 143 sq. 145. 166; ab Aristarcho sive Aristarcheis dependet 164 sq.; quaestio quaedam restituitur 125 adn. 3
Scholia Aristarcho vindicata v. Aristarchus; Chrysippeam rationem exprimunt scholia Ven. A et B ad *Θ* 53 : 142 sq.; peripatetici corporis videntur Ven. A ad *A* 449 : 131 sq., Ven. A et B ad *B* 381 : 153 adn. 1, Ven. A ad *I* 661 et Ven. E ad *K* 75 : 167, Ven. A et E ad *Π* 617 : 177, Ven. E ad *Υ* 84 : 153, scholia ad *γ* 267 : 153 sqq., cod. E ad *γ* 441 : 131 sq., cod. T ad *ϑ* 260, cod. V ad *ϑ* 379 : 176 sq.; in scholiis ad Apollonium Rhodium servatis Dielsii stoici corporis vestigia 144 adn. 2; tentantur scholia Ven. A ad *B* 378 : 134 adn. 1, Aristonici ad *δ* 19 : 138 adn. 1
Seleucus grammaticus Tiberii conviva 148 sq. 171 sq. 177 adn. 1. 180 adn. 1
Suidae et Athenaei ratio 121 sq. 158
Theophrastus *περὶ μέθης* 147 sq.

Digitized by Google

Tryphon Aristarchum secutus 131
Ulixes *ἀπαθής* 145; Epicuro voluptatis auctor 181 sqq.; eius *αὐτουργία* 141 sqq.
ζωρότερον κέραιρε 146 sqq.

INDEX LOCORUM
QUIBUS TRACTANTUR FRAGMENTA

I 121 sqq. 135. 156. 157 sqq. 187
II 132. 157 sqq. 161 adn. 5. 169. 187
III 187
IV 135 sq. 187
V 187
VI 187
VII 187
VIII 162. 166. 187
IX 140 sqq. 172. 187
X 162 sq. 187
XI 135. 159 sq. 187
XII 132 sq. 169. 187 sq.
XIII 133 adn. 1. 135. 172 sq. 188
XIV 135 sq. 188
XV 162. 167. 188
XVI 141. 172 adn. 1. 188
XVII 160. 161. 188
XVIII 181 sqq. 188
XIX 184. 188
XX 165 adn. 1. 188
XXI 167 sq. 188
XXII 149 sqq. 188
XXIII 139. 149—152. 174. 188
XXIV 184 sqq. 188
XXV 143 sqq. 150. 152. 167 sq.
XXVI 186 sq. 188
XXVII 125. 188
XXVIII 180 sq. 188
XXIX 125—128. 152 sq. 169
XXX 179 sq. 188
XXXI 128 adn. 2. 169. 188
XXXII 128 sqq. 139. 188
XXXIII 134 sq. 188
XXXIV 130 sqq. 169 sq. 173. 189
XXXV 136 sq. 169. 173. 189
XXXVI 155 sq. 189. 196 in addendis
XXXVII 137 sq. 153 sqq. 174 sq. 184. 189
XXXVIII 177. 189
XXXIX 176 sq. 189
XL 178. 189
XLI 179. 189
XLII 138 sq. 178. 189
XLIII 163 sqq. 169. 189
XLIV 165 sq. 189
XLV 143 sq. 172. 189

TABULA ARGUMENTI

pagina

I Fragmenta Dioscuridis *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* libelli . . . . . 89—120
II Commentatio . . . . . 121—192
Praefatio de Dioscuridis nomine . . . . . 121—124
Caput I de libelli fontibus . . . . . 124—156
1 de Aristarcho . . . . . 124—139
2 de stoicis vestigiis . . . . . 139—146

Digitized by Google

pagina
3 de Schraderi peripatetico solutionum corpore 146—156
Caput II de libelli finibus propagandis . . . . . 157—187
1 de Dione Chrysostomo . . . . . 157—168
2 de Plutarcho . . . . . 168—174
3 de Plutarcho personato libelli *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου* auctore . . . . . 174—175
4 de Athenaeo . . . . . 176—187
Libelli adumbratio . . . . . 187—189
Exodium de Dioscuridis aetate et reliquis scriptis . . . 189—192
III Indices . . . . . 193—195
Addenda et corrigenda 196

ADDENDA ET CORRIGENDA

Ad p. 100 Auctores 9 sqq. Stoicus quidam etc. *adde:* Seneca epist. XIII 3 (88), 5, cf. p. 183 adn. 1.

Ad p. 112, 19 sqq.: Haec Plutarchei 'Convivii' verba ex Hercheri ratione restituta sunt. Sed quae nunc iudicemus de constituendis his verbis, postquam Bernardakis inspeximus editionem modo emissam, exposuimus p. 173.

Ad p. 128 adn. 2 lege fr. 31.

Ad fr. 36 et p. 155 sq.: Ad eandem Ulixis et Achillis contentionem pertinet scholion Ven. A ad *I* 347: *πρὸς τὸ ἐν Ὀδυσσείᾳ ζητούμενον 'νεῖκος Ὀδυσσῆος καὶ Πηλείδεω Ἀχιλῆος'* (ϑ 75), *ὅτι ἐμφαίνει καὶ νῦν ἀναιρῶν τὴν ἐπιχείρησιν τῶν περὶ Ὀδυσσέα λεγόντων βουλῇ καὶ λόγῳ αἱρεθήσεσθαι τὴν πόλιν. νῦν γὰρ οὗτος ἐπισαρκάζων λέγει,* quod eiusdem Porphyrii quaestionis frustulum esse facile conicies. Ex quibus verbis non tam certam esse elucet Schweighaeuseri correcturam *δόλῳ* quam nobis ex altero Porphyrii consensu visum est. Sed ferri posse nunc putamus apud Athenaeum *λόγῳ*. Eiusdem autem de Agamemnonis gaudio solutionis, quam et Dioscurides et Porphyrius protulerunt, testis est Plutarchus in vita Agesilai c. 5: *τοῦτο δὲ ἀμέλει συνεωρακέναι καὶ τὸν Ὅμηρον οἴονταί τινες· οὐ γὰρ ἂν τὸν Ἀγαμέμνονα ποιῆσαι χαίροντα τοῦ Ὀδυσσέως καὶ τοῦ Ἀχιλλέως εἰς λοιδορίαν προαχθέντων 'ἐκπάγλοις ἐπέεσσιν', εἰ μὴ μέγα τοῖς κοινοῖς ἀγαθὸν ἐνόμιζεν εἶναι τὸν πρὸς ἀλλήλους ζῆλον καὶ τὴν διαφορὰν τῶν ἀρίστων.* cf. Welckeri epic. cycl. I p. 269. Unde ex peripatetico corpore haec fluxisse denuo confirmatur.

Digitized by Google

Zu Cicero's Schrift de republica.

'Cicero widmete das Buch (das Werk über den Staat) einem Manne, mit welchem er einst in Smyrna P. Rutilius Rufus sah, entweder seinem Bruder Quintus oder Atticus; mehr ist nicht zu ermitteln': so resumirte der sorgfältige Drumann, *Gesch. Roms* VI S. 86 das Ergebniss der bisherigen Untersuchungen über die Frage nach der Persönlichkeit, der Cicero sein grosses staatswissenschaftliches Werk gewidmet hat. Und in der That ist es (obwohl beides vor und nach Drumann geschehen ist) ebensowenig zulässig, aus den Worten die Atticus im Brutus 5, 19 an Cicero richtet (*ut illos de re publica libros edidisti nihil a te sane postea accepimus*) zu entnehmen, dass Atticus der so Geehrte gewesen sei, als aus der Aeusserung Cicero's an seinen Bruder (ad Quint. frat. III 5. 6, 1), die sich auf eine wieder fallen gelassene Aenderung des Planes der noch in der Ausarbeitung begriffenen Schrift bezieht (*loquar ipse tecum et tamen illa quae institueram ad te si Romam uenero mittam*), den Schluss zu ziehen, dass das fertige Werk dem Bruder dedicirt sei.

Aber eben die Stelle, von der man als der einzig sicheren Grundlage zur Beantwortung der Frage ausgegangen ist, lehrt bei schärferer Betrachtung, dass in der That nur an den Bruder Quintus zu denken sei. Am Schluss der Einleitung der Schrift de rep. I 8, 13 sagt Cicero: 'unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria est, quae mihi tibique quondam adulescentulo est a P. Rutilio Rufo Zmyrnae cum simul essemus complures dies exposita'. Als Cicero in Smyrna weilte — es war das auf der Reise, die er zur Kräftigung seiner sehr zarten Constitution und zu weiterer Ausbildung 79 und 78 v. Chr.

Digitized by Google

nach Griechenland und Kleinasien unternahm —, stand er im 29. Jahre seines Lebens: sein Reisebegleiter, den er als ‘adulescentulus’ bezeichnet, kann aber unmöglich der um drei Jahr ältere Atticus gewesen sein, nicht sowohl deshalb, weil der Ausdruck für ein Alter von 31 Jahren absolut unstatthaft wäre — obwohl auch das nicht ganz ohne Bedenken ist[1]) —, als vielmehr aus dem einfachen Grund, weil Cicero die Jugend seines Begleiters in dieser Verbindung, wo er ihn unmittelbar neben sich nennt, nur dann so einseitig hervorheben konnte, wenn dieser jünger als er selbst, nicht aber wenn er älter war: im letzteren Falle hätte er doch mindestens *adulescentulis* sagen müssen. Wir werden also mit Nothwendigkeit — da aus dem Freundeskreis Cicero's eben nur noch Quintus in Betracht kommen kann — auf seinen jüngeren Bruder geführt, der um volle vier Jahre von ihm geschieden, also damals erst im Alter von 24 Jahren stand.

Und die Verbindung Cicero's mit seinem Bruder war ja gerade in jenen Jahren, in denen die Bücher de republica entstanden, dieser aber als Legat Caesars in Gallien und Brittanien weilte und so Marcus werthvolle Dienste leisten konnte, eine besonders intime, wie er ihn denn auch unmittelbar darauf als Legaten mit nach Cilicien nahm.

Uebrigens spräche gegen Atticus auch noch eine weitere Erwägung. Dieser wurde ja eben durch die in Rede stehende Schrift Cicero's veranlasst[2]), seinen berühmten — oder, wie man nach dem neuerdings gewonnenen Einblick in das Wesen dieser Arbeit vielmehr sagen muss, seinen berüchtigten — *Annalis* zu schreiben, den er Cicero widmete. Ueber diese Dedikation und die von ihm sehr hoch gestellte Bedeutung des Werkes spricht sich nun aber Cicero selbst mit erfreuten

1) Das nächstkommende Beispiel dürfte das des Cicero selbst sein, der sich, als er die Vertheidigung für Roscius aus Ameria hielt, als *adulescentulus* (Or. 30, 107), gleich darauf als *adulescens* bezeichnet: doch hatte Cicero damals das Alter von 26 Jahren noch nicht überschritten.

2) Bei Cic. Brut. 5, 19 sagt Atticus selber: *eisque (de re publica libris) nosmet ipsi ad ueterum rerum ⟨nostrarum⟩ memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus.*

Digitized by Google

und ausführlichen Worten aus, jedoch ohne mit einer Silbe anzudeuten, dass hier nur ein *ἀντίδωρον* des Atticus vorliege (was es doch in jenem Falle gewesen wäre), vielmehr in einer Weise, die jene Voraussetzung geradezu ausschliesst, so nämlich, dass er sich ausdrücklich zu einer Gegenleistung verpflichtet, wenn auch augenblicklich nicht im Stande fühlt und bekennt. Die ganz unzweideutigen Worte Cicero's (Brutus 3, 14 — 4, 16) lauten: 'An mihi potuit, inquam (Cicero), esse aut gratior ulla salutatio aut ad hoc tempus aptior quam illius libri, quo me hic affatus quasi iacentem excitavit? Tum ille (Brutus): nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter amplexus est? Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. Tum Atticus: optatissimum mihi quidem est quod dicis; sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum aut tanto usui potuit esse? Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia uiderem. quae cum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio litterarum salutaris fuit admonuitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum si non pari, at grato tamen munere: quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet qua acceperis aut etiam cumulatiore si possis. ego autem voluntatem tibi profecto emetiar sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas a te peto'.

Diesen Ausführungen gegenüber kann ein ernsthaftes Bedenken nicht mehr erregen die oft besprochene Erzählung von Laurentius Müller [1]), der von seiner Reise in der Krimm, die er 1581 machte, berichtet: 'Wir haben auch einen Wolhynischen Edelmann mit uns gehabt, Woinowsky genannt . . . Derselbe hatte aus der Bibliotheca in der Wallachey, als der Despot vom Herrn Lasky eingesetzet und der Türkische Gu-

1) 'Polnische, Liefländische, Moskowitische, Schwedische und andere Historien so sich unter dem jetzigen Könige zu Polen zugetragen' (Frankfurt 1585).

Digitized by Google

bernator, der Alexander, geschlagen worden, herrliche monumenta scripta bekommen, darunter auch die libri Ciceronis de Republica ad Atticum, mit güldenen Buchstaben auf Pergament geschrieben, waren in einem Umbschlage mit einem unbekannten Sigel verpitschiert gewesen, wie man noch sehen konnte'. Man braucht an der Wahrheit der Thatsache, dass im 16. Jahrhundert noch eine Handschrift des Ciceronischen Werkes existirt habe, an sich durchaus keinen Zweifel zu hegen[1]); steht ja doch nicht bloss für das 10. Jahrhundert das Vorhandensein desselben fest[2]), sondern auch Petrarca scheint es noch gekannt zu haben[3]). Aber dass mit jenen Worten die Aufschrift des betreffenden Codex selbst genau wiedergegeben sei, muss jetzt direkt als unmöglich bezeichnet werden; nichts zwingt aber auch dies anzunehmen, um so weniger als auch in dem Vatikanischen Palimpsest sich in den allein erhaltenen Auf- und Unterschriften, denen des zweiten Buches, nur die Worte DE REPUBLICA INC. LIB. II. und M. TULLI CIC. DE REP. LIBER II. EXP. finden, und auch sonst in den Handschriften der Ciceronischen Werke nur ausnahmsweise den Titeln noch die Angabe 'ad Brutum' u. s. w. hinzugefügt ist. Es liegt bei Müller wohl nur gelehrte (eben aus Brutus a. a. O. geschöpfte, aber falsche) Combination vor.

Dass der Text des Palimpsestes sich keineswegs frei von Glossemen gehalten hat, ist von vielen bemerkt; z. B. tilgte im ersten Buch Dobree 14, 22 *caelo*, 18, 30 die Beischrift des Verses des Ennius und *catus*, Heinrich 17, 28 *de qua modo dicebatur*, Madvig 33, 50 *rex*, 34, 51 *eo nomine*, 43, 67 *sint*, Haupt 36, 56 *expoliri = ex parili*, C. F. W. Müller 19, 31 *locupletibus;* und zwar sind diese Glosseme mit Madvig zu reden 'additamenta ex pravo sententiae intellectu orta aut

---

1) Vgl. die Ausführungen von Moser p. XL und namentlich Münnich, Cic. libri de rep. notitia codicis Sarmatici illustrati Götting. 1825.

2) Vgl. Becker, catalogi biblioth. ant. (1884) p. 78 n. 9.

3) S. Negroni, *Petrarca a Novara* (1876) p. 19 und 20, wo dasselbe auch für Matteo Veggio angenommen wird.

Digitized by Google

etiam rectum intellectum declarantia'. Auch an der noch immer gequälten Stelle I 3, 6 ist allein ein Glossem die Ursache der Verwirrung, wie Urlichs a. gl. a. O. bereits ganz richtig erkannte, nur nicht festhielt:

nam vel exilium Camilli vel offensio commemoratur Ahalae vel invidia Nasicae vel expulsio Laenatis vel Opimii damnatio vel fuga Metelli vel acerbissima Marii clades, principum caedes vel eorum multorum pestes, quae paullo post secutae sunt.

Denn dass hier die Ueberlieferung der gesperrten Worte unhaltbar ist [1]), zeigt ebensowohl das Fehlen der Disjunctivpartikel vor *principum*, wie die hier zumal thörichte Tautologie *caedes vel eorum multorum pestes*. Eins von beiden, *caedes* oder *pestes* genügt, und zwar schrieb Cicero offenbar nicht *caedes*, was durch *pestes* zu erklären nie einem Leser in den Sinn gekommen wäre, sondern das gewähltere Wort *pestes*, dessen Sinn und etwas seltene pluralische Verwendung zu erklären die Beischrift dienen sollte *caedes eorum multorum*. Also konnte dieses letzte Beispiel der längeren Aufzählung nur lauten: *vel principum pestes;* nachdem aber das Glossem in den Text aufgenommen war, ergab sich die Umstellung der Partikel *vel* von selbst.

Ich füge gleich aus dem Anfang der Schrift zwei neue Belege solcher Glosseme hinzu:

I 1, 1 schreibt Cicero, nachdem er in der chronologisch geordneten Aufzählung von Ruhmesthaten, durch die sich römische Helden um das Vaterland verdient gemacht haben, bis auf den älteren Cato herabgelangt ist:

omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt et qui sunt ⟨non⟩ procul ab aetatis huius

1) Moser und Halm wollten *principum caedes* tilgen, Mähly *Zeitschr. f. Gymn.-Wes.* 1867 p. 807 allein *vel principum caedes* stehen lassen; andere wollten mehr retten, so C. F. W. Müller, indem er schrieb, *principum⟨que⟩ caedes vel eorum multorum pestes* oder Francken (*principum caedes multorum pestes⟨que⟩*); noch andere glaubten mit einer Aenderung von *eorum* auszukommen, sei es, dass sie statt dessen *bellorum* (Osann) schrieben oder *aliorum*, wie Urlichs Eos I p. 64 auch vorschlug.

Digitized by Google

memoria, [commemorare eos desino] ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur.

Cicero bricht also die Aufzählung ab und giebt als Grund dieses Abbrechens die Rücksicht auf die Empfindlichkeit der lebenden Generation an, da leicht der Eine oder der Andere seinen eigenen Namen oder den Namen eines der Seinigen in der Liste vermissen könne: mithin muss vor *procul*, wie längst erkannt ist, die Negation ausgefallen sein [1]).

Was aber wollen die Worte *commemorare eos desino* besagen? sollen sie den Begriff *omitto* einfach wiederholen? wenn sie das nur wenigstens thäten! sie fügen aber vielmehr mit *desino* einen neuen, hier ganz verkehrten Begriff hinzu; wie kann man aufhören etwas zu thun, was man noch gar nicht angefangen hat? Der Letztgenannte war ja doch der alte Cato gewesen, der Gegenwart näher stehende waren also überhaupt noch nicht erwähnt! Auch Halm's Aenderung, der für *qui* vorschlägt *quia* (besser wäre dann wenigstens *set quia sunt non procul* zu setzen), hilft gegen diesen entscheidenden Anstoss gar nichts. Ich sehe in den Worten lediglich ein Glossem, zu *omitto* hinzugeschrieben, nachdem die einfache Corruptel, die der Anfang alles Uebels wurde, bereits vor sich gegangen, nämlich nach SVNT ein NON oder NŌ ausgefallen war. Der Leser glaubte nun, Cicero habe sich nicht ganz correct ausgedrückt, wenn er von den der älteren Geschichte angehörigen grossen Männern Roms sage, er 'übergehe' sie; er

1) Ritschl, *Opusc.* III p. 812 betonte gewiss mit Recht, dass der Relativsatz *qui sunt — memoria* zu dem Vorhergehenden gezogen werden müsse; aber er wollte vielmehr *etiam qui sunt procul ab aetatis huius memoria* schreiben. Allein nicht in der älteren römischen Geschichte gab es die zahllosen hochverdienten Männer, die Cic. übergehen zu wollen erklärt, sondern in der jüngsten Vergangenheit; auch tritt so die Hauptsache, dass Cic. das Berühren der der Gegenwart näher liegenden Zeiten bedenklich findet, nicht genügend hervor. Für die folgenden Ausführungen ist es übrigens gleichgültig, wie man sich hierüber entscheidet: auch bei Ritschl's Aenderung bleibt *commemorare eos desino* ein nicht bloss überflüssiger, sondern logisch unklarer Zusatz, wenn er auch nicht mehr geradezu widersinnig ist, wie bei der gewöhnlichen Lesung.

Digitized by Google

hatte sie ja bereits zum Theil in dem Vorhergehenden genannt: also erklärte jener *omitto* umschreibend mit den Worten *commemorare eos desino*, welche dann vom Rand etwas weiter unten in den Text gekommen sind. An falscher Stelle ist das Glossem z. B. auch I 17, 28 eingesetzt. —

Ein zweiter Fall findet sich I 3, 5 an einer Stelle, an der Cicero die Ausführungen derjenigen Römer wiedergiebt, die es unter Berufung auch auf die Lehren griechischer Philosophen für das Verständigste erklärten, sich um den Staat gar nicht zu kümmern. Von diesen (*qui contra disputant* 3, 4) heisst es, mit besonderer Vorliebe schilderten sie alles Ungemach, was Staatsmännern widerfahren sei, alle Fälle von Ungerechtigkeit und Undankbarkeit der Mitbürger gegen jene aufzählend:

> hinc enim illa apud Graecos exempla, et Miltiadem [1]) ... vitam .... in vinculis profudisse et Themistoclem .... in barbariae sinus confugisse quam afflixerat. nec vero levitatis [Atheniensium] crudelitatisque in amplissimos civis exempla deficiunt, quae nata et frequentata apud illos etiam in gravissimam civitatem nostram dicunt redundasse.

Jenen Gegnern gehen also die Beispiele von Undankbarkeit gegen grosse verdiente Männer nicht aus: sie behaupten vielmehr, in Griechenland seien sie zuerst aufgekommen und mächtig gediehen, aber auch in den römischen Staat eingedrungen. Doch ist dieser einleuchtende Gedanke merkwürdig schief ausgedrückt: die Beispiele *levitatis Atheniensium* sind bei ihnen (also doch wohl den Athenern) entstanden und verbreitet, und eben sie nach Rom gleichsam herübergeflossen. Der erste

1) So vermuthete, wenn auch nur ganz zaghaft und neben anderen Vorschlägen, bereits Creuzer; überliefert ist *illa et apud Graecos exempla Miltiadem*, was man durch ein Anakoluth zu erklären sucht, bei dem überaus einfachen Satzbau an sich sehr unwahrscheinlich; aber mindestens hätte es doch *et illa apud Gr. ex.* heissen müssen, wie wirklich Heinrich conjicirte. Steht also *et* sicher nicht am rechten Platze, so empfiehlt es sich unbedingt, die Umstellung so vorzunehmen, dass auch zugleich der Hauptanstoss verschwindet.

Digitized by Google

Theil des Gedankens ist zwar richtig, aber in seinem ersten Gliede (dass die Heimath der Leichtfertigkeit der Athener in Athen sei) doch zu selbstverständlich, während sein zweiter Theil geradezu widersinnig ausgedrückt ist: in Rom gab's doch nicht Beweise von Undankbarkeit der Athener! Das hätte doch mindestens *Attica levitas* heissen müssen, wie man von *Attica fides* oder *Punica fides* spricht. Uebrigens ist auch die plötzliche Beschränkung auf die Athener, nachdem zuvor allgemein von *Graeci* die Rede war, anstössig.

Der beabsichtigte Gedanke ist aber vielmehr ein allgemeiner, so wie ich ihn oben formulirte: 'Ungerechtigkeit gegen verdiente Mitbürger ist zuerst bei den Griechen aufgekommen und hier sehr stark entwickelt und dann auch nach Rom übergetreten'; also fort mit *Atheniensium!* es ist zu *levitatis* hinzugefügt, eben weil die allgemeine Fassung des Gedankens nicht verstanden wurde und aus den zwei von Cicero der Geschichte Athens entnommenen Beispielen abgeleitet: *apud illos* geht nun ganz correct auf die vorher genannten *Graecos*.

Auch sonst bedarf der Text der Ciceronischen Schrift noch vielfach der Besserung.

Z. B. I 2, 3 *quae est enim istorum* (*philosophorum*) *oratio tam exquisita quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico iure et moribus.* — So liest man die Worte jetzt: im Codex steht aber von erster Hand über dem E von IURE ein I; mithin ist zu schreiben, was freilich auch ohne diesen Anhalt lediglich mit Rücksicht auf Gedanken und Wortstellung herzustellen gewesen wäre, *bene constitutae civitatis publico iuri et moribus.*

Oder I 4, 7 *quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam laboris neque tantum molestiae quam gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus quam ex laetitia improborum dolorem.* War es wirklich (ganz abgesehen von dem Gebrauch desselben Wortes *laetitia* in zwei ganz verschiedenen Bedeutungen in kürzestem Zwischenraum) die

Digitized by Google

Freude der schlechten Mitbürger, die dem verbannten Consul hauptsächlich Schmerz bereitete? welche Freude? die darüber dass er verbannt war? aber sie selbst hatten ja die Verbannung bewirkt, und eben dies war es doch, was Cicero tief betrübte: der Jammer darüber liegt ja in zahlreichen Aeusserungen vor. Also vielmehr die Undankbarkeit seiner Mitbürger, die *levitas crudelitasque*, wie Cicero kurz zuvor (3, 5) sich ausdrückt, waren hier zu erwähnen: und wie er gleich darauf von *immanibus adversariis* (5, 9) spricht, so wird er hier ihre *saevitia* erwähnt haben; das eben erst geschriebene *laetitiam* lag dem Schreiber noch im Kopf, als er *saevitia* in *laetitia* verdarb.

Ferner in der scharf präcisirten Ausführung über *virtus* und *ars*, die 2, 2 erhalten ist, heisst es: *nec vero habere virtutem satis est, quasi artem aliquam nisi utare; etsi ars quidem cum ea non utare scientia tamen ipsa teneri potest, virtus in usu sui tota posita est; usus autem eius est maximus civitatis gubernatio.* Der Gegensatz zu *scientia* (Theorie) ist mit *usu* (Praxis) gegeben: aber das zu *usu* hinzugesetzte *sui* verdirbt den Contrast und ist schwerlich lateinisch: es ist wohl nur aus einer irrthümlichen Dittographie der beiden letzten Buchstaben von *usu* entstanden.

Noch eins: die Erzählung des eigentlichen Dialogs beginnt mit den Worten (9, 14): *cum P. Africanus hic, Pauli filius feriis latinis . . . constituisset in hortis esse etc.* Hier nimmt man *hic* in dem Sinn von *ille*, 'jener bekannte': bedeutet das aber *hic?* Man verweist auf den Komikergebrauch, über den Bentley zu Terenz Adelph. V 8, 24 spricht; allein hier ist ja *hic* immer δεικτικῶς gesagt: z. B. Eunuch. V 5, 21 *Archonidis huius filiam.* Noch weniger passen die Beispiele, die man anführt um zu beweisen, dass Cicero selber diesen jüngeren Africanus mit *hic* bezeichne; ich brauche sie nur herzuschreiben, sie sprechen für sich selbst: pro Arch. 7, 16 *hunc, quem patres nostri viderunt, divinum hominem Africanum* und in Verrem V 25 *neque ad illius superioris Africani . . . celeritatem neque ad huius qui postea fuit singulare consilium.*

Digitized by Google

Da Cicero den Gentilnomina oder Cognomina bei ihrer ersten Erwähnung in diesem Dialog regelmässig den Vornamen hinzuzufügen pflegt und auch unten 19, 31 *L. Pauli nepos*, nicht bloss *Pauli nepos* sagt, vermuthe ich in HIC den Rest von LUCI; denn der codex Vaticanus schreibt öfters die Praenomina aus, z. B. gleich im Anfang (1, 1) *Aulus Atilius* und *Quintus Maximus*. Also schrieb Cicero wohl: *Publius Africanus, L. Pauli filius.*

C. Wachsmuth.

Digitized by Google

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ELFTER BAND.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1889.

Digitized by Google

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ELFTER BAND

Zweites Heft.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1889.

Digitized by Google

INHALT.

Seite

MAXIMILIANUS LUEDECKE, De fontibus quibus usus Arrianus Anabasin composuit 1

ROBERTUS WEBER, De Dioscuridis *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* libello 87

C. WACHSMUTH, Zu Cicero's Schrift de republica 197

PAULUS HARTLICH, De exhortationum a Graecis Romanisque scriptarum historia et indole 207

C. WACHSMUTH, Zu Seneca's Apocolocyntosis 337

J. H. LIPSIUS, Zu Demosthenes 351

Digitized by Google

DE

EXHORTATIONUM A GRAECIS ROMANISQUE

SCRIPTARUM

HISTORIA ET INDOLE

DISSERUIT

PAULUS HARTLICH.

Digitized by Google

Exhortationum (*Προτρεπτικῶν*) a Graecis Romanisque scriptarum historiam qui indagare vult et earum naturam atque indolem accurate exponere, non omnes tractabit veterum libros in quibus aliquo modo ad hortandum oratio spectat, sed eorum tantum rationem habebit qui arte et consilio ita confecti sunt, ut exhortationum speciem prae se ferant. Librorum enim genus apud Graecos exstitisse, cui nomen *προτρεπτικοί* inditum est, artificiose excultum multisque tractatum, hodie nemo negabit, quamquam virorum doctorum quae nunc circumferuntur de protrepticorum natura et ratione opiniones confusae fere sunt atque falsae. Itaque cum adhuc non nisi obiter a viris doctis de protrepticis dictum sit, nunc quantum fieri potest accurate de hac re quaestionem instituam idque potissimum sequar, ut quosnam libros veteres *προτρεπτικούς* appellaverint et quas in eis res quoque modo tractaverint, demonstrem.

Inquirenti autem in hanc rem non leves obiciuntur difficultates. Nam cum symposiorum, consolationum exemplis praestantissimis quae tradita sunt naturam et indolem harum litterarum optime cognoscere liceat, exhortationes plurimae eaeque antiquissimae temporum invidia perierunt. Quae enim nunc protreptici nomine inscripta feruntur, ea et pauca sunt et posterioribus demum saeculis scripta, velut Lesbonactis rhetoris inanes declamationes, Galeni *προτρεπτικὸς ἐπὶ τέχνας*, Iamblichi *προτρεπτικὸς εἰς φιλοσοφίαν*, Themistii orationes IX et XXIV. Accedunt hominum Christianae religionis studiosorum libri protreptici, quos minime hic curamus, inprimis

Digitized by Google

Clementis Alexandrini *προτρεπτικός*, deinde Iustini Martyris, Tatiani, aliorum quos mittimus.

Sed cum multo altius repetenda sit exhortationum historia, maxime dolendum est quod nihil nisi exigua fragmenta ex protrepticis supersunt: longe autem plurimos protrepticos non novimus nisi Laertii Diogenis mentione, qui in tabulis librorum a philosophis scriptorum titulum '*προτρεπτικός*' tam saepe affert, ut libros hoc nomine inscriptos et multos fuisse et artificiose exceltos recte colligere possimus.

Res etiam impeditior fit ideo, quod si veteres non apertis verbis locum ex protreptico sumptum esse testantur, ad iudicandum difficillimum est, num quae afferunt protreptico tribuenda sint. Argumenta enim quae in his libris tractantur tam varia sunt, rationes exhortationum tam diversae inveniuntur, ut ei, qui protrepticis fragmenta assignare velit, summa sit adhibenda diligentia.

Itaque ut in tanta subsidiorum inopia veteris protreptici imaginem refingamus, una est via ea, ut omnes accurate locos examinemus, quibus veteres dilucide de protrepticis locuntur, et, si omnia vestigia persecuti singula comparaverimus et cum eis coniunxerimus, quae ex recentioris aetatis protrepticis comperta habemus, tum recentiores etiam hoc in scribendi genere veterum exempla ad imitandum sibi proposuisse et ex virorum egregiorum auctoritate pependisse apparebit deque natura atque historia horum scriptorum certius aliquid proferre licebit.

Atque proficiscendum est ab Isocratis loco qui est in orationis vel epistulae ad Demonicum missae paragrapho tertia. Sed priusquam de hoc loco dicamus, de fide quae huic orationi tribuenda sit quid sentiam exponendum videtur. Dubitaverunt enim et antiquioris et recentioris temporis viri docti, num oratio *πρὸς Δημόνικον*, quae nunc prima legitur in corpore orationum Isocratearum, ab oratore Attico clarissimo composita sit. Ac primum quae veteres grammatici opposuerunt, non magni sunt momenti. Nam quod iudices illi critici omnes Isocratis *παραινέσεις* subditas esse affirmabant *διὰ τὸ*

Digitized by Googl

ἀσθενὲς τῆς φράσεως (Anonym. in vita Isocr.), Isocrates ipse eorum iudicium pravum esse docuit cum *παραίνεσιν πρὸς Νικοκλέα* (or. II) ipse laudaret (XV, 73) et ex tertia paraenesi *Νικοκλῆς* locum transferret in orationem *περὶ ἀντιδόσεως* (§ 253).

Harpocration (s. v. *ἐπακτός*) huius orationis § 23 laudat his verbis *''Ισοκράτης Ἀπολλωνιάτης ἐν ταῖς πρὸς Δημόνικον παραινέσεσιν'* quibus Isocratis discipulum eodem nomine e Ponto oriundum orationis auctorem significat. Fuerunt igitur qui, quod *παραινέσεις* Isocratis esse negabatur, ad Apolloniatem orationem referrent: viri credo magis nomine confisi quam certis argumentis nisi. Suidas quidem, qui Apolloniatae libros enumeravit, *λόγον πρὸς Δημόνικον* non exhibet, ineptissimeque quispiam paraenesin ad Demonicum scriptam idem esse diceret atque *τὸν προτρεπτικόν* Apolloniatae quem Suidas novit: nam protrepticis opponit auctor orationem suam (§ 3). Itaque concidit hoc grammaticorum inventum.

Contra Dionysius Halic., qui e LX orationibus Isocratis nomine circumlatis, XXXV subditas esse iudicavit, hanc primam Isocrati tribuit (de Isocr. 10. Rhet. 5). Deinde Hermogenes (Rhet. gr. III, 421, 4. 430, 9), alii rhetores, grammatici, de fide huius orationis non dubitare videntur.[1])

Veterum igitur iudicia, ut omnino in hisce quaestionibus eorum auctoritas levis est, ambigua sunt et rem plane in dubio relinquunt.

Inter eos qui his temporibus de hac re quaesiverunt, inprimis Benselerus laudandus est, qui in Jahni annal. (II, 121—133) multis argumentis orationem ab Isocrate abiudicare conabatur; et tanta fide plurimis viris doctis Benselerus disseruisse visus est, ut spuriam esse hanc orationem paene omnes sibi persuaserint.

At non sunt ea qua videntur vi et gravitate Benseleri argumenta, quod ne eos quidem fugit qui postea Benseleri de hac re sententiam professi sunt: Blassius[2]), Lehmann de

1) Omnes locos accurate collegit Keil, anal. Isocr. 1885 p. 13 sqq.
2) Blass, *Att. Bereds.* II, 256 sqq.

Digitized by Google

Lehnsfeld [1]), Jahr. [2]) Qui cum multa falso a Benselero contra orationem prolata esse cognovissent, in quaestionis tamen summa cum Benselero consentirent, orationis patronus exstitit Henkelius, qui in progr. Rudolphopol. graece conscripto Benselerum pedetemptim refutavit et orationem genuinam esse contendit. Etsi vero non omnia quae in suspicionem vocavit Benselerus, ab Henkelio dissoluta et explicata sunt, recte tamen Benseleri argumenta partim levia partim falsa aperuit, ut iustius ac cautius de hac oratione iudicare possimus.

Henkelium igitur et Jahrium adeant, qui quod contra Benselerum dicendum sit, scire cupiant: nos quaedam in universum proferemus a viris doctis nondum satis cognita, quae ut huius orationis formam et indolem perspiciamus et recte aestimemus respicienda esse censeo.

Atque tria sunt Benseleri argumenta, primum quod hiatus in huius orationis codd. saepius inveniatur, deinde quod loquendi usus discrepet ab Isocratis consuetudine, tum quod oratio nulla ratione disposita videatur. Ad hiatum quod attinet vanum esse Benseleri opprobrium, omnes nunc consentiunt.[3]) Restant duo argumenta ex quibus Blassio prius, alterum Lehmanno visum est gravissimum. Ac profecto negari non potest detractis ipsis eis, quae falso a Benselero notata sunt, esse nonnulla in sermonis usu quae offendant, eodemque modo Jahrio conamen, quo orationis certam dispositionem restituere ausus est eiectis multis locis quos interpolatos esse sibi persuasit, parum processit. Licet igitur aliquid veri insit in his Benseleri opprobriis, nequaquam his argumentis orationem ad Demonicum Isocratis non esse evincitur. Omnino enim priusquam, quo modo sermonis usu ab aliis Isocratis orationibus haec prima differat, tam accurate examinetur et inde quae secuntur temere colligatur, quaerendum est de huius orationis natura et indole, ut quo consilio scripta sit recte intellegatur.

---

1) Lehmann de Lehnsfeld, de orat. ad D. Isocrati abiudicanda, Diss. Lugd. Bat. 1879.

2) Jahr, Quaest. Isocr., Diss. Hal. 1881.

3) Cf. Schneider, '*Isocr., ausgew. Red.*' I p. V.

Digitized by Google

Non enim est oratio *ἐπιδεικτική*, non habemus verborum ambitus arte conditos et longe extensos, sed in epistulae speciem composita est admonitio ad virtutem vel *παραίνεσις*. Auctor enim veteris cum Demonici patre amicitiae memor adulescenti dono misit hanc paraenesin, qua eum docet quid petendum quid fugiendum, quibus hominibus familiariter utendum, quo denique modo vita instituenda sit, sive ut dicit § 12: *πειράσομαι συντόμως ὑποθέσθαι, δι' ὧν ἄν μοι δοκεῖς ἐπιτηδευμάτων πλεῖστον πρὸς ἀρετὴν ἐπιδοῦναι καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις εὐδοκιμῆσαι.*

Universa igitur bene vivendi doctrina summatim traditur, traditur vero a rhetore, non a philosopho, quod ei reputent, qui in hac oratione sententiarum ordinem diligenter dispositum desiderant: distinguendum enim utrum Aristotelis Ethica et Ciceronis de officiis libros an rhetoris ad puerum missam virtutis descriptionem legamus.

At dubitas num Isocrates, summus in rerum dispositione artifex, hanc cohortationum farraginem tam incompositam conscripserit: Lege quaeso reliquas duas Isocratis *παραινέσεις*, videbis orationis rationem in hac atque in illis plane esse eandem. Hae tres *παραινέσεις* omnino eundem in modum institutae ac dispositae sunt.[1]) In prima et altera oratione exordium excipiunt adhortationes et dehortationes (I, 13—43. II, 9—39), in tertia inter prooemium (1—13) singulasque adhortationes interposita est pars quam *βεβαίωσιν* rhetores dicunt (14—47), qua regum imperium laudatur et eius, qui dicit, regnandi ius atque dignitas exponitur. Iam vero quis non videt in omnibus his admonitionibus singulas *προτροπάς* et *ἀποτροπάς* neque ordinatas neque inter se conexas esse? Quod nobis fortasse offensioni est, veteribus autem non fuit. Isocrates enim ipse quomodo a paraenesi differant reliquae orationes exposuit XV, 68, ubi postquam quartae et octavae orationis locos attulit, de secunda oratione haec dicit: *οὐχ*

1) Cf. de hac re O. Kohl, de Isocr. suasoriarum disposit. Pr. Cruc. 1874 p. 7.

Digitized by Google

ὁμοίως δὲ γέγραπται τοῖς ἀνεγνωσμένοις· οὗτοι μὲν γὰρ τὸ λεγόμενον ὁμολογούμενον ἀεὶ τῷ προειρημένῳ καὶ συγκεκλειμένον ἔχουσιν, ἐν δὲ τούτῳ τοὐναντίον· ἀπολύσας γὰρ ἀπὸ τοῦ προτέρου καὶ χωρὶς ὥσπερ τὰ καλούμενα κεφάλαια ποιήσας, πειρῶμαι διὰ βραχέων ἕκαστον ὧν συμβουλεύω φράζειν. Dat igitur in his praecepta velut singula capita brevi forma contracta. Iam si hanc rationem, quam suam orator ipse agnoscit, ad hanc primam orationem transferamus, quid de ea iudicandum sit apparebit. Sed unum velim animadvertas, quod in Nicocleis, cum de pietate ac fide regis ac populi agatur, non tam late praecepta patent quam in oratione Demonicea, in qua omnia vivendi praecepta comprehenduntur. Quare in or. II et III licet paulo melius cohaereant singula praecepta quam in prima: si respexeris ad res et sententias ad totam vitae artem pertinentes ratio hic atque illic plane una est eademque.[1])

Itaque Benselerus, Jahrius, alii, qui primam orationem Isocrati abiudicant, cum in orat. II res nihilo melius ordinatas esse cognovissent, orationem secundam interpolatam esse dixerunt; totam, opinor, subditam esse coniecissent, si Isocrates suam esse non ipse professus esset. Nituntur autem loco orationis *περὶ ἀντιδόσεως* (XV, 73), quo Isocrates partem orationis secundae (II, 14—39) recitat. Urbinas quidem codex nihil praebet nisi primum et ultimum huius partis vocabulum, Vaticanus autem et Laurentianus integram exhibentes nonnulla omittunt (Blass, *Att. Ber.* II, 249, 1; Jahr, l. c. p. 43 sqq). Quae in his codd. desunt, viri illi docti postea appicta esse demonstrare frustra conati sunt: nam quae codices illi omittunt, ea in secundae orationis conexum optime quadrant; deinde vero, quod Vaticanus et Laurentianus quaedam praetereunt, nihil demonstrat; nam in antiquissimis libris manu scriptis locum ex orat. II repetitum omnino non exscriptum fuisse consentaneum est. Nihil autem proficit Jahrius (l. c. p. 43 sqq.) hos locos perscrutatus, ut quae offendant in eis

1) Blass, *Att. Ber.* II, 251.

Digitized by Google

inveniat. Ceterum si hos locos aliena manu insertos esse concedamus, mira quaedam et inaudita intercedit necessitudo inter hunc interpolatorem et auctorem nescio quem, qui primam orationem scripsit. Inter sententias enim primae et secundae orationi communes, quas collegit Albrechtus (in Philol. XLIII, 245), inveniuntur loci orationis secundae quos interpolatos esse dicit Jahrius. Denique, si ne his quidem argumentis quibusdam persuadetur, orationem secundam esse incorruptam, certe manent tertiae orationis *προτροπαί* quae maxime confusae sunt (Blass, *Att. Ber.* II, 253).[1])

Quae cum ita sint, nego eos recte argumentari qui quod res in §§ 13—44 non ex ordine dispositae sunt, orationem primam ab Isocrate abiudicant.

At dicet aliquis 'philosophi igitur diligentiam in hac paraenesi non exspectabimus, sed oratoris quae tandem est ars?' Recte obiciet, nam nisi artificium aliquod in hoc dicendi genere deprehenderetur, Isocratem illud exculturum fuisse non est credibile. Ac profecto est ars quaedam paraeneseos, sed quae sit, iam quaeritur. Isocrates ipse vero de hac re docuit in or. II, 40 sq. Exscribo verba quae ad nos attinent:

> *καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ πολλὰ τῶν λεγομένων ἐστὶν, ἃ καὶ σὺ γιγνώσκεις, οὐδὲ γὰρ ἐμὲ τοῦτο παρέλαθεν, ἀλλ' ἠπιστάμην — — ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐν τοῖς λόγοις χρὴ τούτοις [τῶν ἐπιτηδευμάτων] ζητεῖν τὰς καινότητας, ἐν οἷς οὔτε παράδοξον οὔτ' ἄπιστον οὔτ' ἔξω τῶν νομιζομένων οὐδὲν ἔξεστιν εἰπεῖν, ἀλλ' ἡγεῖσθαι τοῦ-*

1) Inter eos qui primam orationem Isocrati abiudicant, invenitur Bruno Keil, cuius verba sunt in Hermae vol. XXIII, 375 haec: *innere wie äussere Kritik haben die* Demonicea *als Fälschung erwiesen, die nicht nur im Anschluss an die erste* Nicoclea, *wie Albrechts Zusammenstellungen* (*Philol.* 43, 244 *ff.*) *zeigen, sondern auch, wie oft bemerkt, als directe Ausführung der Worte der letzteren Rede εἴ τις ἐκλέξειε τῶν παρεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας κτὲ.* (§ 44) *gearbeitet ist.* Nec minus confidenter Keilius omnes secundae orationis locos, qui in orat. de antid. omissi sunt, interpolatos esse dixit. Sed quam ille in §§ 16—33 dispositionem cognovisse sibi visus est, non invenitur in his paragraphis, et si inesset, Isocrates eam apertis verbis indicasset.

Digitized by Google

τον χαριέστατον, ὃς ἂν τῶν διεσπαρμένων ἐν ταῖς τῶν ἄλλων διανοίαις ἀθροῖσαι πλεῖστα δυνηθῇ καὶ φράσαι κάλλιστα περὶ αὐτῶν.

Adde locum (XV, 68) quem supra pag. 214 laudavi, ubi Isocrates dicit sententias in paraenesi *ὥσπερ κεφάλαια* conecti, dicendi formam esse *τὸ διὰ βραχέων φράζειν* vel *συντόμως ὑποθέσθαι*. Concise enim loquitur is qui praecepta dat, sententiae sunt strictissimae. Itaque figurae Gorgianae abunde adhibentur et singula membra in singulis verborum comprehensionibus accurate sibi respondent, velut II, 38. 39. Multo etiam concinniores in brevitate sententiae sunt primae orationis. Hac enim in oratione, ubi magister puero praecepta vitae tradit, verborum concinnitas et quae antithesi et parisosi efficitur aequabilitas quasi substituta est pro numerorum usu. Nam quis non intellegit, auctorem id praecipue studere, ut praecepta memoriae facile tradi possint? Quo studio perductus, ut sententiae auribus sono quasi blandiantur et mente facile percipiantur ac memoria teneantur, auctor non solum Gorgianis figuris nimis large usus, sed etiam in loquendi ratione poetas interdum secutus est et a constructione verborum Atticis probata paulo discessit. Etenim ut poeta metri vinculis a sermonis consuetudine paulo recedere cogitur, ita Isocrates libelli consilio ac ratione permotus in loquendi usu nonnulla sibi indulsit quae in orationibus suis epideicticis evitavit. Illustremus haec propositis singulis sententiis quae in prima oratione leguntur. § 18 *ἐὰν ἧς φιλομαθής, ἔσει πολυμαθής.* 20. *τῷ μὲν τρόπῳ γίγνου φιλοπροσήγορος, τῷ λόγῳ δὲ εὐπροσήγορος.* 40. *πειρῶ τῷ σώματι μὲν εἶναι φιλόπονος, τῇ δὲ ψυχῇ φιλόσοφος.* 27. *εἶναι βούλου τὰ περὶ τὴν ἐσθῆτα φιλόκαλος, ἀλλὰ μὴ καλλωπιστής· ἔστι δὲ φιλοκάλου μὲν τὸ μεγαλοπρεπές, καλλωπιστοῦ δὲ τὸ περίεργον.* Omnia haec verba *φιλομαθής, πολυμαθής* et similia, Benselerus notat *ἅπαξ εἰρημένα*. Sed quis mirabitur quod nusquam nisi hoc loco apud Isocratem inveniuntur? Ad usum suum eleganter conformata sunt. Ceterum bene animadvertas eiusmodi notiones ingeniose excogitatas a prae-

Digitized by Google

ceptore sequenti enuntiato explicari: confer §§ 15. 20. 27. 28. 31. Aequabilitatis aptaeque membrorum compositionis causa nonnullas in dicendi usu discrepantias ortas esse supra dixi; velut in his: § 13 *ἐκεῖνο μὲν γὰρ τῆς τῶν χρημάτων εὐπορίας σημεῖον, τοῦτο δὲ τῆς τῶν τρόπων καλοκαγαθίας τεκμήριον.* § 26 *ὁμοίως αἰσχρὸν εἶναι νόμιζε τῶν ἐχθρῶν νικᾶσθαι ταῖς κακοποιίαις καὶ τῶν φίλων ἡττᾶσθαι ταῖς εὐεργεσίαις.* § 34 *ἡγοῦ κράτιστον εἶναι παρὰ μὲν τῶν θεῶν εὐτυχίαν, παρὰ δ' ἡμῶν αὐτῶν εὐβουλίαν.* (Cf. quae Benselerus ad has paragraphos adnotavit).

Accedunt alia. Inveniuntur enim in hac oratione non pauca praecepta quae explanantur additis sententiis vel proverbiis et apophthegmatis. Exempli causa in § 20: *τὰς ἐντεύξεις μὴ ποιοῦ πυκνὰς τοῖς αὐτοῖς, μηδὲ μακρὰς περὶ τῶν αὐτῶν· πλησμονὴ γὰρ ἁπάντων.* § 25 *δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας, τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ βασανίζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγιγνώσκομεν.* § 29 *μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς· κοινὴ γὰρ ἡ τύχη καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.* Cf. §§ 27. 33. 40.

Probabile mihi videtur has gnomas rotundas et concinnas dicta esse vetusta quae Isocrates non ipse invenit sed e vulgari usu recepit. Supra enim legimus (in orat. II, 41) Isocratem in paraenesi, quod attinet ad argumentum, nihil novi proferre, sed aliorum dicta et sententias a se congeri et suaviter explicari confitetur. Quod verum esse etiam in nonnullis sententiis comprobari potest.

Confer § 16	cum Stob. fl. 9, 33
τὰς ἡδονὰς θήρευε τὰς μετὰ δόξης· τέρψις γὰρ σὺν τῷ καλῷ μὲν ἄριστον, ἄνευ δὲ τούτου κάκιστον.	*Πίττακος ἔφη· ἡδονὴ σὺν τῷ καλῷ δίκαιον.*

Quid? praepositionis *σύν* usus, quo maxime offenduntur Benseler et Blass, nonne dictione ad poetarum rationem conformata excusatur?

Digitized by Google

Deinde apophthegma insigni brevitate, quod legitur in § 40:

μάλιστα τὴν σεαυτοῦ φρόνησιν ἄσκει· μέγιστον ἐν ἐλαχίστῳ νοῦς ἀγαθὸς ἐν ἀνθρώπου σώματι.	confer cum Periandri decreto (Laert. D. I, 97) *Περίανδρος ἐρωτηθεὶς τί μέγιστον ἐν ἐλαχίστῳ εἶπε, φρένες ἀγαθαὶ ἐν σώματι ἀνθρώπου.*

Sententia quae exstat in orat. § 41 *πολλοῖς γὰρ ἡ γλῶττα προτρέχει τῆς διανοίας*, Pittaco datur apud Laert. Diog. I, 70 et Stob. fl. 3, 79.

§ 16. *Μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν· καὶ γὰρ ἂν τοὺς πολλοὺς λάθῃς, σεαυτῷ συνειδήσεις.*	Democriti fr. 100 Mull. *Μηδέν τι μᾶλλον τοὺς ἀνθρώπους αἰδέεσθαι ἑωυτοῦ, μηδέ τι μᾶλλον ἐξεργάζεσθαι κακόν, εἰ μέλλει μηδεὶς εἰδήσειν, ἢ εἰ πάντες ἄνθρωποι.*

Formam *συνειδήσεις*, quae offendit, Isocrates servavit nolens immutare tritum sermone proverbium.

Sic multa dicta et decreta inveniuntur quae modo septem sapientibus modo aliis philosophis tribuuntur, re autem vera ad certos auctores non possunt revocari. Quae Isocrates ea forma, qua pervulgata erant, recepit et in suum usum convertit. Quare errant qui, quod in his inveniuntur, quae ab Isocratis dicendi more discedant, orationem ab Isocrate scriptam non esse colligunt.

Accedit tertium, unde nonnulla Isocrate indigna in hac oratione orta esse puto, nempe quod depravata et interpolata ad nos pervenit. Omnibus fere gnomologiis hoc accidit, ut plane mirandum esset si hic libellus milies descriptus et in scholis a puerulis tritus, hanc corruptionis sortem effugisset. Quantum autem quae hodie legimus differant ab eis quae Isocrates scripsit, difficile est ad dicendum; fieri potest ut paulo post Isocratis mortem in scholis quaedam praecepta, quae idonea non videbantur, vel mutata vel eiecta, alia substituta sint. Ne quis tamen in emendanda hac oratione ver-

Digitized by Google

setur ea qua Jabrius ratione, qui vi ac studio dispositionem singulorum praeceptorum extricare conatus est. Medicina adhibenda est eis quae tradita sunt, in quibus perturbationes et vitia multa inveniuntur. Insignis est locus § 25, ubi verba *μὴ τυχὼν μὲν γὰρ οὐδὲν βλαβήσει κτέ.* ponenda sunt ante verba *περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀπορρήτων ἀνακοινοῦ.* Vidit hoc Bergkius, Poet. lyr. II, 126. Vitiose legitur etiam § 28. — Memorabiles sunt eae sententiae, quae plane solutae sunt ab reliquis et in quibus multa praecepta comprehenduntur, velut § 16 *τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ, τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, τοὺς δὲ φίλους αἰσχύνου, τοῖς δὲ νόμοις πείθου.* Cf. 32. His simillimae sunt *αἱ ὑποθῆκαι τῶν ἑπτὰ σοφῶν,* quas Sosiades refert apud Stob. fl. 3, 80.

Haec habui quae monerem ne quis temerarie hanc orationem Isocrati abiudicaret. Obiter tantum, ut rectius de huius orationis natura iudicari possit, sententiam meam aperui: rem secundum has rationes altius et accuratius persequendam esse aio. Argumenta vero Benseleri vide num tanti momenti sint, ut etiam nunc de huius orationis fide recte dubitare possis. Primum quidem vanum esse supra dixi, tertium reieci conlatis reliquis Isocratis admonitionibus eiusque de paraenesi praeceptis, secundum vero, quod ad sermonis vitia attinet, tam grave non est, non solum quod illa vitia omnino minora sunt, sed etiam quod ea, quae re vera inveniuntur, ex orationis quam explicavi condicione intellegi et excusari possunt.

Quare ne eae quidem offensiones, quas in prologo et epilogo esse Benselerus dixit, suspicionem movebunt. Has enim orationis partes Isocratis ingenium spirare, omnes consentiunt. Sententias si spectas, quae in hac oratione proferuntur, omnia illa vivendi praecepta veterum ingenium ac vetustam disciplinam redolent. Lege quae de orationis argumento iudicaverunt Sandys et Blass (*Att. Ber.* II, 259). — Unum tantum addam. Supra pag. 215 dixi miram intercedere inter primam et alteram Isocratis orationem similitudinem. Sunt enim loci in utraque oratione qui ad verbum paene consentiant, quos Albrechtus, ut dixi, collegit (in philol. XLIII, 245). Sed etiam mirabiliora sunt quae Albrechtus compositis his locis con-

Digitized by Google

clusit: „*dafs beide Reden entweder eine gemeinsame Quelle haben, oder dafs die eine Original, die andre Kopie ist. In jenem Falle mūfste Isocrates, falls die erste Rede echt, zweimal einen Andren, in diesem mūfste er sich selbst ausgeschrieben haben.*“ Mirum sane ad exitum pervenit Albrechtus. Mitto quod eos tantum locos attulit, qui cum secunda oratione conferri possunt, cum in aliis orationibus non sint nulli: velut confer I, 8 cum X, 45; § 11 cum VI, 81. VIII, 56; § 39 cum VIII, 34. IV, 28; § 5 cum VIII, 62. XV, 217; § 38 cum III, 43. Albrechtus dicit, alteram orationem alterius esse exemplar. Quid? argumentum utriusque orationis nonne singulare est ac diversum? nonne in dictis tantum singulis certisque dicendi conspirant formulis, quibus omnino Isocrates non semel usus est? Quod autem praecepta quaedam primae et secundae orationis inveniuntur quae vel in pusillis congruunt, non miror: quae enim Isocrates in secunda oratione regi dat, redeunt in prima, si privato quoque homini conveniunt. Albrechtum offendit quod Isocrates (II, 40) aliorum sententias se ad suum usum contulisse dixit, cum, si modo prima oratio ante secundam scripta est, auctor de sententiis ab ipso antea prolatis apud auditores se excusare deberet. At hoc ipso argumento Albrechtum nunc refello. Nam cum Isocratem *ἐν ὑποθήκαις* aliorum dicta proferre dudum viderimus, quid mirum quod in utraque oratione praecepta inveniuntur plane eisdem verbis edicta?

Non aptum igitur est, quod Albrechtus huius orationis auctorem dicit semidoctum. Immo optimi aevi monumentum est neque ignotum Anaximeni *τέχνης ῥητορικῆς* auctori (Blass, *Att. Ber.* II, 361. Jahr, l. c. p. 28). Caveamus ergo ne in posterum sive quod omnino a paraeneseos oratione abhorremus sive quod Isocratis artem et elegantiam non recte solis ex eius epideicticis orationibus aestimamus, obscuretur iudicium nostrum, ne in similem inducamur errorem, quo captus Henricus Stephanus (in diatr. Isocr.) non tantum primam, sed etiam alteram orationem Isocrati abiudicavit: ducentis enim annis et duodeviginti post a Mustoxyde in bibliothecis inventa est illa pars

Digitized by Google

orationis XV, in qua Isocrates huius orationis auctorem se esse disertis verbis testatur. —

Sed iam confirmata huius orationis fide et auctoritate redeamus ad eum locum a quo profecti sumus. In § 3 igitur et quae proxime secuntur leguntur haec: *ὅσοι μὲν οὖν πρὸς τοὺς ἑαυτῶν φίλους τοὺς προτρεπτικοὺς λόγους συγγράφουσι, καλὸν μὲν ἔργον ἐπιχειροῦσιν, οὐ μὴν περί γε τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας διατρίβουσιν· ὅσοι δὲ τοῖς νεωτέροις εἰσηγοῦνται μὴ δι' ὧν τὴν δεινότητα τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσκήσουσιν, ἀλλ' ὅπως τὰ τῶν τρόπων ἤθη σπουδαῖοι πεφυκέναι δόξουσι, τοσούτῳ μᾶλλον ἐκείνων τοὺς ἀσκοῦντας ὠφελοῦσιν, ὅσον οἱ μὲν ἐπὶ λόγον μόνον παρακαλοῦσιν, οἱ δὲ τὸν τρόπον αὐτῶν ἐπανορθοῦσιν. Διόπερ ἡμεῖς οὐ παράκλησιν εὑρόντες ἀλλὰ παραίνεσιν γράψαντες μέλλομέν σοι συμβουλεύειν, ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι καὶ ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν καὶ πῶς τὸν ἑαυτῶν βίον οἰκονομεῖν.* Ex his verbis duo utique colliguntur: primum Isocratem *τοὺς προτρεπτικοὺς λόγους* memorare quasi notum aliquid aliisque probatum, deinde opponere eum suam ad Demonicum orationem *τοῖς προτρεπτικοῖς λόγοις* ut gravius opus levioribus illis. Quaeritur autem quos Isocrates dixerit illos *προτρεπτικοὺς λόγους*. Perperam O. Schneiderus, novissimus huius orationis editor, verba intellexit vertens „*die* (*zu der wissenschaftl. Beschäftigung und damit zur Bildung*) *nötigen Anleitungen.*“ *Προτρέπειν* est ‘instigare’, segnius progredientem vel subsistentem incitare. Hesych. *προτρέπειν· προβιβάζειν.* Per translationem *προτρέπειν* et *προτρέπεσθαι* est ‘exhortari, adhortari’. Hesych. *προτρέπου· παρακάλει.* Adiectivum *προτρεπτικός* significat id „quod ad exhortandum valens est“. Sic Aeschines (III, 542) quod praeco quondam nuntiaverat fore ut filii eorum qui pugnis fortes se praestiterint, publice usque ad pubertatem educentur, appellat *κήρυγμα προτρεπτικώτατον πρὸς ἀρετήν*. Cf. Aesch. I, 191.

Προτρεπτικοὶ λόγοι verba sunt aut — si verba arte sunt disposita et coniuncta — orationes quae ad exhortationem valent

Digitized by Google

vel in quibus vis hortandi inest. Has igitur orationes qui ad suos mittunt, secundum Isocratem pulchrae quidem rei student, neque vero quod summum est philosophiae secuntur. Atque *τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας* Isocrati videtur esse eloquentiae studium eaque dicendi facultas qua quis hominum animos et mores excolere atque confirmare possit. Ei vero qui *τοὺς προτρεπτικοὺς λόγους* conscribunt, cum ad dicendi tantum vim et exercitationem discipulos adhortentur (cf. § 4 *οἱ μὲν ἐπὶ λόγον μόνον παρακαλοῦσι* et *δι' ὧν τὴν δεινότητα τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσκήσουσιν*) ingenii conformationem neglegunt. Haec facile intelleguntur. Difficiliora sunt quae secuntur: *διόπερ ἡμεῖς οὐ παράκλησιν εὑρόντες ἀλλὰ παραίνεσιν γράψαντες μέλλομέν σοι συμβουλεύειν κτέ.*

Schneiderus quidem graviter opposita dicit participia *εὑρόντες-γράψαντες*, prius explicat „*gesucht, mühsam ausstudiert*“, *γράψαντες* „*rasch hingeworfen*“. Recte interpretari Schneiderum nequaquam concedo.[1]) Contraria sunt hoc loco inter se verba *παράκλησις* et *παραίνεσις*; orationem enim ad Demonicum *παραίνεσιν* dicit, *παρακλήσεις* vero vocat *τοὺς προτρεπτικοὺς λόγους*. *παράκλησιν* hic pro *προτροπῆς* notione accipiendam esse sponte apparet testaturque Harpocration hunc locum respiciens ‘*παράκλησις· ἀντὶ τοῦ προτροπή*’. Ac saepius *παρακαλεῖν* et *προτρέπειν* coniunguntur ab Isocrate, cf. III, 12. 43. IX, 77. XV, 84. 85. *Παραίνεσις* non est exhortatio, sed ut Senecae verbo utar (ep. 95, 65) praeceptio. In paraenesi dantur *ὑποθῆκαι ὡς χρὴ ζῆν* (Isocr. or. II, 3); orator in ea non adhortatur, sed monet, suadet, praecipit. Itaque paraenesis propius attinet ad *γένος συμβουλευτικόν*, ut recte statuit Ammonius de diff. verb. 132: *παραίνεσις ἐστὶ συμβουλὴ ἀντίῤῥησιν οὐκ ἐπιδεχομένη διὰ τὸ ἐξ αὐτῆς λεγόμενον πάντως ὁμολογεῖσθαι ἀγαθόν, ὡς εἴ τις παραινέσει σωφρονεῖν, ὅπερ ἐστὶν ὡμολογημένον ἀγαθόν.*

Contra in protreptico orator mere exhortatur. Sed quamnam ad rem? Dubium esse non potest, eae orationes quas

1) Vide Volkmann, *Rh. d. Gr. u. R.*[2] p. 337 adn.

Digitized by Google

protrepticas novit Isocrates, quin fuerint *παραιλήσεις πρὸς τὴν ῥητορικὴν τέχνην*. Aliter enim verba — *δι' ὧν τὴν δεινότητα τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσκήσουσιν* et — *ἐπὶ λόγον μόνον παραιαλοῦσι* — explicari non possunt.[1]) Isocrates igitur in § 5 haec dicere voluit: „itaque ego non adhortationem ad eloquentiae studium excogitavi (*παράκλησιν*), sed paraenesin scripsi, ut tibi quae a puero facienda fugiendaque sint praecipiam."

Ex Isocratis loco intellegitur eo tempore circumlatas esse protrepticas orationes a magistris ad discipulos habitas, quibus adulescentes ut in dicendi arte studium collocarent, arte et ratione confirmati sunt. Quod orationum genus, etsi exemplum non superest, e s o p h i s t a r u m tamen genere ortum esse pro certo affirmamus. Quamvis enim varia fuerint sophistarum studia, quamvis multiplex eorum doctrina: in hac tamen re omnes consentiunt, ut eis qui eruditionis participes fieri vellent, comparandam dicerent facultatem callide disserendi et virtutem ad persuadendum accommodatam. Haec enim est ista *δεινότης ἡ ἐν τοῖς λόγοις*, quam Isocrates hoc loco dicit et quam suis pollicetur Protagoras (Plat. Prot. 318ᵉ); in dicendi exercitatione nititur quasi fundamento *ἡ παιδεία*, ad quam sophistae adducere student discipulos. Hanc igitur artem colendam cum primo loco sophistae discipulis commendarent, fiebat ut, priusquam interiorem traderent disciplinam, in scholis verba facerent de comparanda dicendi facultate eiusque ad ingenia conformanda et mentes exacuendas vi atque utilitate. Has vero orationes, quibus auspicati sunt disciplinam suam sophistae, p r o t r e p t i c a s fuisse, Isocrati facile credimus. Adhaeret enim sophistis studium comparandi admiratores ac sectatores. Itaque eae orationes, et quibus demonstrabant, quam rectam ad virtutem et *παιδείαν* viam cognovissent et quibus auditores, ut hanc virtutis viam ingrederentur eorumque disciplinae se committerent exhortan-

1) Neglexit hoc Bergkius, qui A r i s t o t e l i s protrepticum ab Isocrate significari coniecit (Lg. IV p. 365): Sed obstant huic sententiae etiam alia quae de protrepticis effici possunt.

Digitized by Google

tur, omnes fuerunt natura *προτρεπτικοὶ λόγοι*, et, cum omnis *παιδείας* initium dicerent facundiam quandam et orationis sollertiam, ad discipulos et habuerunt et scripserunt *προτρεπτικοὺς πρὸς τὴν ῥητορικὴν τέχνην*. In his orationibus, sicuti res ipsa tulit, sophistae quam maxime dicendi genere eleganti conditoque suavitate atque omnibus sermonis artificiis usi sunt, quibus audientium animos permulcere eosque ad se adlicere possent.

Iam vero recte ad sophistas exhortationum initia referri, testis gravissimus est Plato, qui in Euthydemo dialogo sophistarum *προτρεπτικούς* perstrinxit. Producit enim Euthydemum et Dionysodorum, fratres sophistas, qui celerrime atque optime virtutem se docere dicunt (273 d). Quos Socrates, cum quaerenti respondissent se virtutem etiam eis tradere discipulis, quibus eam doceri posse nondum persuasum esset, maxime idoneos esse ratus qui ad sapientiae ac virtutis studium adhortarentur (274 e), rogat ut exemplum huius artis praebeant et Cliniae adulescenti persuadeant *ὡς χρὴ φιλοσοφεῖν καὶ ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι* (275). Mox autem cum sophistae meris nugis et versutiis adulescentem perturbassent, Socrates eos ioca agere opinatus, ipse ex tempore specimen dare conatus est, qualem sibi finxerit *τὴν προτρεπτικὴν σοφίαν* (278 d). — Hoc loco omnia demonstrant, Socratem non esse versatum in protreptici arte exercenda, sed peritos eius esse sophistas. Nam ut ad rem insuetam adgreditur his verbis: *τολμήσω αὐτοσχεδιάσαι ἐναντίον ὑμῶν* (278 d) et *τὸ μὲν ἐμὸν παράδειγμα οἵων ἐπιθυμῶ τῶν προτρεπτικῶν λόγων εἶναι τοιοῦτον, ἰδιωτικὸν ἴσως καὶ μόλις διὰ μακρῶν λεγόμενον* (282 d). De Platonis protreptico infra dicam. Nunc satis est statuisse sophistas sibi adrogasse *τὴν προτρεπτικὴν σοφίαν*, id est docendi quandam artem, qua audientibus scientiam seu virtutem utique comparandam esse persuadetur simulque ad earum curam studiumque incitatur. Quod autem supra ex Isocratis loco collegimus, sophistarum *προτρεπτικοὺς λόγους* id potissimum spectasse ut discipulorum ingenia ad disserendum apta fierent,

Digitized by Googl

probatur Euthydemi et Dionysodori cum adulescente colloquio. Nam etsi sophistarum exhortandi artem Plato festive explosit, hoc certe credimus, sophistas dialecticis captionibus dictisque argutis admirationem discipulis inicere studuisse.

Sed ut omnino sophistarum virtutis et litterarum laus brevi tempore imminuta est, sic exhortationum quoque genus paulo post depravatum esse videmus. Ex Euthydemi enim fine videmus Athenis eo tempore cives probos incertos fuisse, quibus magistris filios traderent instituendos: qui cum rhetorum et sophistarum nugas viderent, homines simplices non potuerunt haec studia non despicere totamque aspernari philosophiam. Omne enim litterarum studium et verum discendi ac sciendi desiderium sublatum videbatur funditusque eversum, cum cognitio posita esset in verborum contentione et simulata sapientia (Bonitz, *Plat. Stud.*, p. 122). Quare eorum qui sincerae veritatis studiosi erant, si confundi nollent cum illis, magnopere interfuit abiectis et depulsis a se sophistarum artibus monstrare hominibus diversissima esse illorum studia a suis. Quod Isocratem fecisse videmus cum multis locis tum in or. XIII *κατὰ τῶν σοφιστῶν*. Sed cum ne hic quidem, quae sit verae philosophiae vis ac natura perspexisset, utpote qui ipse homines ad scientiam pervenire posse negaret et in arte oratoria omnem ingenii cultum et doctrinam inesse putaret, hac in oratione Platonis verae philosophiae studia cum sophistarum arte confudit eiusque dialogos mentis tantum exercitationes esse iudicavit, quibus ingenium quidem acuatur, ad vitam autem *οὐδ' ἂν ἐλάχιστον μέρος ἀπολαύσομεν* (XIII, 11). Plato igitur in Euthydemo cum philosophiae patronus existeret, et philosophos non veros nec genuinos esse sophistas demonstrare et Isocrati philosophiae obtrectatori respondere debuit. Qua arte utrumque coniunxerit Plato, exposuit Reinhardtius, de Isocr. aemulis p. 30 sqq.

Caput autem eorum philosophorum, quorum specimen Plato Euthydemi et Dionysodori personis depingere videtur, Athenis eo tempore fuit Antisthenes Cynicus, qui (*ἀπὸ ῥητόρων φιλόσοφος*, Suid.) primus artem sophistarum cum

Digitized by Google

philosophandi ratione coniunxit. Quanta Antisthenes tum apud homines auctoritate fuerit, non minimum ex eo cognoscitur, quod Plato eius doctrinam in libris suis saepissime impugnare ac refellere studet. Et ne in Euthydemo quidem, ubi Plato philosophiam vere Socraticam simulatae sophistarum sapientiae opposuit, cum fatuis istis dialecticis tantum egit — indigni enim erant, qui a Platone refellerentur — immo id est eius consilium ut Antisthenis disciplinam ad iuventutem educandam minime aptam esse ostendat (Bonitz, *Plat. Stud.* p. 130. Duemmler, Antisth. p. 59). Fuisse autem Antisthenem inter eos, qui *τὴν προτρεπτικὴν σοφίαν* sibi sumpserunt, optime cognoscitur ea re, quod auctor est operis exhortatorii, in libros tres digesti, quod a Laertio Diogene VI, 16 affertur hoc titulo: *περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικὸς πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, περὶ Θεόγνιδος δ′ ε′.*

Index libri num recte se habeat, multi dubitaverunt. Winckelmannus [1]) Ambrosio antecedente delet verba *περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας*, Adolphus Mueller [2]) verbum *προτρεπτικός* grammaticorum additamentum esse censet, Hirzelius [3]) post *ἀνδρείας* interpungens, titulo *περὶ δικ. κ. ἀνδ.* singularem librum significari dicit. Ego nihil mutaverim. Verum quidem est quod Hirzelius (l. c.) dixit, nihil amplius addi solere ad titulum *προτρεπτικός*: sed non est quod traditum perditi libri indicem ad arbitrium mutemus. Insuper ne cum Hirzelio distrahamus inscriptiones, primum impedit quod in catalogo aliae exstant simillimae, velut *περὶ παιδοποιΐας ἢ περὶ γάμου ἐρωτικός, περὶ τῶν σοφιστῶν φυσιογνωμονικός, περὶ νίκης οἰκονομικός*, deinde quod singulares libros *περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας* Antisthenem composuisse vix est credibile, cum in tabula legantur tituli *περὶ ἀνδρείας, περὶ νόμου ἢ περὶ καλοῦ καὶ δικαίου.*

Non minus difficilis est altera quaestio, quid significet titulus *περὶ Θεόγνιδος δ′ ε′*. Coniecit Nietzschius [4]) pro *περὶ*

1) Antisth. fragm. coll. Winckelmann, 1842.
2) Mueller, de Antisth. Cyn. vit. et script. Progr. 1860.
3) Hermes X, 72, 1. 4) in Mus. Rhen. XXII p. 195.

Digitized by Google

Θεόγν. subaudiendum esse *περὶ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης*, quarum virtutum praeco Theognis est: habes quattuor fontes honestatis, de quibus Antisthenes in protreptico apte disserere potuit. Sed neutiquam verba quae tradita sunt *περὶ Θεογν.* Nietzschius hac ratione explicavit. Quod de Theognide Antisthenes scripsit, non pertinet ad protrepticum, in quo Antisthenem Gorgiana dicendi ratione usum esse testis est Laertius Diogenes VI, 1, 1. Veri autem est simile Antisthenem Theognidi interpretando operam navasse eiusque libello quasi enchiridio usum *τὰς ὑποθήκας παραινετικάς* (cf. Isocr. II, 43) explicasse, poetam modo laudantem modo corrigentem, quos commentarios in bibliothecis grammatici coniunxerunt cum opere exhortatorio, quem ad modum in Isocratis Nicocle (or. III) protrepticam orationem [1]) secuntur *ὑποθῆκαι* et in Iamblichi protreptico adiungitur (a cap. XX) *ἡ διὰ τῶν ὑποθηκῶν προτροπή*, ut denique omnino artissime coniuncti sunt *ὁ ὑποθετικός* et *ὁ προτρεπτικὸς λόγος* (Stob. Ecl. II 52 p. 44).

Haec sufficiant de titulo. Quae autem libri indoles fuerit, quas res et quo modo Antisthenes exposuerit, ne coniectura quidem assequi possumus. Gorgiana oratio in hoc opere notabatur, ut dixi. His convenit quod a grammaticis in protreptico singulae voces observabantur, quibus Antisthenes peculiari sensu usus est. Narrant Pollux (VI, 16, 98. X, 19, 68), scholiasta Apoll. Rhod. (II, 569) alii, Antisthenem de poculorum genere, cui nomen fuit *βομβυλιός*, verba fecisse, quod vas liquorem ex angusto ore guttatim emittit. Isocrates in Hel. laud. 12 sophistis obiciens quod res exiguas vilesque propterea ad laudandum sibi sumerent, quod aemulos ea in re non haberent, haec dicit: *τῶν μὲν γὰρ τοὺς βομβυλιοὺς καὶ τοὺς ἅλας καὶ τὰ τοιαῦτα βουληθέντων ἐπαινεῖν οὐδεὶς πώποτε λόγων ἠπόρησεν, οἱ δὲ τῶν ὁμολογουμένων ἀγαθῶν ἢ καλῶν ἢ τῶν διαφερόντων ἐπ' ἀρετῇ λέγειν ἐπιχειρήσαντες πολὺ καταδεέστερον τῶν ὑπαρχόντων ἅπαντες εἰρήκασιν.* Antisthenem perstringi ab Isocrate nemo non videt. Cur autem

1) Volkmann, *Rh. d. Gr. u. R.*² p. 337.

Digitized by Google

hoc poculum laudaverit Antisthenes, ex Athenaei loco XI, 784 d quem recte huc rettulit Winckelmannus, colligitur: *βομβυλιός. θηρίκλειον Ῥοδιακόν, οὗ περὶ τῆς ἰδέας Σωκράτης φησίν· οἱ μὲν ἐκ φιάλης πίνοντες ὅσον θέλουσι τάχιστ' ἀπαλλαγήσονται, οἱ δὲ ἐκ βομβυλιοῦ κατὰ μικρὸν στάζοντες.* Iam si recte hic locus Antisthenis protreptico datur, duo statim secuntur: primum Antisthenem Socratis discipulum fuisse cum protrepticum scriberet, quod scitu perdignum, quoniam a sophistis protreptici orti sunt et sophistarum dicendi usum in protreptico Antisthenis inventum esse diximus. Deinde vero, cum Socrates loquens eo loco inducatur, comprobatur quod e Laertii verbis VI, 1 efficitur, exhortationes scilicet fuisse dialogos, sicuti alii Antisthenis libri teste Laertio II, 54. III, 35. Quodsi *τὸ ῥητορικὸν εἶδος* cum in omnibus dialogis tum in protreptico insigne fuit (L. D. VI, 1), vividum conloquentium sermonem institutum esse vix credibile est. Sed dialogi forma usus est Antisthenes, quod Socratis vestigia pressit: sophistarum vero *προτρεπτικοί* eam non habebant. Ceterum memorabile est, quod in Euthydemo Socrates sophistas invitat, ut in protreptico — *εἰ μὴ διαφέρει* (275 b) — dialogo utantur, 'quod eo adulescens magis assuetus sit'.

Nihil amplius de Antisthenis protreptico statui potest; quae enim viri docti occasione data de huius libri argumento coniectaverunt [1]), inutilia sunt quod certis argumentis carent.

Alius Socratis discipulus Aristippus Cyrenaeus, voluptariae sectae auctor, qui priusquam in Socratis disciplinam se dedit, ipse sophistarum artes factitaverat, *προτρεπτικόν* scripsit Sotione et Panaetio testibus apud Laert. Diog. II, 85. De eius libris nihil compertum habemus ac ne tituli quidem librorum Aristippeorum, qui apud Laertium Diog. II, 83 sqq. sunt, satis constant. Aristippi enim volumina duabus enumerantur tabulis, quarum prior continet duo opera: historiae Libyae libr. III et volumen XXV dialogorum, quorum indices nominantur. Altera tabula a Sotione et Panaetio probata, XII titulos

1) Cf. Usener, quaest. Anax. p. 10; E. Weber, Stud. Lipsiens. X. p. 200.

Digitized by Google

continens, VII tantum profert eosdem atque prior tabula. Restant igitur indices quinque in Sotionis et Panaetii tabula, qui in priore non inveniuntur: *περὶ παιδείας, περὶ ἀρετῆς, προτρεπτικός,* — qui primo loco in tabula nominantur —, et duo extremo loco positi: *πρὸς Σωκράτην, περὶ τύχης.* Fieri igitur potest ut quinque hi libri, quos Sot. et Pan. afferunt, lateant in reliquis librorum titulis a Laertio laudatis. Sed cum ne prior quidem tabula integra sit, laudante Diog. VIII, 1, 9 Aristippi librum *περὶ φυσιολογιῶν,* qui deest in tabula, praestat conicere quinque illos libros in priore tabula errore omissos esse, quod eo facilius fieri potuit, si hos libros non dialogi forma compositos ob eamque rem in dialogorum volumine non comprehensos fuisse suspicamur. Probabile mihi hoc videtur, quod horum librorum inscriptiones ab reliquis differunt, et in protreptico quidem oratoria dicendi forma ad argumentum accommodatior est.

Antisthenes igitur et Aristippus philosophi, qui sophistarum alumni eorumque studiis nutriti postea in Socratis disciplinam transierant, protrepticos a sophistis ad philosophos transtulerunt.

Nec mirandum hos viros Socratis discipulos factos exhortandi morem non abiecisse. Socrates enim ipse erat *φιλόσοφος προτρεπτικώτατος* solebatque dicere (Cic. de or. I, 46) perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendae perspiciendaeque virtutis. Hoc autem ipsum Socrati exprobraverunt. Socratis enim mos adulescentes ad virtutem adhortandi, cum quae facerent, perversa, quae scirent, falsa esse demonstraret, multos ad errorem perduxisse videtur, quasi Socrates adhortari ad virtutem tantum, adducere non posset. Haec iudicia post Socratis mortem audita esse, e Xenophontis cognoscitur verbis Mem. I, 4, 1: *εἰ δέ τινες Σωκράτην νομίζουσιν, ὡς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι, προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δ' ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανὸν, σκεψάμενοι κτἑ.* Acerrime autem ob hanc rem Socratem vituperavit Clitophon in dialogo, qui inscribitur *Κλειτοφῶν,*

Digitized by Google

quem Platoni subditum esse nunc omnes consentiunt. Meum non est hoc loco de huius dialogi tempore et auctore virorum doctorum opiniones diversissimas retractare [1]): hoc tamen Xenophontis quem exscripsi locus docet, ea quae a Clitophonte contra Socratem proferuntur, manasse ex illius aetatis de philosophia Socratica iudiciis et aestimatione. Etenim Socratis illa ratio quae quaerendo et dubitando et definiendo paene acquievit, a Platone accepta et in scriptis eius ad artem redacta, etsi apud homines mirum in modum facultatem recte et strenue cogitandi excitare et veritatis studium augere poterat, iis tamen satisfacere nequivit, qui philosophiam non philosophandi causa tractabant, sed praecepta ex ea requirebant, quibus vitae usum confirmarent. Quod maxime patres, qui filios philosophis erudiendos committebant, a magistris postulasse manifestum est. Haec desiderabant simplices homines in Socratis et Platonis disciplina. Quae igitur Socrates dicere soleret: frustra homines divitias appetere, si mentem colere neglegerent; homines grammaticae, musicae, gymnasticae artis studio non reddi meliores; peccari ab omnibus ignorantia boni et mali; eum, qui rebus uti nesciret, eis melius omnino carere; vita igitur qui nesciret uti, melius non vivere —: de his Clitophon (408 b) ait: *τούτοις δὴ τοῖς λόγοις καὶ ἑτέροις τοιούτοις παμπόλλοις καὶ παγκάλως λεγομένοις, ὡς διδακτὸν ἀρετῇ καὶ πάντων ἑαυτοῦ δεῖ μάλιστα ἐπιμελεῖσθαι, σχεδὸν οὔτ' ἀντεῖπον πώποτε οὔτ' οἶμαι μήποθ' ὕστερον ἀντείπω· προτρεπτικωτάτους τε γὰρ ἡγοῦμαι καὶ ὠφελιμωτάτους, καὶ ἀτεχνῶς ὥσπερ καθεύδοντας ἐπεγείρειν ἡμᾶς.* Sed quid deinde? Quae est illa ars, qua virtus nobis contingit? *'Δικαιοσύνη'* inquiunt Socratici, sed hanc ipsam modo explicant *τὸ συμφέρον*, modo *τὸ δέον*, modo *τὸ ὠφέλιμον*, alii aliter. Ultimum, inquit Clitophon, se refugium Socratem ipsum adiisse et cum ne is quidem concisum atque distinctum responsum dare aut voluerit aut potuerit, desperantem iam de Socratis

1) Steinhart, *Plat. W.* VII, 1 p. 47—62. K. F. Hermann, *Gesch. u. Syst. d. plat. Philos.* p. 426. Susemihl, *Uebers. d. plat. W.* V, 507—529. Kunert, quae inter Clitoph. et Plat. remp. interc. necess. Diss. 1881.

Digitized by Google

eiusque amicis ad Thrasymachi castra transiturum, nisi vellet *ἤδη παύσασθαι τῶν λόγων τῶν προτρεπτικῶν.* Finem denique facit his verbis: *μὴ μὲν γὰρ προτετραμμένῳ σε ἀνθρώπῳ, ὦ Σώκρατες, ἄξιον εἶναι τοῦ παντὸς φήσω, προτετραμμένῳ δὲ σχεδὸν καὶ ἐμπόδιον τοῦ πρὸς τέλος ἀρετῆς ἐλθόντα εὐδαίμονα γενέσθαι.* — Negari non potest Xenophontem librum simili consilio conscriptum significasse, cum illud ipsum opprobrium quod Xenophon commemorat, Clitophontis auctor diligenter persecutus sit. Neque tamen Kunerto (l. c. p. 14) adstipulor, qui et Xenophontis locum quem laudavi ad Clitophontem pertinere contendit et hunc dialogum ante editum Xenophontis librum conscriptum esse collegit.

Primum enim vide quam perversam sibi finxerit dialogi auctor imaginem rationis qua ductus Socrates in exhortando fuerit. Nunquam Socrates morum censor castigatorque ea gravitate et severitate usus est ut *ὥσπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεὸς* declamaret *ποῖ φέρεσθε, ὦνθρωποι;* *κτἑ.* (Clitoph. 407[b]). Deinde Hirzelio adsentior, qui Clitophontis auctorem dicit (p. 77) Socrateam exhortandi artem talem finxisse qualem in aliorum protrepticis invenerat. Aliae enim sunt sophistarum et qui eos imitati sunt, Antisthenis, Aristippi exhortationes, aliae Socratis. Falso Clitopho Socrati tribuit orationes exhortatorias eo nomine ad pueros erudiendos habitas; nam etsi Socrates summopere animos hominum *προτρεπτικῶς* commovit, nunquam tamen eius sermones neque apud Xenophontem neque apud Platonem nominantur *προτρεπτικοί.* Plato igitur in Euthydemo, ubi protreptici exemplum Socratem facit proferentem, rem Socrati insuetam arguit, Clitophontis contra auctor Socratis disserendi rationem semper significat vocabulis *προτρέπειν, προτροπή, προτρεπτικοὶ λόγοι.*

Itaque Clitophon dialogus Xenophontis aetate nequaquam scriptus erat, cuius etiam opprobriis Xenophon multo acrius et accommodatius respondisset, si eum cognovisset. Immo alia secuntur Xenophon, alia Clitophon: Xenophon quidem, qui philosophiae studium ad recte agendi magis quam ad cognoscendi rationem referri vult, id potissimum curat, ut magi-

Digitized by Google

strum suum ad artem bene vivendi magnopere profuisse demonstret, Clitophon vero Socrati obiecit, quod concitare quidem ad studium cognoscendae virtutis non desiisset, doctrinam autem ratione et praeceptis bene exstructam proponere nequisset. Itaque Clitophon contra Socratem virtutis praedicatorem nitens, quam diversa ac discrepantia Socratis et Socraticorum de doctrina et praeceptis iudicia circumferantur ostendit; Xenophon quam plurima affert exempla, quibus adulescentes a Socrate ad virtutem adductos esse comprobet. Habemus autem exemplum protreptici Socratici apud Xenophontem in Mem. IV, 2 ubi Euthydemum adulescentem ingenii sui nimium amatorem, qui rei publicae gubernandae se dare vult, quae et quanta haec ars sit docet eoque modo quam multa etiam adulescenti ad discendum et cognoscendum reliqua sint, si ea dignus esse velit, ostendit.

Inter protrepticum vero, quem Clitophon Socrati tribuit et eum quem Plato Socratem facit loquentem in Euthydemo, certa quaedam intercedit necessitudo. In utroque enim Socrates demonstrat bonum non esse quo qui possideat uti nesciat (Clitoph. 408 Euthyd. 280 sqq. 289). Deinde quod in Clitophonte (409) Socratis discipuli iustitiae vel artis politicae opus definire nesciunt, hoc pertinet ad ea quae Socrates cum Clinia in Euthydemo (289. 290) disputavit. Recte igitur colliges eum, qui Clitophontem scripsit, Socratis protrepticum quem Plato finxit spectasse. — Ceterum a posterioris aetatis scriptoribus Socratis oratio, quae proponitur in Clitoph. 407 [b], genuinus et sincerus putabatur Socratis protrepticus. Itaque multi philosophi haec Socratis verba exhortationibus suis inseruerunt, de quibus locis infra dicemus. Verba quidem *ποῖ φέρεσθε κτέ.* legimus apud Pseudoplut. de libr. educ. 7; Dionem Chrys. XIII, 425 R; Epictet. III, 22, 23; Themist. XXIV, 320d; Lucian. Cyn. 18. —

Protreptici igitur ex orbe sophistarum suscepti cum non abhorrerent a Socratis more, permanserunt apud Socraticos. Quibus exhortationibus cum omnes homines, et divites et pauperes, nobiles et ignobiles, ad scientiae virtutisque studium

Digitized by Google

invitarentur, orationem acutis conclusionibus, crebris proverbiis, commodis comparationibus exornatam et expolitam fuisse consentaneum est. Velut Antisthenes, quo modo in exhortationibus oratione imaginibus distincta usus sit, ex Laertii loco discimus (VI, 1, 11), ubi notiones ex arte gladiatoria et militari depromptae notandae sunt: (*Ἀντισθ. ἔφη*) *αὐτάρκη δὲ τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος.* (12) *ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή.* (13) *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν κτέ.* Maxime autem hominum admirationem excitavit prompta et arguta disputanti ars quae a sophistis inventa et a Megaricis atque Cynicis exculta est. Omnia illa orationis artificia: ambiguitates, captiones dialecticas, aenigmata, *παράδοξα* adhibuerunt in adhortationibus, si quidem recte de Platonis Euthydemo iudicamus. Itaque cum magis magisque sophistae in captiones se induerent spinasque vellerent in orationibus quibus ad virtutem incitare debebant, Plato non solum pestiferam esse cognovit vim huius artis ad educandos pueros, sed philosophiae etiam nomen et apud homines auctoritatem periclitari intellexit. Philosophiae igitur dignitatem et veritatem Plato in Euthydemo a mendaci scientiae specie simulataque doctrina eo modo vindicavit, ut iuxta sophistarum nugas ineptiasque posuerit sincerae Socratis disciplinae exemplum, quod ratione sua et strenuo sententiarum ordine mire discrepat ab illorum quam venditant exhortandi arte. Atque haec fere sunt quae Plato in protreptico (278^{e}—282^{d}. 288^{d} sq.) persecutus est:

Omnes beati esse cupimus. Beati autem sumus si multa bona possidemus. Bona deinde dicimus: divitias, valetudinem, pulchritudinem, nobilitatem, potentiam, honorem, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, sapientiam. Iam vero a bonis tum demum felicitatem hauriemus, si bonis utemur, et recte quidem si utemur; nam si abutemur, magis damno sunt quam si eis carebimus. Recte autem rebus uti cum scientia doceat, efficitur, ut ex bonis non nisi scientia et prudentia praediti utilitatem capiamus. Itaque omnia quae supra memorabantur bona tum demum vere sunt bona, si quis eis utatur

Digitized by Google

prudenter. Nulla igitur neque bona nec mala exstant nisi unum bonum *φρόνησις* et unum malum *ἀμαθία*. Sapientiam doceri posse Clinias Socrati concedit quasi notum. Ergo, concludit Socrates, cum sapientiam doceri posse dicas eamque solam homines beatos efficere scias, potesne quidquam antiquius habere quam ut philosopheris?

Hoc loco Socrates ad sophistas versus (282[d]) *τὸ μὲν ἐμόν*, inquit, *παράδειγμα, ὦ Διονυσόδωρέ τε καὶ Εὐθύδημε, οἷων ἐπιθυμῶ τῶν προτρεπτικῶν λόγων εἶναι, τοιοῦτον, ἰδιωτικὸν ἴσως καὶ μόλις διὰ μακρῶν λεγόμενον· σφῷν δὲ ὁπότερος βούλεται, ταὐτὸν τοῦτο τέχνῃ πράττων ἐπιδειξάτω ἡμῖν.* Sed frustra hos admonet ut iam pergere velint, demonstrantes, utrum tota scientia paranda an intra definitos scientiae cuiusdam fines felicitas inveniri possit. Quibus cum etiam tum iocari placuerit, ipse pergit (288[d]) quaerens cum Clinia quae sit summa scientia:

ea nempe, in qua *συμπέπτωκεν ἅμα τό τε ποιεῖν καὶ τὸ ἐπίστασθαι χρῆσθαι τούτῳ, ὃ ἂν ποιῇ* (289[b]). Talis autem neque est *ἡ λογοποικὴ τέχνη* neque *ἡ στρατηρική*. Hic Socrates sermonis finem faciens Critoni refert, tandem sibi et Cliniae *τὴν βασιλικὴν τέχνην* summam artem visam esse, sed ne sic quidem omnem dubitationem sublatam fuisse.

Si quaerimus quae sit in his verbis vis et quo iure Plato hanc disputationem *προτρεπτικὸν λόγον* nominaverit, haec statuenda esse existimo.

Socrates a sententia omnibus probata et concessa profectus adulescentem per seriem conclusionum via et arte eo deducit ut concedat: philosophandum eis est, qui beati esse volunt. Deinde in altera parte quanta sit scientia quam philosophando paramus, magna cum arte adumbrando rei speciem ac formam significavit. Duas igitur res Plato ad exhortandum maxime idoneas iudicavit: primum ut naturae quadam lege homines ad philosophiae studium se conferre adulescenti persuaderetur: nam philosophando eam sibi scientiam homines parant quae ad virtutem et felicitatem necessaria est.

Digitized by Google

Deinde ut adulescens notione animi praesentiret huius scientiae amplitudinem et praestantiam: quare Plato eam non definivit, sed definiendam permisit Cliniae, cuius ingenium Socrates brevi ita incitavit, ut paulo post (290 b) primos quasi fructus reddiderit *τῆς Σωκράτους προτροπῆς*.[1])

Optime autem hac re Plato ostendit, quam diverse adulescentis ingenium Socratis et sophistarum institutione commotum sit: sophistarum enim quaestionibus perturbatus et anxius quid respondeat, nescit (275 d 277 d), Socrati fortiter et acute responsa reddit et mox sententiarum ordinem, quem Socrates instituit, sponte persequi potest.

Haec igitur est Platonis protreptici indoles, quem ille e limpido fonte Socrateae disciplinae hauriens exemplar dedit aetati suae; quo factum est ut inde ab eo tempore *οἱ προτρεπτικοὶ λόγοι* quasi sanciti in omnium philosophorum disciplinas recepti sint. Ac saepe eas sententias, quas Plato in protreptico suo expressit, in aliorum protrepticis adhibitas esse videbimus.

Exhortantur autem philosophorum *προτρεπτικοί* simul *πρὸς ἀρετὴν* et *πρὸς φιλοσοφίαν*. Quo modo hoc cohaereat, ex Euthyd. (273 d) discimus, ubi sophistae dicunt se in protrepticis *ἀρετὴν οἵῳ τ' εἶναι παραδοῦναι κάλλιστ' ἀνθρώπων καὶ τάχιστα*. Nihilo minus Socrates (275) ait: *ὑμεῖς ἄρα, ὦ Διονυσόδωρε, τῶν νῦν ἀνθρώπων κάλλιστ' ἂν προτρέψαιτε εἰς φιλοσοφίαν καὶ ἀρετῆς ἐπιμέλειαν*. Haec non subdole addita esse a Platone, recte animadvertit Bonitzius (*Plat. Stud.* p. 119); nam si virtus docetur, scientia est (*διδακτόν τι*), philosophia autem est *κτῆσις ἐπιστήμης* (288 d).

Patet igitur duo genera *τῶν προτρεπτικῶν λόγων* distinguenda esse, primum sophisticum vel rhetoricum, alte-

1) Sic enim explicanda sunt quae leguntur Euthyd. 290 e, ubi Crito Cliniae responsa Socrati data ita admiratur, ut a doctiore homine ea data esse opinetur. Quod parum intellexit Susemihl, *Ueb. d. pl. W.* V, 794, 2.

Digitized by Google

rum philosophicum. Etsi enim propinqua sunt haec genera eaque aetate qua denuo efflоruerant sophistarum studia, paene coaluerunt, non tamen adducimur, ut hoc discrimen dimittamus. In rhetorico protreptico exhortationes pertinent ad res secundum oratoris consilium argumentique naturam variatas et ad usum accommodatas; in philosophico autem continentur exhortationes, quibus ad philosophiae studium incitatur. Inprimis autem tractandi sunt philosophorum protreptici, utpote qui graviores atque cognitione studioque nostro dignissimi sunt. Neque tamen non respiciendi rhetores ac sophistae, apud quos videlicet haec species primas egerat radices, nec postea unquam exstirpata est, quamquam pauca admodum eorum supersunt vestigia, et quae quidem servantur, tam inanes sunt declamationes, ut nihil fere peculiare et in protrepticis singulare habeant.

Perquirendi igitur philosophorum librorum indices, non unius sectae, sed pari modo omnium: errant enim qui protrepticos certae philosophorum scholae adsignant, immo apud omnes fuerunt, qui hanc speciem excoluerint.

Atque primus inter Exhortationum scriptores obfertur nobis Aristoteles[1]), philosophorum princeps, qui hac quoque in re quasi exemplar exstitit, quod omnes qui sequebantur imitati sunt. A Laertio Diogene inter Stagiritae libros tabulae suae (V, 22) duodecimo loco nominatur *προτρεπτικός α΄*, inter indices *περὶ πλούτου* et *περὶ ψυχῆς*. Magnopere sane dolendum est quod eadem sorte, qua paene omnes *προτρεπτικοὶ λόγοι* temporum iniuria perierunt, hic quoque liber abreptus est, ex quo, si in manibus esset, multarum rerum rationem petere possemus, quae nunc in hoc librorum genere incertae sunt.

Unum omnino locum apud veteres novimus quo Aristotelis *προτρεπτικός* laudatur, apud Stobaeum in floril. 95, 21 s. l.

---

1) Bernays, *Dialog. d. Ar.* p. 116—121. Bywater, *Journal of phil.* II p. 55 sqq. Hirzel, Herm. X, 83 sqq. Fragmenta protreptici coll. Heitz, in Arist. edit. Didot. vol. IV^b, 46. Val. Rose, Arist. Pseudep. p. 71 sq., deinde in Arist. edit. Acad. Reg. Bor. vol. V, 47—50 p. 1483. Nunc eidem novam fragmentorum collectionem debemus, a Teubnero a. 1886 editam.

Digitized by Google

Ἐκ τῶν Τέλητος ἐπιτομή. Agitur in eo libro e quo Stobaeus excerpsit, de quaestione 'num paupertas impedimento sit hominibus ad philosophandum', contra quod auctor paupertatem potius utilem esse ratus hanc affert narratiunculam:

'Ζήνων ἔφη Κράτητα ἀναγινώσκειν ἐν σκυτείῳ καθήμενον τὸν Ἀριστοτέλους προτρεπτικόν, ὃν ἔγραψε πρὸς Θεμίσωνα τὸν Κυπρίων βασιλέα λέγων ὅτι οὐδενὶ πλείω ἀγαθὰ ὑπάρχει πρὸς τὸ φιλοσοφῆσαι· πλοῦτόν τε γὰρ πλεῖστον αὐτὸν ἔχειν ὥστε δαπανᾶν εἰς ταῦτα, ἔτι δὲ δόξαν ὑπάρχειν αὐτῷ· ἀναγινώσκοντος δὲ αὐτοῦ τὸν σκυτέα ἔφη προσέχειν ἅμα ῥάπτοντα καὶ τὸν Κράτητα εἰπεῖν· ἐγώ μοι δοκῶ, ὦ Φίλισκε, γράφειν εἰς σὲ προτρεπτικόν· πλείω γὰρ ὁρῶ σοι ὑπάρχοντα πρὸς τὸ φιλοσοφῆσαι ὧν ἔγραψεν Ἀριστοτέλης'.

Priusquam ex hoc loco ampliora colligamus, repellendae sunt dubitationes quas excitavit Roseus, ut eadem huic libro sors eveniret quae reliquis libris contigit. Quas quidem dubitationes in protreptico Aristoteli abiudicando vir doctissimus excitavisse videtur ut in opinione sua perseveraret. Nam quod dicit (Arist. pseudep. p. 70) 'quamvis igitur in antiquo quodam chriarum libro de Cratete Aristotelis protrepticum legente atque audiente Zenone relatum fuerit, non sequitur rem hominum memoria traditam et fortasse inventam re vera ita accidisse' — hoc omitto quod contra eiusmodi dubitationes omnino disputari non potest: illud tantum respicio quod Teletis auctoritatem nullam esse contendit. Teles [1]) enim, quo tempore vixerit, nobis non plane ignotum est, ut Roseus opinatur. Exstant enim huius philosophi Cynici apud Stobaeum plura fragmenta e libris variis excerpta, quorum duo indices saepius redeunt, unus *περὶ φυγῆς*, alter, e quo protreptici testimonium hausimus, citatur *'τῶν Τέλητος ἐπιτομή'* (cf. Stob. fl. 97, 31). Librum *περὶ φυγῆς* scriptum esse c. annum 240 a. Ch. n. intellegitur ex eis quae de Hippomedonte [2]) dicuntur

1) de Telete doctissime disserit Wilamowitz, quaest. phil. IV, 1881, in excurs. III p. 292–319. Cf. etiam E. Weber, Stud. Lips. X, 212 adn. 1.

2) Cf. Droysen, *Gesch. d. Hell.* III, 1² p. 408.

Digitized by Google

(in vol. II p. 66, 6 ed. M.). Qui index fuerit alterius libri nescitur, sed de paupertate in eo actum esse fragmenta probant. Quo tempore hic liber ortus sit, ex ipso eo loco quem tractamus, efficitur. Dicit enim auctor *ἐν τῷ νῦν πολέμῳ*, .quibus verbis significat bellum Chremonideum, quod gestum est annis 266/263.[1]) Deinde si legitur *Ζήνων ἔφη*, Stoicorum caput iam mortuum esse verisimile est. Itaque Zenonem facile Teles novit. Zenon autem Cratetis fuit discipulus (Laert. Dig. VII, 2), cuius aequalis fuit Theophrastus (Laert. Diog. VI, 96). Ergo quod de Cratete hoc loco Teles narrat, minime sumptum est e vetere et fabuloso chriarum libro, sed auctoritatem et fidem habet haud spernendam. Iam redeamus ad testimonium ipsum. Aristoteles igitur librum qui inscribebatur *προτρεπτικός* ad Themisonem misit, Cypriorum regem, quo eum ad philosophandum exhortaretur. Fuit vero Themison unus ex novem regulis Cypriis regno expulsis a Ptolemaeo Ol. 116, 3 et principatum fortasse obtinuit in urbe Cerynia, cuius dynastam Diod. XIX, 79 et XIX, 59 memorat nomine omisso (Droysen II, 2 p. 9 sq.). Themisoni igitur, quem sicuti Bernaysius (p. 116) coniecit per Eudemum cognoverat, hunc Aristoteles librum misit, in cuius prooemio, ut gratum faceret regulo, ob divitias et gloriam ad philosophandum omnia praesto esse demonstravit. Hoc tantum ex Stobaei loco efficitur; utrum regem regno depulsum an adulescentem etiam tunc Aristoteles adhortatus sit, id non liquet.

Aristotelis protrepticus praeterea laudatur a recentioribus commentatoribus, quorum locos collegit Roseus in Arist. pseudepigr. p. 71, 2. Gravissimum inter eos est Alexandri Aphrodisiensis testimonium, qui librum ipse fortasse inspexit. Huius verba sunt haec — — *ἐπεὶ φιλοσοφεῖν λέγεται καὶ τὸ ζητεῖν αὐτὸ τοῦτο εἴτε χρὴ φιλοσοφεῖν εἴτε καὶ μή, ὡς εἶπεν αὐτὸς ἐν τῷ προτρεπτικῷ.* Deinde Olympiodorus (in Alcib. p. 144) haec scribit: *καὶ Ἀριστοτέλης μὲν ἐν τῷ προτρεπτικῷ ἔλεγεν ὅτι εἴτε φιλοσοφητέον εἴτε μὴ*

1) Droysen p. 225 sqq.

Digitized by Google

φιλοσοφητέον, φιλοσοφητέον· πάντως δὲ φιλοσοφητέον. Similia proferunt Elias et David, quos mittimus.

Speciosum illud Aristotelis dictum, quod ex ordine commentatores omnes laudant, magnam grammaticis et rhetoribus admirationem iniecit. Eodem usi sunt Quintilianus V, 10, 70, Clemens Alex. Strom. VI, 18 p. 825 P, alii (cf. Cic. ad Attic. I, 16, 13) et apud Ciceronem redit quodam loco, ut mox videbimus.

Haec si omnia sunt quae e perdito Aristotelis libro ad nostram memoriam venerunt — neque laudatur usquam alibi —, ex eis hoc tantum efficies, Aristotelem philosophiae adversariis ingeniosa argumentandi ratione philosophandum utique esse persuasisse. Ac figura illa quanquam sine dubio contracta traditur a rhetoribus grammaticisque, et apud Aristotelem ultimum fortasse membrum atque quasi summa fuit in longo argumentorum et conclusionum ordine, dialecticam tamen illam sapit rationem, quam in huiusmodi orationis natura et indole a principio infuisse diximus.

Sed patet alia via, qua caute et circumspecte progressi altius in intimam libri naturam descendere possumus. Exstat enim argutum illud Aristotelis dictum tertio quodam loco, apud Lactantium, Inst. Div. III, 16, 9, ubi haec leguntur: 'Ciceronis Hortensius contra philosophiam disserens, circumvenitur arguta conclusione, quod cum diceret philosophandum non esse, nihilominus philosophari videbatur, quoniam philosophi est, quid in vita faciendum vel non faciendum sit, disputare'. Aristotelis argumentatione Ciceronem usum esse apparet; usus autem est in Hortensio dialogo, de quo libro ipse dicit de divinat. II, 1: 'cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro qui est inscriptus Hortensius', et Tusc. disp. (II, 4) 'nos universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio'. Adde locos: de fin. I, 2; Tusc. disp. III, 6; de off. II, 6; Acad. pr. II, 6. In Hortensio igitur dialogo Cicero ad philosophiam adhortatus est eiusque vituperatores eadem convicit argumentatione atque Aristoteles in protreptico.

Digitized by Google

Accedit testimonium gravissimum quod exstat apud Trebellium Pollionem, de Salonino Gallieno 2: 'scis ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum, nec ignota esse arbitror quae dicit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum protreptici scripsit.' Bywater (l. m. p. 55) et Usener (Mus. Rhen. XXVIII p. 396) ex his verbis collegerunt Ciceronem in Hortensio scribendo fonte usum esse Aristotelis protreptico; quibus oblocutus Hirzelius (l. m. p. 82) e Pollionis verbis hoc tantum sequi existimavit, Hortensium dialogum a Cicerone ad morem et indolem *τῶν προτρεπτικῶν* quales tum fuerunt, institutum esse. Recte hoc monuit vir doctus. Nam scriptor ille historiae Augustae, qui sub finem Diocletiani imperii historias suas composuit, si Ciceronis dialogum ad exemplum protreptici conscriptum esse dicit, vereor ne permulti protreptici animo eius obversati sint, Aristotelis vero librum neque inspexerit neque cognoverit unquam.

Sin Pollio alio ex fonte hauriens ut doctrinae sibi speciem daret hoc addidit, certe Aristotelis nomen reticere non debuit. Itaque nihil aliud ex Pollionis verbis recte concludimus quam Ciceronem in Hortensio dialogo protrepticorum rationem ad imitandum sibi proposuisse. Quod a Pollione recte traditum esse infra demonstrabo, cum quae illa protrepticorum ratio atque indoles fuerit, e veterum quibusdam locis compertum habeamus. Nunc satis est confirmare, Ciceronis Hortensium adscribendum esse generi *τῶν προτρεπτικῶν λόγων*. Atque hoc in opere conficiendo etsi multorum et ipsius Posidonii praeceptoris exemplis uti licuit, Ciceronem Aristotelis auctoritatem non sprevisse cum per se probabile est, tum Lactantii loco evincitur. Nostrum igitur est perlustrare Hortensii fragmenta, si quid inveniri possit ab Aristotele petitum, ita quidem comparatum, ut in eius protreptico locum tenere potuerit. At cum semel tantum inter Hortensii fragmenta occurrat locus, quem Cicero diserte Aristoteli tribuit, fragmenta autem ipsa pleraque discissa sint in parva frustula, cavendum est

Digitized by Google

ne hariolando rem magis turbemus quam probando illustremus.

Itaque perfeliciter accidit, quod Bywateri, doctissimi viri, sagacitate aliunde comparata sunt adminicula quaedam, quibus in lucem protractis haec quaestio mirum quantum illustratur. Ille enim demonstravit ex Aristotelis protreptico sumpta esse nonnulla ab Iamblicho in libro qui et ipse inscribitur *Προτρεπτικός*.[1]) Sed cum Bywater ex Iamblichi opere plura Aristotelis protreptico tribuisse visus esset, quam probari posset, Hirzelius (in Herm. X, 83–95) Bywaterum partim refutare conatus non nisi pauca ex Aristotelis protreptico petita esse contendit. Res autem nondum expedita est et in quam denuo inquiratur dignissima. Longe igitur relicta Aristotelis aetate descendamus nunc ad saeculum p. Ch. tertium vel quarti initium, quo tempore Iamblichus hunc librum scripsit.

Iamblichus enim Chalcidensis, Porphyrii Neoplatonici discipulus, inter commentarios quos *περὶ Πυθαγόρου αἱρέσεως* scripsit, unum composuit qui inscribitur *λόγος προτρεπτικὸς εἰς φιλοσοφίαν*. Secutus est eum librum, quem de vita Pythagorae confecerat, sicuti ipse dicit in exordio protreptici. Iamblichi *προτρεπτικός* ad propagandam philosophiam Pythagorico-Platonicam conscriptus, non solum undecunque consarcinatus est, ut vix quidquam ab auctore suo Marte excogitatum invenias, sed scriptorem etiam monstrat inertem compilatorem minimeque accuratum, cuius in excerptis vestigia inhaereant tam puerilis neglegentiae, ut taedium paene moveant eis qui librum perlegunt. Sed quamvis vile sit auctoris meritum, opera eius, quo insolentius fontes nunc reconditos compilavit, eo est utilior. Fructus igitur cum ex his sordibus percepturi simus, in opere pertractando paulo accuratius versabimur.

Ipse dicit in exordio se postquam Pythagorae vitam descripserit, iam de huius scholae communi ad omnes virtutes

1) Iamblichi Adhort. ad philos. ed. Kiessling, Lips. 1813. Ad fidem cod. Florent. eum nuperrime (bibl. Teubn.) recensuit Pistelli, qui de codicibus rettulerat et textus specimen ediderat in *Museo Italiano di Antichità class.*, vol. II (1888) p. 457 sqq.

Digitized by Google

ac disciplinas institutione dicere velle, qua quidem homines non ad singulare bonum, sed ad omnia bona et honesta incitentur. In ipso adhortando tripertita ratione se usurum esse pollicetur, prima communi, qua ad philosophiae studium incitatur *κατά τινα κοινὸν καὶ δημώδη προτρεπτικὸν τρόπον* (Iambl. protr. p. 12 ed. Kiessling); deinde media quadam ratione, qua prolaturus est cohortationes omni philosophiae communes intermixtis Pythagoraeorum praecipuis sententiis; denique progressurus est ad *τὰ ἴδια προτρεπτικὰ τῆς πυθαγορικῆς αἱρέσεως* (p. 14). Hanc operis sui distributionem, quae eisdem verbis descripta ab auctore sterili in cap. XXI de symbolorum Pythagoricorum interpretatione usurpata est, Iamblichus ita est secutus, ut prima exhortandi ratione usus sit in capp. II et III, media in capp. IV—XX, tertia in cap. XXI, in quo explicat symbola Pythagorica.

In cap. II proferuntur sententiae populares satis tritae, quarum *προτρεπτικὸς χαρακτήρ* est in comparationibus quibus virtutis notiones conferuntur cum rebus manifestis et per se veritatis speciem prae se ferentibus. Hae enim similitudines habent insignem ad cohortandum vim, cf. p. 42, 3.

In cap. III laudat versus aurei quod dicitur carminis, quos commentario instructos Iamblichus e fonte Neopythagorico exscripsit.[1]) Deinde in cap. IV ad esotericas quas dicit cohortationes progressus multos locos e libro *περὶ σοφίας* Archytae supposito affert et quae in eis ad exhortandum pertinent copiose exponit. — Quae adhuc ab Iamblicho disputata sunt, facile distinguuntur ab sequentibus. Nam in eis quae tractavimus, cum auctor e libris neopythagoricis hauriens locos quos affert, ut cohortationi inserviant, suo arbitrio interpretari coactus sit, labor Iamblichi maior est, oratio ob hanc rem inanis ac saepe obscura, argumentum exile. Condicio autem plane mutatur inde a cap. V, quo ineunte auctor profitetur *αὐταῖς ταῖς πυθαγορικαῖς διαιρέσεσι προσχρῆσθαι εἰς*

1) Iamblichus primus hoc opusculo usus esse eiusque titulum *χρυσᾶ ἔπη* novisse videtur. — De aureo carmine disseruit Nauckius in epimetro ad Iambl. de vit. Pyth. p. 201 sqq.

Digitized by Google

τὸ προτρέπειν: iamiam augetur dicendi genus, argumentatio fit strictissima, sententiae sunt insignes. Rem abhinc ita instituit, ut a diversis divisionibus (*διαιρέσεσι*) profectus demonstret, quo modo singulae ad cohortandum idoneae sint. Hae enim sunt quae ab eo dicuntur *αἱ προτρεπτικαὶ ἔφοδοι* (p. 72, 12) vel *διαιρέσεις*, *παρακλήσεις*, *παρορμήσεις*, quae omnes eo redeunt ut conclament „philosophandum est, si cupimus esse beati." Quas autem Iamblichus appellat *διαιρέσεις Πυθαγορικάς*, earum pars maxima impudenter exscripta est e Platonis dialogis, passim quidem ita ad verbum expressae, ut ne dialogi quidem vestigia satis exstincta vel temporum ratio habita sit, passim Platonis verbis depravatis vel falso explicatis vel ita deflexis ut eius elegantiae vix vestigium remanserit.

Ne tamen putemus Iamblichum ipsum Platonis dialogos compilasse: immo compilatas *διαιρέσεις* Pythagoraeque nomine prolatas invenit in fonte, ex quo antea hausit.[1]) Sumpta sunt ex Platonis dialogis: cap. V totum, ut videtur; capitis VI pars prior (p. 84—92); deinde capp. XIII—XIX integra. — Restat minor pars, quae capitis VI posteriorem partem et capp. VII—XII continet. Quae iam quaeritur unde sumpta sit. Atque Bywater, cum recte fontem peripateticum exhaustum esse vidisset, ut omnia quae inde a quinto capite usque ad duodecimum (exceptis pp. 72—92) leguntur, ad Aristotelis protrepticum referret, his potissimum argumentis permotus est: primum quod in fragmento Aristotelis ingenii acumen agnoscatur et unus quidem locus ex Aristotele petitus inveniatur; tum quod in dicendi genere et colore haec pars cum Ciceronis Hortensio convenire videatur; denique quod tituli eidem et Iamblichi et Aristotelis operi praescripti sint. Bywateri argumenta etsi plane spernere hodie nemo audebit, eum tamen inventi gaudio commotum protreptico suo nimium vindicasse, ne hoc quidem quisquam negabit.

1) Hoc affirmavit Hirzel p. 94 adn., negavit Diels, *Archiv f. Gesch. d. Philos.* I, 4 p. 489, 20.

Digitized by Google

Ceterum vir doctissimus fragmentum ex pluribus partibus compositum esse, statui posse concesserat, quod eum recte suspicatum esse cuique haec capita perlegenti exploratum est. Retractata igitur Hirzelius Bywateri quaestione negavit illa capita unius libri partes fuisse, quod in eis omnis conexus et orationis progressus desideretur: ipse vero capita VII et VIII Aristotelis protreptico adsignavit.

Plurima quanquam recte vir doctus monuit, una tamen in re eaque gravissima, ne ipse quidem iusta via progressus videtur: nempe quod singulorum capitum summam referens, ea quasi simplices ac definitas absolutasque operis particulas esse statuit, ita quidem, ut, si quae sententia uno capite prolata ac disceptata redeat in alterius capitis aliquo loco, hoc alterum caput alius ac diversi libri partem esse argumentetur. Quae ratio de singulis quidem capitibus usurpata, stare nequit in Iamblichi farragine, quod singula capita ipsa ex diversis elementis conflata sunt. Nam etsi Iamblichus in singulorum capitum initiis certum argumentum quod tractaturus sit, indicat, saepe tamen e variis libris varios pannos tam inepte consarcinavit, ut a proposito plane aberrasse sit existimandus. Itaque non ea est recta via, ut ad diversos fontes bina capita referamus, si in utroque eadem sententia redit vel similis aliqua res tractatur, sed distinguendae sunt singulae *διαιρέσεις*, quibus auctor ad cohortandum usus est. Qua in re nos adiuvat Iamblichi inscitia, qui ab uno fragmento ad aliud transiens formulis usus est tam inanibus, ut ex eis, ubi diversa consarcinata sint, plerumque facile dignoscere possimus. Haec nunc ita illustrabimus, ut qua ratione Iamblichus in Platone compilando usus sit, breviter dicam et verba formulasque dicendi, quas ad fragmentorum nexum adhibuit, in uno conspectu proponam.[1])

In cap. V p. 64—70 omissis aliis, aliis contractis exscri-

1) Integra opinione, quam supra (p. 243) protuli, liceat mihi in sequentibus, quoniam commodius est, de Iamblicho Aristotelis et Platonis compilatore loqui.

Digitized by Google

bitur Euthydemus (278°—282°, 288ᵈ—289ᵇ). Comprehendit p. 72 a verbis *εἰ τοίνυν κτέ* quae excerpsit et finem loco imponit hac formula: *τοιαύτη τίς ἐστιν ἡ ἐκ τῆς ⟨πρώτης⟩ διαιρέσεως προτρεπτικὴ ἔφοδος*. Secuntur duo frustula simili modo inserta:

p. 72 *Ἄλλη δέ ἐστι παρὰ αὐτοῖς τοιαύτη διαίρεσις.*

p. 74 *ταύτῃ δ' ἐστὶ παραπλησία τοιαύτη διαίρεσις.*

p. 76 verbis *Ἀπ' ἄλλης δὲ ἀρχῆς διαιροῦσι τὰ τοιαῦτα* transit ad Plat. Alcib. I, 130ᵇ, cui assuitur inepte verbis *τῆς δὲ αὐτῆς ἔχεται γνώμης καὶ ταῦτα* (p. 78) locus e libro V de legg. petitus, quem (p. 80) finivit hoc modo: *τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δεόντως φιλοσοφεῖν κτέ.* Deinde pergit ad Tim. 89°—90ᵈ praemissis verbis: *τελέως δ' ἂν καὶ οὕτως ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐκ διαιρέσεως ἐπέλθοιμεν.* In cap. VI temere agglutinat quaedam quae concinnata sunt e Reip. libr. IX (588°—591°). p. 92, 5 a verbis *καὶ ἑνὶ δηλονότι* nonnulla addit, ut divisio cohortationi melius inserviat, finemque facit eadem formula stultissima qua usus est p. 80, 8: *τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ φιλοσοφεῖν κτέ.*

Deinde secuntur (p. 92, 12—174) fragmenta peripatetica. Caput XIII ex Platonis Phaedone concinnatum est, sed variis huius dialogi locis coniunctis: incipit Phaed. 64—67ᵈ. Finem facit p. 188, 16: *ὥστε τὸ μέγιστον ἡμῖν ἀγαθὸν ἡ φιλοσοφία παρέχουσα κτέ.* Eodem modo quae secuntur e Phaed. 68°—69° concludit (p. 196, 1): *εἰ τοίνυν καὶ ἀρετὴν τελείαν — — φιλοσοφία μόνη παρέχειν πέφυκεν, μόνης αὐτῆς ἀντιλαμβάνεσθαι ἄξιον.* Transit deinde (p. 196, 4) ad Phaed. 82ᶜ—84ᵇ, clausulamque addit (p. 204, 10): *ἐκ δὴ τῆς τοιαύτης ἐφόδου φαίνεται ἡμῖν φιλοσοφία ἀπαλλαγὴν τῶν ἀνθρωπίνων δεσμῶν παρέχειν κτέ.* Ineptissimis verbis p. 208, 6 — *τούτων δὴ οὕτως ἐχόντων* — consuti sunt loci e Phaed. 114ᶜ et Apol. 29ᵈ petiti. Pariter terminat in cap. XIV quod e Theaet. (173ᵈ—177ᵇ) ad verbum exscripsit: *εἰ δὴ ταῦτα οὕτως ἔχει — — οὐδὲν ἄλλο χρὴ πράττειν ἢ φιλοσοφίας ἀντιλαμβάνεσθαι γενναίως.* Simillimam formulam vide (p. 240) in fine capitis XV, quod e Reipubl. libro VII (init.) fluxit. Cap. XVI (p. 240) incipit verbis

Digitized by Google

ἔτι τοίνυν, quibus Iamblichus progreditur ad Reipubl. 518ᵇ. Locum finivit inani peroratione (p. 244 extr.): *νῦν δὴ οὖν ὁπότε ἐνταῦθα γεγόναμεν* κτἑ. usque ad finem. Capp. XVII et XVIII e Gorgia (492ᵉ—494ᶜ. 504ᵇ—505ᵇ) sumpta sunt. Iamblichi verba sunt p. 252 - 254, 6 et 258, 3 — ad finem capitis. Denique in cap. XIX praemissis nonnullis (p. 258, 8—15) locum Gorgiae 506ᶜ—508 affert. Haec finiuntur (p. 264, 21) sic: *τὸ μὲν οὖν ὅλον τῆς εὐδαίμονος ζωῆς πέρι οὕτως ἔχει·* pergit statim verbis *καὶ ἕπεται δὲ αὐτήν* ad Menex. 246ᵈ—248ᵇ. Incondite deinde addit verbis (p. 270, 6) *διατεταμένως γὰρ δὴ δεῖ ταύτην ἔχειν τὴν δόξαν* — locum de legg. II, 660ᵉ, qui minime ad praeeuntem convenit. Finem facit more suo (p. 274, 4) his verbis: *εἰ τοίνυν καὶ τὰ ἀγαθὰ τῷ κατ' ἀρετὴν βίῳ μάλιστα συνήρτηται, — — πάντων ἕνεκα χρὴ τοῦτον τὸν βίον προαιρεῖσθαι τοὺς βουλομένους ὄντως εὐδαιμονεῖν.*

Introspeximus igitur in Iamblichi fabricam cognovimusque servilis interpolatoris inertiam. Iamblichus enim non solum permultos dialogos exscripsit sed, quod gravius est, locos diversissimos constipavit et uno capite comprehendit, ut suspicari liceat ne in Aristotelis quidem Iamblichum uno libro exscribendo se continuisse, sed plures adhibuisse, et fragmenta horum librorum non singula singulis capitibus contineri, sed variis ex libris compilata exhiberi. Nam haec recte Hirzelius (p. 86) monuit, Iamblichum ex Aristotelis non minus quam Platonis dialogis fonte uberrimo hausisse. Quae cum ita sint, quaeritur, quae nobis adsint subsidia quibus innixi invenire possimus ex hac congerie ea fragmenta, quae protreptici sunt.

Res videlicet lubrica est, quod de Aristotelis singulorum dialogorum argumentis iudicium facere nequimus. Duo igitur adsunt adminicula quibus caute usi protreptici fragmenta dignoscere possimus. Ex Iamblichi enim locis, qui quidem ita sint comparati, ut Aristotelis et ingenium et doctrinam prae se ferant, protreptico adscribemus ea fragmenta, quae natura et indole ad librum exhortatorium accommodata sunt, id est ea in quibus

Digitized by Google

ipsis exhortatio ad philosophiam inest, nec vero quibus Iamblichi interpretatione et additamentis subicitur; deinde ea, quibus similia aliorum testimoniis in protrepticis et maxime quidem in Ciceronis Hortensio locum tenuisse compertum habemus.

Atque hoc quidem facile nobis persuademus Iamblichum Aristotelis dialogis usum plurima petivisse ex protreptico. Quod ea quoque re quodam modo confirmatur, quod Iamblichus omnibus ex Platone excerptis praemisit Platonis protrepticum (in cap. V *ἅπαντες ἄνθρωποι βουλόμεθα εὖ πράττειν* κτέ).[1]) Sic enim veterum protrepticorum exempla se non ignorasse neque neglexisse optime demonstravit Iamblichus. Accedunt alia. Platonis protrepticum excipiunt apud Iamblichum duo frustula p. 72 et p. 74, quae unde sumpta sint, nemo adhuc probavit. Non neglegendum esse puto, quod Iamblichus eis insignem locum prae reliquis locis e Platone sumptis concessit. Per se igitur probabile est Iamblichum hoc loco praebere verba e protreptico quodam deprompta. Ac prima quidem diaeresis fragmentum est exile, quod paulo auctius rettulit in cap. VII, p. 114. Utrumque locum propono:

p. 72, 12.

ἔστι μέν τι ψυχή, ἔστι δέ τι σῶμα ἐν ἡμῖν, καὶ τὸ μὲν ἄρχει, τὸ δὲ ἄρχεται, καὶ τὸ μὲν χρῆται, τὸ δ' ἐστὶ τοιοῦτον οἵῳ χρῆται, καὶ τὸ μὲν θεῖον καὶ ἀγαθὸν καὶ οἰκειότατον ἡμῖν, τὸ δ' ἄλλως συνηρτημένον ὑπουργίας τινὸς ἕνεκα καὶ χρείας ἐχόμενον τῆς εἰς τὸν κοινὸν βίον τὸν ἀνθρώπινον, — κτέ.

p. 114, 21.

Ἔτι τοίνυν τὸ μέν ἐστι ψυχὴ τῶν ἐν ἡμῖν, τὸ δὲ σῶμα, καὶ τὸ μὲν ἄρχει, τὸ δὲ ἄρχεται, καὶ τὸ μὲν χρῆται, τὸ δ' ὑπόκειται ὡς ὄργανον. ἀεὶ τοίνυν πρὸς τὸ ἄρχον καὶ τὸ χρώμενον συντάττεται ἡ τοῦ ἀρχομένου καὶ τοῦ ὀργάνου χρεία — κτέ. cf. etiam p. 92, 18.

Alterum fragmentum (p. 74), si quid video, concinnatum est ex Clitophonte dialogo. Primum quidem omnia, quae

1) Platonis Euthydemi esse, quod legitur apud Iambl. in cap. V, 64—72, Bywaterum fugerat.

Digitized by Google

nostra sunt, trifariam dividuntur (Peripateticorum ratione) in animum, corpus, et ea quae corporis sunt. Omnia igitur, ait Iamblichus, animi causa facienda sunt animique facultatum, penes quas est imperium. Deinde pergit ineptis verbis — *εἰ δὴ τοῦτο οὕτως ἔχει* — quibus identidem usus est, si locos consarcinat (velut p. 228, 3. p. 208, 6. cf. quae supra pag. 245 attuli), hoc modo:

εἰ δὴ τοῦτο οὕτως ἔχει, οὐδὲν τῶν δεόντων πράττουσιν, ὅσοι χρημάτων μὲν πέρι τὴν πᾶσαν σπουδὴν ἔχουσι, δικαιοσύνης δὲ ἀμελοῦσι, δι' ἣν ἐπιστάμεθα ὀρθῶς χρῆσθαι τοῖς χρήμασι, καὶ τοῦ μὲν ζῆν καὶ ὑγιαίνειν φροντίζουσι τῷ σώματι, τοῦ δὲ ὀρθῶς χρῆσθαι τῇ ζωῇ καὶ ὑγείᾳ ἀμελοῦσι, κτέ.

Socrat. in protreptico (Clitoph. 407). *ποῖ φέρεσθε, ὦνθρωποι, καὶ ἀγνοεῖτε οὐδὲν τῶν δεόντων πράττοντες, οἵτινες χρημάτων μὲν πέρι πᾶσαν σπουδὴν ἔχετε, ὅπως ὑμῖν ἔσται, τῶν δ' υἱέων οἷς ταῦτα παραδώσετε, ὅπως ἐπιστήσονται χρῆσθαι δικαίως τούτοις, ἀμελεῖτε κτέ.*

Quae secuntur, Iamblichus in brevius contraxit: cf. Clitoph. 409° et 410.

Haec si recte disputata sunt, Iamblichus protrepticos veterum inprimis compilavit; ex Aristotelis igitur libro longe plurima in rivulos suos derivasse Iamblichum, hac ipsa ratiocinatione recte concluseris.

Iam praemunita via persequamur protreptici vestigia atque incipiamus, ut par est, ab eis quae ad veritatem proxime accedunt. Supra dixi unum tantum locum in Hortensii fragmentis occurrere quem Cicero Aristoteli aperte tribuit. Fragmentum est Hortensii 88 (ed. Baiter.), ab Augustino (contr. Iul. Pal. IV, 15) servatum, qui Ciceronem narrat in extremis Hortensii partibus multa de hominum vanitate atque infelicitate conquestum haec dixisse:

Ex quibus humanae, inquit, vitae erroribus et aerumnis fit, ut interdum veteres illi sive

Iambl. Pr. cap. VIII p. 134 sq.

τίς ἂν οὖν εἰς ταῦτα βλέπων οἴοιτο εὐδαίμων εἶναι καὶ μακάριος, οἳ πρῶτον εὐθὺς φύσει

Digitized by Google

vates sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos adfectos esse supplicio atque eos, qui quondam, cum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime (artissime *coni. Bernays.*) colligabantur, sic nostros animos cum corporibus copulatos ut vivos cum mortuis esse coniunctos.

συνέσταμεν, καθάπερ φασὶν οἱ τὰς τελετὰς λέγοντες, ὥσπερ ἂν ἐπὶ τιμωρίᾳ πάντες; τοῦτο γὰρ θείως οἱ ἀρχαιότεροι λέγουσι τὸ φάναι διδόναι τὴν ψυχὴν τιμωρίαν καὶ ζῆν ἡμᾶς ἐπὶ κολάσει μεγάλων τινῶν ἁμαρτημάτων· πάνυ γὰρ ἡ σύζευξις τοιούτῳ τινὶ ἔοικε πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς. ὥσπερ γὰρ τοὺς ἐν τῇ Τυρρηνίᾳ φασὶ βασανίζειν πολλάκις τοὺς ἁλισκομένους προσδεσμεύοντας κατ' ἀντικρὺ τοῖς ζῶσι νεκροὺς ἀντιπροσώπους ἕκαστον πρὸς ἕκαστον μέρος προσαρμόττοντας, οὕτως ἔοικεν ἡ ψυχὴ διατετάσθαι καὶ προσκεκολλῆσθαι πᾶσι τοῖς αἰσθητικοῖς τοῦ σώματος μέλεσιν.

Bernays (l. m. p. 24 et 144), qui Iamblichi locum non noverat, fragmentum ex Eudemo petitum esse coniecerat. Bywater primus ad Iamblichum relegans fragmentum protreptico adsignavit.

Ceterum Ciceronem deprehendimus Aristotelem sequentem prius quam auctoris nomen indicavit (Bywater p. 60). Apud Iamblichum autem locum ita habemus exscriptum, ut quin ipsius Aristotelis verba legamus dubium non sit.

Paulo ante eum locum, quem exscripsi, occurrunt verba, quae Aristotelis esse iterum testimonio confirmari potest. Quae enim p. 134, 1 de Lyncei oculis leguntur, comparanda sunt cum Boethii loco de consol. III, 8, 21, ubi hominum bona ad beatitudinem nihil efficere formaeque nitorem fictum mutabilemque esse explicans, haec dicit Boethius:

Digitized by Google

Quod si, ut Aristoteles ait, Lyncei oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus turpissimum videretur?

Iambl. protr. p. 134.
εἰ γάρ τις ἐδύνατο βλέπειν ὀξὺ καθάπερ τὸν Λυγκέα φασίν, ὃς διὰ τῶν τοίχων ἑώρα καὶ τῶν δένδρων, πότ' ἂν ἔδοξεν εἶναί τινα τὴν ὄψιν ἀνεκτόν, ὁρῶν ἐξ οἵων συνέστηκε κακῶν;

Rectissime Bywater Iamblichi et Boethii locis conlatis, haec verba ad Aristotelis protrepticum rettulit. Atque confirmatur viri docti coniectura alio argumento. Boethius enim, ubi mendacis formam felicitatis depingit (de consol. III, 3—8), e fonte hausit protreptico: inprimis ea quae in cap. VIII profert, protreptici naturam spirare videntur, cum in eis inveniantur *τόποι* usitatissimi, de quibus loco idoneo dicam. Suspicari licet, Ciceronem quoque illud de Lyncei oculis in Hortensio protulisse. Iamblichum autem videmus Aristotelis orationi nervos detrahentem: pro Alcibiadis enim nomine, quo usus erat Aristoteles ut pulchritudinis exemplum perfectissimum proponeret, Iamblichus nominum propriorum rerumque definitarum contemptor vocem inanem *τινά* substituit.

Iam vero firmo nitimur fundamento, si omnia quae apud Iamblichum p. 132 inde a verbis *γνοίη δ' ἄν τις κτἑ.* legimus, Aristotelis protreptico tribuimus. Nam quod Augustinus apud Ciceronem in extremis Hortensii partibus multos de hominum vanitate gemitus invenit, hoc optime cum Iamblichi loco convenit. At si hanc partem capitis octavi protreptico tribuimus, idem de priore capitis parte valet. Est enim cap. VIII de paucis unum, quod quin unum simplexque sit dubitari non potest. Proficiscitur adhortatio hic *ἀπὸ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν* vel *τῶν ἐναργῶν πᾶσι φαινομένων*, quare oratio ad populare iudicium accommodata est, sed sententiarum varietate sermonisque quadam vi insignis, ut summi viri ingenium, quale veterum iudicio in dialogis conspicuum fuit [1]), facile agnoscamus.

1) Ammonius proleg. in Arist. categ. (p. 36[b] 28 Br.): *ἐν δέ γε τοῖς*

Digitized by Google

Et quanquam quae condicio fuerit fontis, cui Iamblichus Aristotelis verba debeat, nescimus, neque qua fide ac diligentia ab eo reddita sint exploratum habemus: multas tamen sententias et singulas notiones Aristotelias ex eius libris comprobare possumus. Pauca proferam. Nemo, inquit, vitam et amplissimis opibus exstructam appetit, si sana mente carere debeat; itaque bona cupimus non nisi sentiendi ac sapiendi causa. Hanc ob rem neque ebrius neque puer quisquam nostrum per totam vitam esse velit. Cf. Eth. Nic. 1174ª, 1 *οὐδεὶς τ' ἂν ἕλοιτο ζῆν παιδίου διάνοιαν ἔχων.* (Eth. Eud. 1215ᵇ). Neque dormire quisquam semper velit. Cum his cf. Eth. Nic. 1095ᵇ 32. Eth. Eud. 1216ª 3.[1]) Fortasse Endymion hoc loco ab Aristotele memorabatur, cf. Cic. in Tusc. disp. I, 38, 92.

Porro quod parentes eximio honore persequendos, mortem autem quam maxime fugiendam esse censemus, ex cognoscendi ac sapiendi studio derivatur. Prudentia autem indigemus non ad vivendum, sed ad bene vivendum, quem ad modum in opibus parandis non spectamus, ut *πρὸς τὸ ζῆν μόνον* sufficiant, sed *πρὸς τὸ εὖ ζῆν* adsint. Pergit p. 132 *τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς πολλὴ συγγνώμη τοῦτο πράττειν· εὔχονται μὲν γὰρ εὐδαιμονεῖν, ἀγαπῶσι δὲ κἂν μόνον δύνωνται ζῆν, ὅστις δ' οἴεται μὴ πάντα τρόπον ὑπομένειν αὐτὸ δεῖν, καταγέλαστον ἤδη τὸ μὴ πάντα πόνον πονεῖν καὶ πᾶσαν σπουδὴν σπουδάζειν ὅπως κτήσηται ταύτην τὴν φρόνησιν ἥτις γνώσεται τὴν ἀλήθειαν.* His verbis protreptici nota quasi impressa videtur.

Sequitur sortis humanae consideratio his verbis instituta: *γνοίη δ' ἄν τις τὸ αὐτὸ καὶ ἀπὸ τούτων, εἰ θεωρήσειεν ὑπ' αὐγὰς τὸν ἀνθρώπειον βίον. εὑρήσει γὰρ τὰ δοκοῦντα εἶναι μεγάλα τοῖς ἀνθρώποις πάντα ὄντα σκιαγραφίαν. ὅθεν καὶ λέγεται καλῶς τὸ μηδὲν εἶναι τὸν ἄνθρωπον καὶ τὸ μηδὲν εἶναι βέβαιον τῶν ἀνθρωπίνων.*

διαλογικοῖς, ἃ πρὸς τοὺς πολλοὺς αὐτῷ (Aristot.) *γέγραπται, καὶ ὄγκου φροντίζει τινὸς καὶ περιεργίας λέξεων καὶ μεταφορᾶς, καὶ πρὸς τὰ τῶν λεγόντων πρόσωπα σχηματίζει τὸ εἶδος τῆς λέξεως καὶ ἁπλῶς ὅσα λόγον οἶδε καλλωπίζειν ἰδέαν.*

1) vide etiam Augustinum, Confess. VIII, 12, qui Hortensium fortasse sequitur.

Digitized by Google

Ad '*θεωρεῖν ὑπ' αὐγάς*' (qua locutione usus est Aristoph. in Thesmoph. 500) cf. Plat. Phaedr. 268ª. 269ª. *σκιαγραφία* legitur apud Plat. Phaed. 69ᵇ. Pergit (p. 132): *ἰσχύς τε γὰρ καὶ μέγεθος καὶ κάλλος γέλως ἐστὶ καὶ οὐδενὸς ἄξια, κάλλος τε παρὰ τὸ μηδὲν ὁρᾶν ἀκριβὲς δοκεῖ εἶναι τοιοῦτον. εἰ γάρ τις ἐδύνατο* — — (sequitur locus de Lyncei oculis, quem supra pag. 250 exscripsi) *τιμαὶ δὲ καὶ δόξαι τὰ ζηλούμενα μᾶλλον τῶν λοιπῶν ἀδιηγήτου γέμει φλυαρίας.* (cf. Plat. in Phaed. 66ᶜ). *τῷ γὰρ καθορῶντι τῶν ἀιδίων τι ἠλίθιον περὶ ταῦτα σπουδάζειν. τί δ' ἐστὶ μακρὸν ἢ τί πολυχρόνιον τῶν ἀνθρωπίνων; ἀλλὰ διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν οἶμαι καὶ βίου βραχύτητα καὶ τοῦτο φαίνεται πολύ.*

Hoc loco Usenerus[1]) Aristotelem multa de gloriae vanitate exposuisse censet. Ex Aristotelis enim protreptico sumpta sunt, si Usenerum sequeris, ea quae in Somnio Scipionis (de rep. VI, 23) Cicero de gloria disseruit. Haec paulo variata iterasse postea Ciceronem in Hortensio, quo ex fonte Boethium hausisse cum de eadem re verba faceret de cons. II, 7. Quae igitur Aristoteles de gloria terrae angustis limitibus ac temporis exiguo ad aeternitatem spatio coartata dixerit, eorum vestigia deprehendisse sibi visus est Usenerus in Iamblichi verbis *τί δ' ἐστὶ μακρὸν ἢ τί πολυχρόνιον τῶν ἀνθρώπων;*

At ego persuadere mihi non possum, his in verbis latere tam longam de gloria argumentationem, qualem sibi finxit Usenerus: immo Iamblichum hoc loco fere ad verbum Aristotelem exscripsisse putaverim. Hoc ea quoque re confirmatur quod illa verba leguntur proxime ab eis locis, quos ad verbum ex Aristotelis libro expressos esse Cicero et Boethius testantur. Cur igitur hanc de gloria explicationem Iamblichus sperneret, si invenit? Videat etiam Usenerus num verbo *μακρόν* illud argumentum de gloria intra fines angustos conclusa recte significetur. Mihi quidem secus videtur. Ego totam illam argumentationem quae in Somnio § 23 sqq. legitur, ab Aristotelis protreptico alienam esse puto: Censorini (de die

1) in Mus. Rhen. XXVIII p. 400 sqq.

Digitized by Google

nat. XVIII, 11) enim locus, quem huc rettulit Usenerus, non est protreptici, sed ex libris *περὶ φιλοσοφίας* sumptus (cf. Rosei fragm. Arist. p. 39, 25). Hoc tantum recte monuit Usenerus, Ciceronem in Hortensio simili modo de gloria intra fines angustos compressa dixisse (Hort. fr. 80) atque in Somnio, sed multo brevius, sicuti res tulit. Boethium autem in consol. libro II, 7 Hortensium sequi, non Somnium Scip., minime vir doctus demonstravit.

Plane autem concidunt ea quae Usenerus ex Iamblichi verbis *τί δ' ἐστὶ μακρόν κτἑ.* effecit, si ea contuleris cum Ciceronis loco in Tusc. disp. I, 39, 94:

quae vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? — — sed quia ultra nihil habemus, hoc longum dicimus.	*τί δ' ἐστὶ μακρὸν ἢ τί πολυχρόνιον τῶν ἀνθρωπίνων; ἀλλὰ διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν, οἶμαι, καὶ βίου βραχύτητα καὶ τοῦτο φαίνεται πολύ τι.*

Non igitur est quod diutius dubitemus, quin apud Iamblichum p. 134 Aristotelis ipsius verba legamus.

Itaque nihil in vita studio nostro dignum est, nihil pretiosum, nisi quantum in nobis est mentis et scientiae (p. 136). Una cogitandi facultate ad divinam naturam homo accedit: *'ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός', εἴτε Ἑρμότιμος εἴτε Ἀναξαγόρας εἶπε τοῦτο, καὶ ὅτι 'ὁ θνητὸς αἰὼν μέρος ἔχει θεοῦ τινός'.* Aristotelis more poetarum floribus et sententiis communibus exornata est oratio. Ceterum de Hermotimo cf. Arist. Metaph. I 3 p. 984^{b}—18. Locus denique finitur sic: *ἢ φιλοσοφητέον οὖν ἢ χαίρειν εἰποῦσι τῷ ζῆν ἀπιτέον ἐντεῦθεν, ὡς τὰ ἄλλα γε πάντα φλυαρία τις ἔοικεν εἶναι πολλὴ καὶ λῆρος.*

His verbis vere protrepticis et grandi quodam orationis genere prolatis Iamblichus ieiunam clausulam addit: *οὕτως ἄν τις τὰς ἀπὸ τῶν ⟨κοινῶν⟩ ἐννοιῶν ἐφόδους συγκεφαλαιώσαιτο δεόντως εἰς προτροπὴν τοῦ δεῖν φιλοσοφεῖν κτἑ.*

Quaerentibus autem quo loco in Aristotelis libro hoc fragmentum positum fuerit, certi nihil responderi potest. Cice-

Digitized by Google

ronem quidem Augustini testimonio narrationem illam de Etruscorum cruciatu in extremis dialogi partibus attulisse scimus; eodem teste discimus in Hortensio antecessisse multas de humanae vitae vanitate querellas: iam locus Iamblichi cum his ita convenit ut non solum querellas istas ex Aristotelis libro sumptas esse suspiceris, sed eas etiam apud Aristotelem sub finem prolatas esse conicias, quod et verborum vis ac gravitas suadet. Ipse vero finis Hortensii ab Augustino servatus est (fr. 90). Cicero Platonem (Phaed. 84[b]) imitatus dixerat philosophandum nobis esse, si aut exstingui tranquille aut redire velimus ad illos, a quibus essemus profecti. Ne Aristotelis quidem librum crediderim desperatis illis verbis (in fine cap. VIII) finitum fuisse, sed felicitatis quadam futurae spe ostenta Aristotelem suam ad philosophiam exhortationem terminasse est probabile. Haec contemplativa sapientia ac vitae spes in qua *φιλοσοφήσομεν ζῶντες ἀληθῶς* (p. 174), depingitur in capite XII apud Iamblichum, quod Aristotelicum colorem prae se ferre videtur. Verba Iamblichi in hoc sunt p. 170, 1—6 et p. 174, 8—12. Felicitatis definitio, quae p. 170, 11 legitur, consentit cum ea, quam Aristoteles in Pol. IV, 1 habet: cf.

Iambl. p. 170.	Arist. Pol. IV, 1.
οὐκοῦν τὴν εὐδαιμονίαν τιθέμεθα ἤτοι φρόνησιν εἶναι καί τινα σοφίαν, ἢ τὴν ἀρετὴν ἢ τὸ μάλιστα χαίρειν ⟨ἢ⟩ πάντα ταῦτα. Cf. p. 172, 1. 2.	— — *καὶ τὸ ζῆν εὐδαιμόνως, εἴτ' ἐν τῷ χαίρειν ἐστὶν εἴτ' ἐν ἀρετῇ τοῖς ἀνθρώποις εἴτ' ἐν ἀμφοῖν.* Cf. Eth. Eud. 1214[a] 30.

Ex protreptico hoc fragmentum depromptum videtur, primum quod maxime *ἡ φρόνησις* commendatur, ad quam praecipue *οἱ προτρέποντες* incitant (cf. apud Iambl. VIII p. 128, 9. 132, 12. 172, 5); deinde quod exhortandi vis in verbis re vera inest (cf. p. 172, 8 p. 174, 3). Tota denique argumentatio cum eo redeat, ut philosophandum nobis sit, si beati esse velimus et aeternas laetitias percipere, ubi aptius locum tenere potuit nisi in protreptico? Terminavit igitur Aristoteles protrepticum his verbis (p. 172):

Digitized by Google

— φιλοσοφητέον ἂν εἴη πᾶσι τοῖς δυναμένοις· ἢ γάρ τοι τοῦτ' ἐστὶ τὸ τελέως εὖ ζῆν, ἢ μάλιστά γε πάντων, ὡς ἓν εἰπεῖν, αἴτιον ταῖς ψυχαῖς. ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν διὰ τὸ παρὰ φύσιν ἴσως εἶναι τὸ γένος ἡμῶν χαλεπὸν τὸ μανθάνειν καὶ σκοπεῖν ἐστι — — ἂν δέ ποτε δυνηθῶμεν σωθῆναι πάλιν, ὅθεν ἐληλύθαμεν δῆλον, ὡς ἡδιον καὶ ῥᾷον αὐτὸ ποιήσομεν πάντες. νῦν μὲν γὰρ ἀφειμένοι τῶν ἀγαθῶν διατελοῦμεν πράττοντες τὰ ἀναγκαῖα, καὶ μάλιστα πάντων οἱ μάλιστα μακάριοι δοκοῦντες εἶναι τοῖς πολλοῖς· ἐὰν δὲ τῆς οὐρανίας ὁδοῦ λαβώμεθα καὶ ἐπὶ τὸ σύννομον ἄστρον τὴν ζωὴν τὴν ἑαυτῶν ἀπερείσωμεν, τότε φιλοσοφήσομεν ζῶντες ἀληθῶς καὶ θεώμενοι θεωρίας ἀμηχάνους τὸ κάλλος, ἀτενίζοντες τῇ ψυχῇ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀραρότως καὶ θεώμενοι τὴν τῶν θεῶν ἀρχήν, εὐφραινόμενοι καὶ χαίροντες συνεχῶς ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν, ἡδόμενοι χωρὶς πάσης λύπης. —

Ne tamen quis de Aristotele horum verborum auctore dubitet, quod Platonis doctrina [1]) in eis cognoscitur: immo optime hoc loco confirmatur, quod et antea vidimus (p. 252) et aliis locis perspicitur, Aristotelem in protreptico sicut in aliis dialogis quin Platonis sententiis ac verbis uteretur eiusque orationem imitaretur non recusavisse.[2]) Scimus in Eudemo dialogo Aristotelem Platonis Phaedonem ad imitandum sibi proposuisse neque idem solum argumentum persecutum sed etiam simillima dialogi forma usum esse (Bernays p. 23, Zeller II³2 p. 59, 1). Iam quae supra exscripsi, ad sententias in Phaedone prolatas proxime accedunt, quid igitur mirum quod Platonis memoriam nobis afferre videntur?

Sed transeo ad certiora. Totum VIII caput cum sine ulla dubitatione protreptico dare potuerimus, multo difficilior est quaestio in antecedenti capite iudicando. Hirzelius quidem hoc caput (VII = c. VI. VII apud Pistell.) integrum protreptico vindicavit: cui ego non adsentior, cum e diversis frustulis ita consarcinatum videatur, ut utrum unius libri e

1) *σύννομον* illud *ἄστρον* invenitur apud Plat. Tim. 42ᵇ. Cf. *τὸ ξυγγενές* in Phaed. 84ᵇ *θεωρίας ἀμηχάνους τὸ κάλλος* cf. Plat. Civit. X p. 615ᵃ.

2) Diels, *Archiv f. Gesch. d. Philos.* I, 4 p. 492 sqq.

Digitized by Google

variis locis an diversis ex fontibus compilatum sit haud facile sit ad diiudicandum. Sed iam videamus quid rei sit.

Iamblichus capiti septimo haec verba praemittit; *ἐπεὶ δὲ ἀνθρώποις διαλεγόμεθα* [1]), *ἀλλ' οὐχὶ τοῖς τὴν θείαν μοῖραν τῆς ζωῆς πρόχειρον ἔχουσι, δεῖ συμμιγνύναι ταῖς τοιαύταις παρακλήσεσι τὰς πρὸς τὸν πολιτικὸν καὶ πρακτικὸν βίον προτροπάς.* Postquam igitur contemplativam philosophiam commendavit, iam descendere vult ad laudem philosophiae quatenus ad civilem vitam et ad omnes actiones utilis sit. Huic quasi indici capitis duae exiles *παρακλήσεις* satisfaciunt, quae leguntur p. 102 et 104. Prior incipit a verbis *ὧδε οὖν λέγωμεν*, in qua Aristotelis illud exponitur philosophiam esse eam scientiam qua rebus ad vitae usum necessariis recte uti discamus. Verba *φιλοσοφητέον ἄρα ἡμῖν, εἰ μέλλομεν ὀρθῶς πολιτεύεσθαι κτέ* (p. 104) Iamblichus addidit. Sequitur altera *παράκλησις* (p. 104, 3—16) adiuncta verbis *ἔτι τοίνυν*, quibus Iamblichus uti solet, si res diversas conglutinat (cf. p. 240 cap. XVI). Huius *διαιρέσεως* summa est: *φιλοσοφητέον ἐκ παντὸς τρόπου, ὡς μόνης φιλοσοφίας τὴν ὀρθὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀναμάρτητον ἐπιτακτικὴν φρόνησιν ἐν ἑαυτῇ περιεχούσης.* Haec etsi sunt Aristotelia (*ὑπηρετοῦσα ἐπιστήμη* Metaph. 982ª 16. *ἡ φρόνησις ἐπιτακτική* Eth. Nic. 1143ª 8), tamen ita mutilata et decurtata leguntur, ut utrum reliquiae sint argumentationis e protreptico petitae an aliunde compilata, diiudicare nequeam.

Iterum verbis *ἔτι τοίνυν* adnectit nova, quibus demonstrat (p. 104, 16): *ἐπεὶ τὰ δυνατὰ καὶ ὠφέλιμα πάντες αἱρούμεθα, ἀποδεικτέον* (corr. Pistelli pro *παραδεικτέον*) *ὡς τῷ φιλοσοφεῖν ἀμφότερα ταῦτα ὑπάρχει καὶ ὅτι τὴν χαλεπότητα τῆς κτήσεως ὑποδεεστέραν ἔχει τοῦ μεγέθους τῆς ὠφελείας.* Fragmentum quod sequitur, bene est dispositum et continua argumentatione progrediens. In hoc unam quidem sen-

1) Cf. Diels, '*Arch. f. Gesch. d. Philos.*' I, 4 p. 485, 13: „*Jamblich gibt den aristotel. Gedanken wieder, der im Gegensatz zu dem idealen platonischen ἀγαθὸν das den Gegenstand seiner Ethik bildende ἀγαθὸν als ἀνθρώπινον fasst.* S. Nic. I 1. 1094a. 22ff. 4. 1096b 34."

Digitized by Google

tentiarum seriem si Aristotelicam esse probari possit, totum fragmentum (p. 104 extr. — 114, 8) ex Aristotelis protreptico petitum esse aio.

Dispositio fragmenti haec est, ut p. 106—108, 17 demonstretur esse *ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας καὶ τῆς περὶ ψυχὴν ἀρετῆς* eamque nos consequi posse; haec scientia summum bonum est: p. 108, 18—112, 6; denique philosophia facilior ad comparandum est quam reliqua bona: p. 112, 7—114, 8.

In hac parte probandi ratio tota est Aristotelia, argumenta ipsa et sententiae protreptici naturam prae se ferunt. Quae p. 106 leguntur, conveniunt cum Eth. Eud. 1217ᵃ 35. Deinde hic quoque omnibus bonis praefertur *ἡ φρόνησις*. In re publica, inquit (p. 108 extr.), lex imperat; lex autem est *φρόνησίς τις καὶ λόγος ἀπὸ φρονήσεως*.[1]) Summum igitur bonum est *ἡ φρόνησις* (p. 110, 12). Pergit deinde vere *προτρεπτικῶς*[2]): *οὐ δὴ δεῖ φεύγειν φιλοσοφίαν, εἴπερ ἐστὶν ἡ μὲν φιλοσοφία καθάπερ οἰόμεθα κτῆσίς τε καὶ χρῆσις σοφίας* (cf. Plat. in protreptico, Euthyd. 288ᵈ), *ἡ δὲ σοφία τῶν μεγίστων ἀγαθῶν· οὐδὲ δεῖ χρημάτων μὲν ἕνεκα πλεῖν ἐφ' Ἡρακλέους στήλας καὶ πολλάκις κινδυνεύειν, διὰ δὲ φρόνησιν μηδὲν πονεῖν μηδὲ δαπανᾶν. ἦ μὴν ἀνδραποδωδές γε τοῦ ζῆν, ἀλλὰ μὴ τοῦ ζῆν εὖ γλίχεσθαι* (cf. 1278ᵇ 29), *καὶ ταῖς τῶν πολλῶν αὐτὸν ἀκολουθεῖν δόξαις, ἀλλὰ μὴ τοὺς πολλοὺς ἀξιοῦν ταῖς αὑτοῦ, καὶ τὰ μὲν χρήματα ζητεῖν, τῶν δὲ καλῶν μηδεμίαν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τὸ παράπαν.* Deinde philosophiam facile attingi posse demonstrat (p. 112), quod ad exhortandum maxime valet, ut recte dicit Plutarchus, Moral. 544ᵈ.[3]) Iam quae hoc loco ab Iamblicho proferuntur, Aristoteli

---

1) Eth. Nic. 1180a 21 *ὁ δὲ νόμος — λόγος ὢν ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ.*

2) Haec verba etiam Rose inter protreptici fragmenta recepit: fr.³ 52 p. 62, 7.

3) *ἡ γὰρ ἔργον ὁμοῦ καὶ λόγον ἔχουσα προτροπὴ καὶ παράδειγμα καὶ ζῆλον οἰκεῖον ἔμψυχός ἐστι καὶ κινεῖ καὶ παροτρύνει καὶ μεθ' ὁρμῆς καὶ προαιρέσεως ἐλπίδας ὡς ἐφικτῶν καὶ οὐκ ἀδυνάτων παρίστησι.*

Digitized by Google

deberi Proclus testatur in commentariorum in Euclidis elem. prologo I p. 28 (ed. Friedlein), quem locum optime huc rettulit Valentinus Rose (in fragm. Aristot. collect., nova edit. 1886 p. 62). Locos adscribam:

Iambl. protr. p. 112.	Proclus, comm. in Eucl. p. 28 ed. Friedlein.
διότι δὲ πολλῷ ῥᾴστη τῶν ἄλλων ἀγαθῶν ἡ κτῆσις αὐτῆς (sc. τῆς φιλοσοφίας), ἐκ τῶνδε πεισθείη τις ἄν. τὸ γὰρ μήτε μισθοῦ παρὰ τῶν ἀνθρώπων γινομένου τοῖς φιλοσοφοῦσι, δι' ὃν συντόνως οὕτως ἂν διαπονήσειαν, πολύ τε προεμένους εἰς τὰς ἄλλας τέχνας ὅμως ἐξ ὀλίγου χρόνου θέοντας παρεληλυθέναι ταῖς ἀκριβείαις, σημεῖόν μοι δοκεῖ τῆς περὶ τὴν φιλοσοφίαν εἶναι ῥᾳστώνης. ἔτι δὲ τὸ πάντας φιλοχωρεῖν (ἐπ' delet Rose) αὐτῇ καὶ βούλεσθαι σχολάζειν ἀφεμένους τῶν ἄλλων ἁπάντων, οὐ μικρὸν τεκμήριον ὅτι μεθ' ἡδονῆς ἡ προσεδρεία γίνεται. πονεῖν γὰρ οὐδεὶς ἐθέλει πολὺν χρόνον.	δηλοῖ δὲ τὸ δι' ἑαυτὴν εἶναι τοῖς μετιοῦσιν αἱρετὴν (τὴν μαθ. ἐπιστήμην), ὃ καὶ Ἀριστοτέλης πού φησιν, τὸ μηδενὸς μισθοῦ προκειμένου τοῖς ζητοῦσιν ὅμως ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τοσαύτην ἐπίδοσιν τὴν τῶν μαθημάτων θεωρίαν λαβεῖν, ἔτι δὲ τὸ πάντας αὐτῇ φιλοχωρεῖν καὶ βούλεσθαι σχολάζειν τῶν ἄλλων ἀφεμένους, ὅσοι καὶ κατὰ μικρὸν ἐφήψαντο τῆς ἀπ' αὐτῆς ὠφελείας, ὥστε οἵ γε καταφρονητικῶς ἔχουσι τῆς τῶν μαθημάτων γεύσεως, ἄγευστοι τυγχάνουσιν ὄντες τῶν ἐν αὐτοῖς ἡδονῶν.

Si vero haec pars Aristotelis est, sequitur ut ea quoque quae antecedunt, eiusdem auctoris sint, eam ob causam, quod eundem fontem iterum exscripsit Iamblichus in commentatione Pythagorica tertia *περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης* (Anecd. Paris. II p. 317 Villoison). Hinc ampliora evadunt: quae enim apud Iamblichum in protreptico p. 106. 108 disseruntur, haec aperte dicta sunt contra eos qui negant *ὅτι τῆς ἀληθείας καὶ τῆς περὶ ψυχὴν ἀρετῆς ἔστιν*

Digitized by Google

ἐπιστήμη (p. 104 extr. 108, 18). Recte igitur hac eadem argumentatione Iamblichus in comm. III et Proclus usi sunt ad defendendas scientias theoreticas quae dicuntur. Iam vero uterque adversariorum voces induxit easdem, quare ex eodem fonte haec fluxerunt:

Iambl. comm. III. p. 216 Vill.	Proclus p. 25.
γεγόνασι δέ τινες οἱ μὲν παλαιοὶ οἱ δὲ νέοι, οἵτινες τὴν ἐναντίαν δόξαν περὶ τῶν μαθημάτων ἐξενηνόχασι ψέγοντες αὐτὰ ὡς παντελῶς ἄχρηστα καὶ πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον οὐδὲν συμβαλλόμενα. ἔνιοι δὲ οὕτως ἐπιχειροῦσιν· — —	ἤδη δέ τινες τῶν ἀντιλογικῶν ἐπιχειροῦσι καθαιρεῖν τὴν ἀξίαν τῆς ἐπιστήμης ταύτης, οἱ μὲν τὸ καλὸν αὐτῆς καὶ τὸ ἀγαθὸν ἀφαιροῦντες — —, οἱ δὲ χρησιμωτέρας τὰς τῶν αἰσθητῶν ἐμπειρίας ἀποφαίνονται τῶν ἐν αὐτῇ καθόλου θεωρουμένων, οἷον γεωδεσίαν γεωμετρίας, καὶ τὴν τῶν πολλῶν ἀριθμητικὴν τῆς ἐν θεωρήμασιν ὑφεστώσης, καὶ τὴν ναυτικὴν ἀστρολογίαν τῆς καθόλου δεικνυούσης, οὔτε γὰρ πλουτοῦμεν τῷ γιγνώσκειν τὸν πλοῦτον, ἀλλὰ τῷ χρῆσθαι, οὔτε εὐδαιμονοῦμεν τῷ τὴν εὐδαιμονίαν γινώσκειν, ἀλλὰ τῷ ζῆν εὐδαιμονικῶς, ὥστε καὶ πρὸς τὸν βίον τὸν ἀνθρώπινον καὶ τὰς πράξεις οὐ τὰς γνωστικὰς τῶν μαθηματικῶν, ἀλλὰ τὰς ἐμπειρικὰς συντελεῖν ὁμολογήσομεν. οἱ γὰρ ἀγνοοῦντες μὲν τοὺς λόγους, γεγυμνασμένοι δὲ περὶ τὴν ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα πεῖραν ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρουσι πρὸς
πάντα τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ πρὸς τὸν βίον ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις ἐν τῷ χρῆσθαι καὶ πράττειν ἐστίν, ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ γιγνώσκειν μόνον· οὔτε γὰρ ὑγιαίνομεν — — οὔτε πλουτοῦμεν τῷ γιγνώσκειν πλοῦτον, ἀλλὰ τῷ κεκτῆσθαι πολλὴν οὐσίαν, οὐδὲ τὸ πάντων μέγιστον εὖ ζῶμεν τῷ γιγνώσκειν ἅττα τῶν ὄντων ἀλλὰ τῷ πράττειν εὖ. τὸ γὰρ εὐδαιμονεῖν ἀληθῶς τοῦτ' ἔστιν. ὥστε προσήκει καὶ τὴν φιλοσοφίαν εἴπερ ἐστὶν ὠφέλιμος ἤτοι πρᾶξιν εἶναι τῶν ἀγαθῶν ἢ χρήσιμον εἰς τὰς τοιαύτας πράξεις. — — οἱ δὲ τοὺς μὲν λόγους ἀγνοοῦντες, γεγυμνασμέ-	

Digitized by Google

(Iambl.).	(Proclus).
νοι δὲ καὶ δοξάζοντες ὀρθῶς ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρουσι πρὸς τὰς χρείας.	*τὰς ἀνθρωπικὰς χρείας τῶν περὶ τὴν θεωρίαν μόνην ἐσχολακότων.*

Quae secuntur Proclus habet p. 25, 20—22. Iamblichus igitur et Proclus in communi fonte philosophiam seu scientias in cognitione positas et accusatas et defensas invenerunt, quare eadem argumenta quae vituperatores contra philosophiam proferentes Aristoteles induxerat, altera parte refutavit. Velut in his:

Adversarius (Iambl. III. p. 216 Vill.)	Defensor (Iambl. protr. p. 104).
φασὶ γὰρ οἱ μὲν εἶναι τὴν τῶν ἀδίκων καὶ δικαίων καὶ κακῶν καὶ ἀγαθῶν ἐπιστήμην, ὁμοίαν οὖσαν γεωμετρίᾳ καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς τοιαύταις, οἱ δὲ τὴν περὶ φύσεώς τε καὶ τῆς τοιαύτης ἀληθείας φρόνησιν κτέ.	*ὅτι μὲν οὖν τὰς περὶ τῶν δικαίων καὶ τῶν συμφερόντων, ἔτι δὲ περὶ φύσεώς τε καὶ τῆς ἄλλης ἀληθείας ἐπιστήμας δυνατοὶ λαβεῖν ἐσμεν, ῥᾴδιον ἐπιδεῖξαι.*

Dubium non est, quin arma et impugnandae et defendendae philosophiae Iamblichus et Proclus ex Aristotelis libro petiverint: quem librum protrepticum esse, commentatorum testimonio quod memoravi et eis quae de Hortensii indole supra (p. 239) dixi quaeque infra de protreptici partibus docebo, optime confirmatur. —

Quae deinde in Iamblichi protreptico (p. 114) a verbis *ἴδοι δ' ἄν τις τὸ αὐτὸ γνωριμώτερον* secuntur, ex alio fonte hausta sunt, non ex protreptico, ut Hirzelio (p. 94) videtur. Res difficillima est, quod in his quoque varias *παρακλήσεις* conglutinatas habemus.

Prima sententiarum series est p. 114, 9—12, imperfecta illa neque integra, quae redit explanata in cap. XII p. 170. Sequitur altera p. 114, 20—116, 18 verbis illis copulativis *ἔτι τοίνυν* adiuncta, qua demonstratur eam virtutem quae

Digitized by Google

summa animi partis, id est rationis, propria est, maxime esse expetendam. Haec breviori forma iam supra inveniri (p. 72) antea monstravi (locos proposui p. 247). Tertia diaeresis p. 116, 18 eisdem verbis *ἔτι τοίνυν* incipit. Dicit cuiusque rei munus per se peractum melius esse quam vi aliena perfectum. Hominis autem propriam naturam efficit *ὁ νοῦς καὶ ὁ λόγος* (p. 118, 9), cuius opus positum est in veritatis cognitione. Huius autem cognitionis finis est *ἡ θεωρία*.

Negari non potest, quin Aristotelis sententiae in hac parte multae inveniantur. Confer quae p. 120 leguntur cum Eth. Nic. 1097ᵃ 15; deinde p. 124 cum Eth. Nic. 1170ᵃ 20 Metaph. I, 1. Sed non nisi frustula sunt miserrime consuta, quae Iamblichus si uno ex fonte hausit, e dialogo compilavit et in continuam orationem transfigurare conatus est. Quod quidem negotium pessime successit Iamblicho, nam dialogi vestigia et sententiarum mira brevitate atque inconcinnitate et verborum sermonis propriorum insigni usu facile cognoscuntur (cf. p. 116, 6 sqq. p. 120. p. 122, 1—12, maxime p. 126 init.).

Protreptici non esse hanc alteram septimi capitis partem, hac ratione demonstrari potest.

Adversarii enim apud Aristotelem haec contra philosophiam proferunt (Iambl. in comm. Pyth. III p. 217, 5:)

δεῖ δὴ μὴ λεληθέναι τὸν μέλλοντα περὶ τούτων ἐξετάζειν, ὅτι πάντα τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ πρὸς τὸν βίον ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις ἐν τῷ χρῆσθαι καὶ πράττειν ἐστὶν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τῷ γιγνώσκειν μόνον κτέ. et (ibid. p. 217, 11):

ὥστε προσήκει καὶ τὴν φιλοσοφίαν, εἴπερ ἐστὶν ὠφέλιμος, ἤτοι πρᾶξιν εἶναι τῶν ἀγαθῶν ἢ χρήσιμον εἰς τὰς τοιαύτας πράξεις· ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν οὔθ᾽ αὕτη πραγμάτων ἐργασία οὔτ᾽ ἄλλη τιῶν προειρημένων ἐπιστημῶν οὐδεμία, φανερόν ἐστι πᾶσιν. ὅτι δ᾽ οὐδ᾽ ἐστὶ χρήσιμος εἰς τὰς πράξεις, ἐκεῖθεν ἄν τις καταμάθοι. — — Videmus igitur adversarios philosophiae id maxime exprobrare, quod cum in agendo non versetur, utilis non sit. Bonum enim — sic argumentantur — nihil est nisi quod utile; utile autem non invenitur

Digitized by Google

nisi in actionibus. Atqui philosophia non in agendo, sed in cognoscendo versatur. Ergo philosophia neque utilis est neque bonum appellandum.

His adversariorum opprobriis accuratissime et ad protreptici consilium aptissime respondetur apud Iamblichum in cap. IX p. 148, 15—152, 21. Hoc fragmentum ex Aristotelis protreptico petitum est. Non opus est disputatione, si verba ipsa exscribam (Rose fragm.[3] 58 p. 68, 19).

Τὸ δὲ ζητεῖν ἀπὸ πάσης ἐπιστήμης ἕτερόν τι γενέσθαι καὶ δεῖν χρησίμην αὐτὴν εἶναι, παντάπασιν ἀγνοοῦντός τινός ἐστιν, ὅσον διέστηκεν ἐξ ἀρχῆς τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ ἀναγκαῖα· διαφέρει γὰρ πλεῖστον (cf. Arist. Top. 116[a]30. Polit. 1338[b]2). *τὰ μὲν γὰρ δι᾽ ἕτερον ἀγαπώμενα τῶν πραγμάτων ὧν ἄνευ ζῆν ἀδύνατον, ἀναγκαῖα καὶ συναίτια λεκτέον· ὅσα δὲ δι᾽ αὑτά, κἂν ἀποβαίνῃ μηδὲν ἕτερον, ἀγαθὰ κυρίως. οὐ γὰρ δὴ τόδε μὲν αἱρετὸν διὰ τόδε, τόδε δὲ δι᾽ ἄλλο, τοῦτο δὲ εἰς ἄπειρον οἴχεται προιόν, ἀλλ᾽ ἵσταταί που* (cf. Eth. Nic. 1094[a] 18). *γελοῖον οὖν ἤδη παντελῶς τὸ ζητεῖν ἀπὸ παντὸς ὠφέλειαν ἑτέραν παρ᾽ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα καὶ τί οὖν ἡμῖν ὄφελος καὶ τί χρήσιμον ἐρωτᾶν* (cf. Arist. 981[b] 17).

ἴδοι δ᾽ ἄν τις ὅτι παντὸς μᾶλλον ἀληθῆ ταῦτα λέγομεν εἴ τις ἡμᾶς οἷον εἰς μακάρων νήσους τῇ διανοίᾳ κομίσειεν. ἐκεῖ γὰρ οὐδενὸς χρεία οὐδὲ τῶν ἄλλων τινὸς ὄφελος ἂν γένοιτο, μόνον δὲ καταλείπεται τὸ διανοεῖσθαι καὶ θεωρεῖν, ὅνπερ καὶ νῦν ἐλεύθερόν φαμεν βίον εἶναι. εἰ δὲ ταῦτ᾽ ἐστὶν ἀληθῆ, πῶς οὐκ ἂν αἰχύνοιτο δικαίως ὅστις ἡμῶν ἐξουσίας γενομένης ἐν μακάρων οἰκῆσαι νήσοις, ἀδύνατος εἴη δι᾽ ἑαυτόν; οὐκοῦν οὐ

Cic. Hort. fr. 40 (Aug. de trinit. 14, 9).

Tullius in Hortensio dialogo disputans, Si nobis, inquit, cum ex hac vita migrassemus, in beatorum insulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum iudicia nulla fierent, aut ipsis etiam virtutibus? nec enim fortitudine egeremus nullo proposito aut labore aut periculo, nec iustitia cum esset nihil quod adpeteretur alieni, nec temperantia quae regeret eas quae nullae

Digitized by Google

μεμπτὸς ὁ μισθός ἐστι τῆς ἐπιστήμης τοῖς ἀνθρώποις οὐδὲ μικρὸν τὸ γιγνόμενον ἀπ' αὐτῆς ἀγαθόν — —.

(*μακάρων νῆσοι* vide Aristot. Polit. 1334ᵃ31).

essent libidines; ne prudentia quidem egeremus nullo delectu proposito bonorum et malorum. una igitur essemus beati cognitione naturae et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. ex quo intellegi potest cetera necessitatis esse, unum hoc voluntatis.

Bernays (de Arist. dial. p. 120) quanquam Iamblichi locum non noverat, ex Hortensii fragmento Aristotelem in protreptico hac fabula de beatorum insulis usum esse collegerat; recte virum doctum coniecisse nunc probatur. Habemus autem exemplum, quam caute nobis agendum sit cum Cicerone Aristotelis imitatore. Cicero enim — 'recolens', ut ait Augustinus (l. c.), 'ea quae a philosophis acceperat et praeclare ac suaviter explicans' — locum ita deflexit, ut cardinem, circa quem tota disceptatio vertitur, paene non tetigerit. Nam cum Hortensio eloquentiam praedicanti occurrere vellet, in mentem ei venit locus in Eth. Nic. 1178ᵇ 7, ubi Aristoteles quattuor virtutes ad deos non pertinere exposuit.

Iam secuntur apud Iamblichum ea quae commodissime et acute ad refellendos adversarios dicta esse puto. Quoniam vero in capite VII p. 122 persimilis exstat argumentatio, hos locos iuxta positos exscribam:

Iambl. p. 152.	Iambl. in cap. VII p. 122.
οὐδὲν οὖν δεινόν, ἂν μὴ φαίνηται χρησίμη οὖσα μηδ' ὠφέλιμος (ἡ φρόν.). οὐ γὰρ ὠφέλιμον, ἀλλ' ἀγαθὴν αὐτὴν εἶναί φαμεν, οὐδὲ δι' ἕτερον, ἀλλὰ δι' ἑαυτὴν αἱρεῖσθαι αὐτὴν προσήκει. ὥσπερ γὰρ εἰς Ὀλυμπίαν αὐτῆς ἕνεκα τῆς θέας ἀποδημοῦμεν, καὶ εἰ μηδὲν μέλλοι πλεῖον ἀπ' αὐτῆς ἔσεσθαι (αὐτὴ γὰρ ἡ θεωρία κρείττων πολλῶν	*τὸ φρονεῖν ἄρα καὶ τὸ θεωρεῖν ἔργον τῆς ἀρετῆς ἐστι· καὶ τοῦτο πάντων ἐστὶν αἱρετώτατον τοῖς ἀνθρώποις, ὥσπερ οἶμαι καὶ τὸ τοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν, ἃ καὶ ἕλοιτό τις ἂν ἔχειν, εἰ καὶ μή τι μέλλοι γίγνε-*

Digitized by Google

ἐστι χρημάτων), καὶ τὰ Διονύσια δὲ θεωροῦμεν, οὐχ ὡς ληψόμενοί τι παρὰ τῶν ὑποκριτῶν, ἀλλὰ καὶ προσδόντες (pro *προσθέντες* corr. Diels p. 482, 7), *πολλάς τε ἄλλας θέας ἑλοίμεθα ⟨ἄν⟩ ἀντὶ πολλῶν χρημάτων· οὕτω καὶ τὴν θεωρίαν τοῦ παντὸς προτιμητέον πάντων τῶν δοκούντων εἶναι χρησίμων.*

σθαι δι' αὐτὸ παρ' αὐτὴν τὴν ὄψιν ἕτερον· ἔτι εἰ τὸ ὁρᾶν ἀγαπῶμεν δι' ἑαυτό, ἱκανῶς μαρτυρεῖ τοῦτο ὅτι πάντες τὸ φρονεῖν καὶ τὸ γιγνώσκειν ἐσχάτως ἀγαπῶσιν.

Haec ex uno eodemque libro petita esse nemo sibi persuadebit. Iam vero utrum priorem an posteriorem locum protreptico tribuamus, neutiquam dubitabimus. Hirzelium ipsum opinor, si adversariorum argumenta, quae apud Proclum et Iamblichum sunt, novisset, de sententia sua destiturum fuisse. Nam ea quae inde a p. 148 (extr.) usque ad finem cap. IX proferuntur, ex protreptico Aristotelis sumpta esse, omnia testantur: dicendi genus, Hortensii fragmentum, adversariorum refutatio. Quid tandem est quod alteram partem (p. 114—126) protreptici fragmentum esse probet? An quod locum habet in cap. VII, in quo protreptici fragmentum deprehendimus? At nemo non videt hoc caput ex variis libris contextum esse: inprimis ea verba, quibus Iamblichus protreptici fragmentum finivit (p. 114, 4 *οὐκοῦν ἀποδέδεικται κτέ.*) et quibus pergit (p. 114, 9 *ἴδοι δ' ἄν τις τὸ αὐτὸ γνωριμώτερον ἀπὸ τούτων*), nova incipi aliumque fontem compilari paene clamant.

Quod hoc Hirzelius non sensit, miror: quam multa enim et varia in capite VII argumenta tractata sint, ex ipsius de singulis capitibus quaestione (l. c. p. 87—93) optime elucet. Nam examinans singulorum capitum summam, semper in septimo capite easdem res iam disceptatas vel breviter quidem tactas esse vir doctus statuit.

Itaque postquam Iamblichus in cap. VII usque ad p. 114, 8 Aristotelis protreptico usus est, inde a p. 114, 9 digreditur ad varias divisiones quibus demonstrare vult ‘*τὸ φρονεῖν εἶναι αἱρετὸν καθ' αὑτὸ τοῖς ἀνθρώποις*’ et ‘*πάντας τὸ φρονεῖν*

Digitized by Google

καὶ τὸ γιγνώσκειν ἐσχάτως ἀγαπᾶν' (p. 122 extr.). Rediit deinde ad fontem suum in capite VIII.

In capitis IX initio auctor dicit: *ἄνωθεν δὲ ἀρχόμενοι ἀπὸ τοῦ τῆς φύσεως βουλήματος ἐπὶ τὴν αὐτὴν προτροπὴν προχωροῦμεν οὕτωσί.* Sequitur digressio paulo neglegentius a Iamblicho compilata, quae ex Aristotelis libro fortasse fluxit, num e protreptico, valde dubito. Cum Aristotelis physicis libris (744ᵃ 36, 658ᵃ 8) conveniunt ea quae de palpebra a natura non frustra data exponuntur p. 144, 3. Deinde cum Iambl. 140 cf. Eth. Eud. 1219ᵃ. Anaxagorae dictum p. 146, 3 exstat etiam in Eth. Eud. 1216ᵃ 10. Sed nisi fallor hoc quoque in capite Iamblichus ex diversis fontibus constipavit quae conciliari non possunt. Priorem enim capitis partem (138—148), si quid video, Iamblichus in fine conformavit, ut consilio suo ac rationi apta fieret. Nam cum in fonte, quo utebatur, procedente oratione res instituta ita esset tractata, ut ab incepto suo Iamblichus distraheretur, hoc fonte relicto compilator pauca addidit inepta, quibus sensum fragmenti quod exscripsit, nequaquam tetigit, sed relapsus est in eam argumentationem, qua usus erat p. 94 et p. 116. Lege modo verba quae sunt p. 148, 6—15 (*ἀλλὰ τοῦτο γνωστόν κτἑ.*) et auctorem ab aliis ad alia transire concedes. — Quae secuntur p. 148, 15 inde a verbis *τὸ δὲ ζητεῖν κτἑ.*, protreptico supra p. 262 tribuimus.

Quae in capp. X et XI a Iamblicho proferuntur, ex protreptico nullo modo excerpta sunt. Nam quae in cap. X de philosophiae ad vitam publicam utilitate dicit, e politico libro sumpta videntur, non e protreptico, in quo haec quaestio brevius tractabatur; frustulum huius partis fortasse est in cap. VII prima diaeresi.[1]) Item quod in cap. XI magnis ambagibus explicatur laetitiam inesse in philosophiae studio, multo elegan-

1) locus, qui legitur in cap. X p. 158, simillimus est cap. VII p. 122, 12:

p. 158: *ἔστι μὲν οὖν θεωρητικὴ ἥδε ἡ ἐπιστήμη· — — ὥσπερ γὰρ ἡ ὄψις κτἑ.*	p. 122: *θεωρητικήν τινα ἄρα φατέον εἶναι ταύτην τὴν ἐπιστήμην — — — ὥσπερ, οἶμαι, καὶ τὸ τοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν κτἑ.*

Digitized by Google

tius probata sunt in cap. VII p. 112 extr. (= Procl. l. c. p. 28, 20) et in cap. XII p. 174.

Restat unum fragmentum peripateticum apud Iamblichum in cap. VI p. 92, 12—102, 6, quod utrum ex Aristotelis protreptico petitum sit necne dubitari potest. Aristotelium sane est: *τὸ χεῖρον τοῦ βελτίονος ἕνεκα* (p. 92 extr.) cf. Pol. 1333ᵃ 2. Eth. M. 1208ᵃ 13. *τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς ἕνεκεν*, de animal. part. 645ᵇ 19. Animi dichotomia (p. 92/94) invenitur apud Arist. Pol. 1260ᵃ 5.11. 1334ᵇ 18.22. — Sed inveniuntur etiam in hoc fragmento multae sententiae in protrepticum optime quadrantes. Hominis enim praestantiam ac vim in sapientiae contemplatione positam esse — contra sensuum quidem virtute viriumque robore a multis animalibus hominem superari: haec atque similia in omnibus fere protrepticis redeunt. Accedit quod oratio huius fragmenti quadam vi et gravitate insignis est (p. 96, 15—98. p. 100 usque ad finem capitis). Quas ob causas hoc quoque fragmentum Aristotelis libro adsigno.

Haec sunt quae ex Iamblichi libro ad Aristotelis protrepticum referenda esse puto. Nonnulla autem aliunde supplere possumus. Velut illa quae in Iamblichi protr. cap. VIII p. 106—114 leguntur, non nisi particula sunt orationis ad philosophiam defendendam susceptae. In tertia enim comment. Pyth. Iamblichus post verba *καὶ κτήσασθαι ῥᾴδιον ἡ φιλοσοφία* (p. 114, 6) addit haec, quae Aristotelis sunt verba (p. 218, 27 Vill.):

νεώτατον οὖν ὁμολογουμένως ἐστὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἡ περὶ τὴν ἀλήθειαν ἀκριβολογία. μετὰ γὰρ τὴν φθορὰν καὶ τὸν κατακλυσμὸν τὰ περὶ τὴν τροφὴν καὶ τὸ ζῆν πρῶτον ἠναγκάζοντο φιλοσοφεῖν, εὐπορώτεροι δὲ γενόμενοι τὰς πρὸς ἡδονὴν ἐξειργάσαντο τέχνας, οἷον μουσικὴν καὶ τὰς τοιαύτας, πλεονάσαντες δὲ τῶν ἀναγκαίων οὕτως ἐπεχείρησαν φιλοσοφεῖν. τοσοῦτον δὲ νῦν προεληλύθασιν ἐκ μικρῶν ἀφορμῶν ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ ζητοῦντες οἵ τε περὶ τὴν γεωμετρίαν καὶ τοὺς λόγους καὶ τὰς ἄλλας παιδείας, ὅσον οὐδὲν ἕτερον γένος ἐν οὐδεμιᾷ τῶν τεχνῶν. καίτοι καὶ τὰς μὲν ἄλλας πάντες

Digitized by Google

συνεξορμῶσι τιμῶντες κοινῇ καὶ τοὺς μισθοὺς τοῖς ἔχουσι διδόντες, τοὺς δὲ ταῦτα πραγματευομένους οὐ μόνον οὐ προτρέπομεν ἀλλὰ καὶ διακωλύομεν πολλάκις, ἀλλ' ὅμως ἐπιδίδωσι πλεῖον, διότι τῇ φύσει ἐστὶ πρεσβύτατα· τὸ γὰρ τῇ γενέσει ὕστερον οὐσίᾳ καὶ τελειότητι προηγεῖται. — Ex eodem fonte hausit Proclus l. c. p. 29, 1—11.

Pertinent haec ad defendendam philosophiam contra ea quae adversarii obiecerant: philosophiae studia, etsi ex longo aevo ab hominibus quibusdam colerentur, non ad certum finem venire neque unquam ventura esse, cum unusquisque philosophus placita sua aliunde repetens alia doceret. His Aristoteles respondit, philosophiae quidem vetustum esse studium, quod tamen quin ad exitum foret venturum, non esse dubitandum. Primum enim homines non philosophabantur nisi de rebus quae ad vitae usum victumque necessariae essent (Procl. 29, 4 *πρῶτα μὲν γὰρ τὰ σύντροφα καὶ ὁμοφυῆ τῇ γενέσει περισπούδαστά ἐστι τοῖς ἀνθρώποις*). Dein vero his comparatis vitam paulo cultiorem et iucundiorem reddere studiosi colebant artes. Postremo ab humana natura se attollentes id agere coeperunt, quod ad animum divinamque naturam pertineret, quo factum est ut ab humili de rebus corporalibus ac necessariis cogitandi studio processerint ad summam rationem per se bonam et expetendam, quae est in contemplatione. *Φύσει* igitur *τὸ φιλοσοφεῖν* iam diu viguit, recens autem est id studium quod rerum notiones totamque veritatem simpliciter contemplatur.

Aristotelis explicationem tetigit Cicero in Tusc. disp. III, 28, 69: 'Aristoteles veteres philosophos accusans, qui existimavissent philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse, sed se videre quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fieri.' Recte Valentinus Rose inter protreptici fragmenta hunc locum recepit (p. 63, 53). Aristoteles igitur in protreptico dedit quasi historiam humanae mentis. Summum autem gradum, ad quem adscendit illud quod in hominibus invenitur cogitandi studium, dixit esse philosophiam Socra-

Digitized by Google

ticam. Hanc enim sine dubio significat Aristoteles dicens ‘paucis annis magnam accessionem factam esse’ et verbis illis ‘*τοσοῦτον δὲ νῦν προεληλύθασιν ἐκ μικρῶν ἀφορμῶν*’.

Alius exstat locus quem Bernays (p. 163) dubitanter protreptico tribuit, ego protreptici fragmentum esse affirmo. Stobaeus *περὶ φρονήσεως* agens sub lemmate *Ἀριστοτέλους* affert haec (in fl. 3, 54):

νόμιζε τὴν εὐδαιμονίαν οὐκ ἐν τῷ πολλὰ κεκτῆσθαι γίγνεσθαι ἀλλ᾽ ἐν τῷ τὴν ψυχὴν εὖ διακεῖσθαι. καὶ γὰρ οὐδὲ τὸ σῶμα, οὐ τὸ λαμπρᾷ ἐσθῆτι κεκοσμημένον φαίη τις ἂν εἶναι μακάριον, ἀλλὰ τὸ ὑγίειαν ἔχον καὶ σπουδαίως διακείμενον, κἂν μηδὲν τῶν προειρημένων[1] *αὐτῷ παρῇ· τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ψυχὴ ἐὰν ᾖ πεπαιδευμένη, τὴν τοιαύτην καὶ τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον εὐδαίμονα προσαγορευτέον ἐστίν, οὐκ ἂν τοῖς ἐκτὸς ᾖ λαμπρῶς κεκοσμημένος αὐτὸς, μηδενὸς ἄξιος ὤν. οὐδὲ γὰρ ἵππον κἂν ψέλια χρυσᾶ καὶ σκευὴν ἔχῃ πολυτελῆ αὐτὸς φαῦλος ὤν, τὸν τοιοῦτον ἄξιόν τινος νομίζομεν εἶναι, ἀλλ᾽ ὃς ἂν διακείμενος ᾖ σπουδαίως, τοῦτον μᾶλλον ἐπαινοῦμεν. ὥσπερ γὰρ εἴ τις τῶν οἰκετῶν αὐτοῦ χείρων εἴη, καταγέλαστος ἂν γένοιτο, τὸν αὐτὸν τρόπον οἷς πλείονος ἀξίαν τὴν κτῆσιν εἶναι συμβέβηκε τῆς ἰδίας φύσεως, ἀθλίους τούτους εἶναι δεῖ νομίζειν. καὶ τοῦτο κατ᾽ ἀλήθειαν οὕτως ἔχει· τίκτει γὰρ, ὥσπερ φησὶν ἡ παροιμία, κόρος μὲν ὕβριν, ἀπαιδευσία δὲ μετ᾽ ἐξουσίας ἄνοιαν. τοῖς γὰρ διακειμένοις τὰ περὶ τὴν ψυχὴν κακῶς οὔτε πλοῦτος οὔτε ἰσχὺς οὔτε κάλλος τῶν ἀγαθῶν ἐστιν· ἀλλ᾽ ὅσῳ περ ἂν αἴτιαι μᾶλλον αἱ διαθέσεις καθ᾽ ὑπερβολὴν ὑπάρξωσι, τοσούτῳ καὶ πλείω καὶ μείζω τὸν κεκτημένον βλάπτουσι χωρὶς φρονήσεως παραγενόμεναι.*

Locus est in protrepticis maxime usitatus ac paene decantatus. Quae in vv. 15—20 leguntur, conveniunt cum eis

1) *παραρτημάτων* coni. Bernays. *προειρημένων* praebent etiam Maximus eclog. p. 584, 32 Comb. et flor. Laur. p. 225, 25 Mein., ubi idem locus recurrit. Sed rectius locum ab excerptore in brevius contractum esse cum ipso Bernaysio (p. 163) suspicaberis: omissa sunt nonnulla in v. 3.[;

Digitized by Google

quae Plato in protreptico exposuit (Euthyd. 281 b—d). Eadem reddidit Themistius in protreptico, quo de infra dicemus. De domino, qui suis servis deterior est (v. 12), Galenus loquitur in protreptico. Simillima etiam sunt ea, quae de divitiarum pretio protulit Boethius de consol. II, 5. Nonnulla exscribam:

„(l. c. § 45) iam vero pulchrum variis fulgere vestibus putas? quarum si grata intuitu species est, aut materiae naturam aut ingenium mirabor artificis. An vero te longus ordo famulorum facit esse felicem? qui si vitiosi moribus sint, perniciosa domus sarcina — —: sin vero probi, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur? — — (§ 85) Quam vero late patet vester hic error qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis? At id fieri nequit. nam si quid ex appositis luceat, ipsa quidem quae sunt apposita laudantur, illud vero his tutum atque velatum in sua nihilominus foeditate perdurat — —."

Aristoteles igitur mendacem felicitatis formam ostendens de eis quae hominibus videntur bona, re autem vera non sunt, disseruit. Haec, quae apud Stobaeum legimus, de divitiis [1]) maxime dicta sunt; probabile est Aristotelem quoque, sicuti multi alii protrepticorum auctores fecerunt, de ceteris rebus, quibus se homines adepturos felicitatem putant, copiosius dixisse. Fortasse ex protreptico hausit Boethius (de cons. III, 8) ea, quae de illorum bonorum vanitate ‘brevissime’ [2]) profert. Dicit enim III, 8, 4:

‘Quantis vero implicitae malis sint, brevissime monstrabo. quid enim? pecuniamne congregare conabaris? sed eripies habenti: dignitatibus fulgere velis? danti supplicabis et qui

1) Repugnare inter se videntur ea quae Aristotelem de divitiis dixisse Zenon narrat apud Stob. fl. 95, 21 (locum exscripsi p. 236) et quae leguntur in protreptici fragmento apud Stob. fl. 3, 54 (vide p. 268). Sed. cf. quae de hac re exposuit *Diels in Archiv f. Gesch. d. Philos.* I, 4 p. 482 sq., qui rectissime quod apud Zenonem Crates refert, ab Aristotele in prooemio dicta esse suspicatus est.

2) Similia sunt quae συντόμως Pseudoplutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς cap. VIII docet. vide infra.

Digitized by Google

praeire ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces: potentiamne desideras? subiectorum insidiis obnoxius periculis subiacebis: gloriam petas? sed per aspera quaeque distractus securus esse desistis: voluptariam vitam degas? sed quis non spernat atque abiciat vilissimae fragilissimaeque rei corporis servum? iam vero qui bona prae se corporis ferunt, quam exigua quam fragili possessione nituntur! num enim elephantos mole tauros robore superare poteritis, num tigres velocitate praeibitis? Respicite caeli spatium firmitudinem celeritatem et aliquando desinite vilia mirari. quod quidem caelum non his potius est quam sua qua regitur ratione mirandum. Formae vero nitor ut rapidus est ut velox et vernalium florum mutabilitate fugacior? Quodsi, ut Aristoteles ait, Lyncei oculis homines uterentur — — (vide supra p. 250) — igitur te pulchrum videri non tua natura sed oculorum spectantium reddit infirmitas (*ἀσθένεια*, Iambl. pr. VIII p. 134, 11). Sed aestimate quam vultis nimio corporis bona, dum sciatis hoc quodcunque miramini triduanae febris igniculo posse dissolvi.'

Manu tenetur protrepticus in his verbis. Nonnulla ad verbum redeunt in aliis protrepticis, velut apud Galenum, Plutarchum, quod infra apparebit.

Sed iam omissis eis quibus protreptici imaginem magis depravare quam refingere possumus, ea quae magna cum probabilitate Aristotelis libro tribuimus, paucis comprehendamus unumque sub aspectum subiciamus.

Aristotelis protreptico num dialogi nomen recte inditum sit, dubitari potest negaveruntque Hirzelius, Heitzius, Zellerus. Sed esse aliquid dialogi simile in libro, in quo adversarii locuntur ac refelluntur resque antea vituperata defenditur ac laudatur, sponte apparet. Accedit ut protrepticus cum in librorum Aristoteliorum indice apud Laertium Diogenem V, 21 loco duodecimo positus sit, dialogi speciem prae se ferre videatur. Nullus enim dubito quin recte Laertiani indicis naturam perspexerit Bernaysius (p. 131), qui dialogos ad librorum numeros dispositos primo loco enumerari contendit.[1]) Itaque tres

1) Bernaysio assentitur etiam Diels p. 484.

Digitized by Google

fuerunt huius libelli partes: primum adversarii contra philosophiam disputaverunt, deinde hos refutavit Aristoteles ipse (Cic. ad Attic. XIII, 19, 4); tertiam denique partem explevit Aristotelis oratio ad philosophiam exhortativa.

Atque adversariorum gravissimum argumentum, ut supra p. 261 docui, fuit hoc: omnis scientia quae in contemplando posita est, non pertinet ad homines, cum ex omni scientia tantum redundet utilitatis quantum ea ad agendum uti possimus. Divites enim non sumus, si divitias novimus, sed si eis utimur, neque bene vivimus recte cognoscendo, sed recte agendo. Philosophia autem neque ipsa agens est neque ad agendum utilis. Sic mathematicus de geometria disputare quidem scit, agrum metiri nescit. Philosophi igitur ad disputandum quidem et rationibus argumentandum idonei sunt, exercere tamen artes et ad vitae usum adhibere nequeunt. Ergo philosophorum *φιλομάθεια* summis bonis caret, nempe actionibus (Iambl., comm. Pyth. III, p. 216 Vill. Procl. l. c. p. 25, 18).

Negaverunt praeterea adversarii, esse omnino naturae atque eorum quae iusta et utilia sint totiusque veritatis scientiam quam consequi possimus. Optime enim hoc apparere dicebant e philosophiae historia: nam etsi longo ex aevo homines philosophiae operam navarent, minime tamen philosophiam provectam esse, sed cum quisque philosophus reprobatis aliorum sententiis novae disciplinae conditor esse velit, nunquam promoveri hanc scientiam.

Refutationis Aristotelis quae fuerit summa, e commentatorum testimoniis et Hortensii fragmento (19) compertum habemus: frustra dixit Aristoteles adversarios philosophiam spernere, cum is ipse qui utrum philosophandum sit necne quaerat, philosophetur. Deinde philosophiam demonstravit pro scientia habendam esse eamque versari circa animum et naturales res ceteramque veritatem (Iambl. pr. 104—108, 20), hanc autem scientiam summum bonum esse, quod ea duce ad prudentiam veniamus. Philosophia igitur ante omnia appetenda est, cum sit *κτῆσίς τε καὶ χρῆσις σοφίας* (ibid. p. 108—112).

Digitized by Google

✓ Porro Aristoteles adversariis ostendit non eodem semper loco fuisse philosophiam, sed progressus fecisse inter homines quam maximos. Descripsit hoc loco philosophiae *γένεσιν*: ascendisse eam quae hominibus innata sit cogitandi facultatem paulatim ab rebus ad vitae usum necessariis et ab artibus ad voluptatem et cultum inveniendis ad summam rerum contemplationem (Iambl. in comm. Pyth. III p. 218, 27. Procl. p. 29, 1); itaque cum ad hanc contemplativam scientiam homines Thaletis demum temporibus (qui est *ὁ τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας ἀρχηγός*, Metaph. 983^{b} 20) pervenerint, fit ut cognoscendi quidem studium antiquissimum, ea vero scientia quae cognoscendo acquiescat, recentissima appellanda sit. — Recensuit deinde Aristoteles veterum philosophorum doctrinas monstravitque quanta fuerit Socratis vis et auctoritas ad philosophiae studium propagandum (Cic. Tusc. disp. III p. 28, 69. Iambl. comm. Pyth. III p. 218, 27).

Postquam Aristoteles philosophiam etiam ad vitae usum utilissimam esse argumentis comprobavit, scientiam contemplativam per se eligendam esse demonstrare instituit, etiam si ad vitam humanam nihil emolumenti redundet (Iambl. pr. p. 148—152). Hanc sententiam longe gravissimam accurate defendit Aristoteles in exhortatione sua. Ad vivendum, ait, homines vulgares contemplativa scientia fortasse carere possunt: sed qui non qualibet ratione licet miserrima vivere vult, ad philosophiam accedat necesse est. Demonstravit hoc depictā vitae humanae condicione. Res enim humanae plenae sunt nugarum et animus noster, si aeterna contemplatur, ridet humana (Iambl. pr. p. 132 sqq.). Itaque ut fugiamus hominum errores ac vitia, acuendum est illud quod solum in nobis divinum est et immortale, mens quidem et intellegentia.

Philosophandum igitur nobis est, si solutis corporis compedibus caelestem viam ingressi vitam agere volumus in sidere illo cognato, in quo veritatem intuentes summaque ex contemplando gaudia percipientes perpetuā perfruemur cognitione (Iambl. pr. p. 172 sq.).

Digitized by Google

Haec nunc sufficiant de Aristotelis protreptico. Iam pergo recensere philosophos quos scimus in exhortationibus scribendis philosophorum clarissimorum exempla esse secutos: qui etsi multi sunt, de libris tamen eorum paene nihil compertum habemus.

Inter Cynicos protreptici auctor affertur Monimus Syracusanus, Diogenis discipulus, apud Laert. Diog. VI, 83 *γέγραφε δὲ παίγνια σπουδῇ λελῃθυίᾳ μεμιγμένα καὶ περὶ ὁρμῶν δύο καὶ προτρεπτικόν.* Nihil de Monimi libro accepimus.

Peripatetici non pauci in hoc genere tractando versati sunt. Inter quos primum tenet locum Theophrastus, Aristotelis discipulus. In Laert. Diog. catalogi (V, 49) parte tertia inter indices *'περὶ τῆς θείας εὐδαιμονίας πρὸς τοὺς ἐξ Ἀκαδημίας'* et *'πῶς ἄριστ' ἂν πόλις οἰκοῖτο'* legitur *Προτρεπτικός ᾱ.* Repetitur hic titulus in quarta parte, quae ut prima, ad litterarum ordinem est disposita eiusque videtur supplementum esse.[1]) — Testimonium de Theophrasti libro nusquam invenitur neque inter fragmenta est ullum, quod ex protreptico sumptum esse merito conieceris.

Sequitur Chamaeleon Heracleota Ponticus qui et ipse ex Aristotelis disciplina profectus est (Athen. IX, 406. X, 473). Eius protreptici semel Athenaeus mentionem fecit, haec referens (IV, 184[d]):

ἔμελε δὲ τοῖς πάλαι πᾶσιν Ἕλλησι μουσικῆς. διόπερ καὶ ἡ αὐλητικὴ περισπούδαστος ἦν. Χαμαιλέων γοῦν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Προτρεπτικῷ Λακεδαιμονίους φησὶ καὶ Θηβαίους πάντας αὐλεῖν μανθάνειν, Ἡρακλεώτας τε τοὺς ἐν τῷ Πόντῳ καθ' ἑαυτὸν ἔτι, Ἀθηναίων τε τοὺς ἐμφανεστάτους Καλλίαν τε τὸν Ἱππονίκου καὶ Κριτίαν τὸν Καλλαίσχρου.

Chamaeleon igitur, homo liberalium artium et litterarum studiosissimus, in protreptico musicae quoque artis studium commendavit, utpote quod ad hominum animos excolendos et

1) de tabula Theophr. cf. Useneri Analecta Theophr., D. Bonn. 1858.

Digitized by Google

ad humanitatem conformandos multum valeat. Itaque afferens viros inlustrissimos ac de re publica bene meritos horum exemplo quam veneranda sit musica ostendit. Facile igitur in protreptico dixerit Chamaeleon ea, quae Athen. XIII, 623 profert:

Κλεινίας γοῦν ὁ Πυθαγόρειος, ὡς Χαμαιλέων ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ, καὶ τῷ βίῳ καὶ τοῖς ἤθεσι διαφορῶν, εἴ ποτε συνέβαινε χαλεπαίνειν αὐτὸν δι' ὀργήν, ἀναλαμβάνων τὴν λύραν ἐκιθάριζε· πρὸς δὲ τοὺς ἐπιζητοῦντας τὴν αἰτίαν ἔλεγε· πραΰνομαι.

Quatenus igitur ad colendos animos musica apta esset, Chamaeleon eam discipulis suis exercendam in hoc libro proposuit; minime autem e protreptico petita sunt quae de labente musica narravit ex Chamaeleonte Athenaeus (XIV, 628[d]. XIII, 600. IX, 390). Haec enim, quae ad historiam attinent, in libro *περὶ κωμῳδίας* locum tenuerunt multo aptiorem.

Aristo Ceus Peripateticus num protrepticum scripserit, parum constat. Panaetium et Sosicratem si sequimur, ex omnibus libris, quos Laert. Diog. VII, 163 Aristoni Chio Stoico tribuit, quattuor tantum epistulae ad Cleanthem scriptae Stoici fuerunt, reliqui omnes Peripatetici.

Res est difficillima. Panaetii enim de librorum philosophicorum fide iudicium acutum quidem, sed haud raro iniquum fuisse scimus; verumne autem in hac re an falsum sit, explorare nequimus, quod in veterum testimoniis, quibus nitimur, ab antiquissimis temporibus nomina Chius et Ceus (vel Cius, vide Ritschel. Opusc. I, 555 not.) miserrime confusa sunt. Multis etiam locis nomen tantum Aristo legebatur, quibus augebatur perturbatio. Tertium vero accedit, id quod omnium ambiguitatum mihi fons videtur esse. Horum enim philosophorum cum nomina tum ingenia similia sunt. In utroque enim invenitur studium et amor cynicae philosophandi rationis. Aristo Peripateticus appellatur Bionis Borysthenitae *ζηλωτής* a Strabone (X, 5, 6), Aristo Chius Cynicae sectae se imitatorem significat, cum in Cynosarge disseruerit (Laert. Diog. VII, 3, 161). Aristo

Digitized by Google

Ceus composuit dialogum qui inscribebatur Lycon, quem Plutarchus (de aud. poet.1) cum Aesopi fabulis et Heraclidis Pontici libro Ἄβαρις affert [1]); porro Cei ἐρωτικὰ ὅμοια laudantur apud Athenaeum saepius (v. indic.), quae siquidem recte se habet Panaetii et Sosicratis iudicium, apud Laert. Diog. (VII, 163) appellantur ἐρωτικαὶ διατριβαί. Distinguenda sunt [2]) ab his τὰ τοῦ Ἀρίστωνος ὁμοιώματα, a quibus Stobaeus in florilegio Aristonis dicta affert. Has enim similitudines recte Ritschelius [3]) tribuit Stoico, a quo non scriptae, sed ex cuius usu ac ratione a discipulis collectae et editae sunt.

Itaque cum utrumque philosophum in docendi ratione Cynico isto more per comparationes ac similitudines res morales explicandi et definiendi usum esse videamus, fit ut quaestio per se lubrica plane perturbetur verumque sit illud quod vir doctus in Biblioth. phil. Walchii dixit: „*sich um die Theorie der Aristone interessieren, hieſse für oder wider einen Schatten fechten.*“ Ac profecto plane contrariae sunt virorum doctorum de tabula apud Laert. VII, 2, 7 sententiae: Krischius (*Unters.* p. 405) omnes libros Chio tribuit, Hubmannus (in Jahn. annal. suppl. III, 1834) rursus omnes dedit Ceo, neuter vero iudicium suum argumentis satis confirmare potuit. Interim Sauppius (in Philodemi de vitiis libro, ed. Sauppius 1853, p. 6) demonstravit librum ὑπὲρ κενοδοξίας re vera a Peripatetico scriptum esse, Zellerus (II, 2, 925) vero recte monet non omnes libros eo loco a Laertio laudatos a Peripatetico scriptos esse posse.

Mitto has quaestiones, inutiles illas ad rem nostram. Libri Stoici et Peripatetici ab antiquis scriptoribus confusi sunt sive quod nomina permutata erant sive quod horum philosophorum libri eodem titulo inscripti circumferebantur: inter quos protrepticus fortasse fuit. Nam quod Krischius Aristonis protrepticum cum aliorum Stoicorum protrepticis composuit, ut eum a Stoico scriptum esse doceret, poterat vir doctus etiam Peripateticos protrepticorum scriptores

1) Ritschelii Opusc. I p. 551—559.
2) Hirzel, *Unters.* II, 1 p. 31 not. 2.
3) Ritschel, l. c. p. 558.

Digitized by Google

nominare. Perverse autem de hac re disseruit Hubmannus (l. c. § 10), qui ut Aristonem Chium protrepticum non scripsisse probaret, hunc Senecae locum attulit, qui est in Epist. 89, 13:

„Ariston Chius non tantum supervacuas esse dixit naturalem et rationalem (sc. partem philosophiae), sed etiam contrarias. Moralem quoque, quam solam reliquerat, circumcidit: nam eum locum, qui monitiones continet, sustulit et paedagogi esse dixit, non philosophi." Eodem fonte usus Sext. Emp. adv. math. VII, 12:

Ἀρίστων ὁ Χῖος οὐ μόνον, ὥς φασι, παρῃτεῖτο τήν τε φυσικὴν καὶ λογικὴν θεωρίαν διὰ τὸ ἀνωφελὲς καὶ πρὸς κακοῦ τοῖς φιλοσόφοις ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἠθικοῦ τόπου τινὰς συμπεριέγραψε καθάπερ τόν τε παραινετικὸν καὶ τὸν ὑποθετικὸν τόπον· τούτους γὰρ εἰς τίτθας ἂν καὶ παιδαγωγοὺς πίπτειν.

Contempsit igitur Ariston, ut ait Seneca in ep. 94 init., praeceptivam partem philosophiae, id est monitoris singula praecepta (ep. 94, 8) 'sic incede, sic coena, hoc viro, hoc feminae, hoc marito, hoc caelibi convenit', nec vero universam ad philosophiam exhortationem sprevit (cf. ep. 94, 21 extr.): immo tantam exhortationibus vim attribuit, ut earum ope singula praecepta supervacanea fieri existimaret. Hanc ob causam orationem exhortatoriam summopere ab Aristone excultam esse persuasum habeo.[1]) Ipse ad virtutem incitare tantum philosophi esse statuit, ut exclamaret: *ὤφελεν καὶ τὰ θηρία λόγων συνιέναι κινητικῶν πρὸς ἀρετήν* (Plutarch. II p. 948, 28 Duebn.). Virum autem ad exhortandum maxime idoneum fuisse ob dicendi vim et eloquentiae dulcedinem e veterum testimoniis discimus, qui Aristonem laudant *πειστικὸν ἄνδρα* (Laert. Diog. VII, 161. Aelian. v. h. III, 33) eique cognomen *Σειρήν* indiderunt. Non igitur dubito quin Aristo Stoicus protreptici fuerit auctor. Accedit quod Stoici inter ceteros philosophos in hoc litterarum genere excelluerunt.

---

1) quasnam res Aristo in exhortatione sua tractaverit, optime colliges e Senecae loco in ep. 94, 7 et 8, quae verba Aristonis sunt.

Digitized by Google

Atque inter Zenonis quidem scripta protrepticus non invenitur, Persaei autem Cittiei, Zenonis auditoris, memorantur *προτρεπτικοί* apud Laert. Diog. VII, 36. Persaeus Halyconea, Antigoni filium, erudivit; cui fortasse protrepticos dedicavit.

Nihil deinde scimus de Cleanthis Assii protreptico, quem inter eius ethica scripta laudat Laert. Diog. VII, 174. Utebatur Cleanthes oratione figuris crebra ac distincta multisque poetarum locis ornata (Sext. Emp. adv. math. III, 9. Cic. de fin. II, 69), quare libri eius *βιβλία κάλλιστα* apud Diogenem (VII, 178) appellantur. De paraenetica philosophiae parte mitius iudicavit quam Aristo, ut ait Seneca in ep. 94,4 (fragm. eth. 20 Wachsm.): 'Cleanthes utilem quidem iudicat et hanc partem, sed imbecillam, nisi ab universo fluit, nisi decreta ipsa philosophiae et capita cognovit.' Virtutem doceri posse in protreptico explicavit, si quidem hoc concludere licet ex Diogenis verbis VII, 91: *διδακτήν τε εἶναι αὐτήν, λέγω τὴν ἀρετήν, καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τέλους φησὶ καὶ Κλεάνθης καὶ Ποσειδώνιος ἐν τοῖς προτρεπτικοῖς καὶ Ἑκάτων.* — Ex ethicis fragmentis nullum ausim protreptico vindicare, cum plurima ita comparata sint, ut compluribus libris possint assignari.

In Cleanthis locum successit Chrysippus, qui ut omnes philosophiae locos tractavit, sic in protrepticorum genere munus suum praestitit. Quinquies enim apud Plutarchum libri Chrysippei laudantur qui protrepticorum naturam ostendunt, quanquam titulum genuinum nescimus. Plutarchus libros hoc modo citavit: Chrysippus *ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τοῦ προτρέπεσθαι* (de comm. not. 5 = 1297, 30 Duebn. de Stoic. rep. 30=1282, 15), *ἐν τοῖς περὶ τοῦ προτρέπεσθαι* (de Stoic. rep. 14 = 1271, 23), contra *τῶν προτρεπτικῶν* liber primus et tertius nominatur (ibid. 17 = 1274, 13 sq.) et *ἐν τῷ τῶν προτρεπτικῶν* dicit (ibid. 22 = 1278, 10), ubi libri numerum per errorem excidisse manifestum est.

Chrysippus igitur duo opera confecit, unum *περὶ τοῦ προτρέπεσθαι*, alterum quod inscribebatur *προτρεπτικοί*; in

Digitized by Google

priore de arte cohortandi disseruit, in altero exemplum protreptici dedit.

Quae Plutarchus e libris *περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι* affert, haec sunt: De Stoic. rep. 14 = 1271, 21:

πολλαχοῦ μὲν τοιοῦτός ἐστιν (sc. *ὁ Χρύσιππος*)· *ἐν δὲ ταῖς πρὸς ἑτέρους ἀντιλογίαις ἥκιστα φροντίζει τοῦ μηδὲν εἰπεῖν ἐναντίον ἑαυτῷ καὶ διάφωνον. Ἐν γοῦν τοῖς περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι, τοῦ Πλάτωνος ἐπιλαμβανόμενος λέγοντος, ὅτι τῷ μηδὲ μαθόντι μηδ' ἐπισταμένῳ ζῆν, λυσιτελεῖ μὴ ζῆν, ταῦτ' εἴρηκε κατὰ λέξιν·*

'ὁ γὰρ τοιοῦτος λόγος καὶ ἑαυτῷ μάχεται καὶ ἥκιστά ἐστι προτρεπτικός. Πρῶτον γὰρ παραδεικνύων ὅτι κράτιστον ἡμῖν ἐστι τὸ μὴ ζῆν, καὶ τρόπον τινὰ ἀποθνήσκειν ἀξιῶν, πρὸς ἕτερά τινα μᾶλλον ἡμᾶς προτρέψεται ἢ τὸ φιλοσοφεῖν. οὐ γάρ ἐστι μὴ ζῶντα φιλοσοφεῖν, οὐδὲ μὴ πολὺν χρόνον ἐπιζήσαντα κακῶς καὶ ἀπείρως, φρόνιμον γενέσθαι'. καὶ παρελθὼν δέ φησιν ὅτι 'καὶ τοῖς φαύλοις καθήκει μένειν ἐν τῷ ζῆν'. καὶ εἶτα κατὰ λέξιν 'πρῶτον γὰρ ἡ ἀρετὴ ψιλῶς οὐδέν ἐστι πρὸς τὸ ζῆν ἡμᾶς, οὕτω δ' οὐδ' ἡ κακία οὐδέν ἐστι πρὸς τὸ δεῖν ἡμᾶς ἀπιέναι.' [1])

Ex hoc fragmento apparet Chrysippum in libris *περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι* de Platonis exhortandi arte indicasse. Quae enim contra Platonem hoc loco protulit, ad protrepticum pertinent, quem Plato in Euthydemo praebuit. In Euthydemo (281 $^{b-c}$) enim Socrates Cliniae demonstrat nullam rem bonum appellari posse qua uti nesciamus eisque nos melius rebus carere, quibus perverse utamur (281 ^{d} 289 $^{a-b}$), qua ex ratione effici cogique potest ut, qui vita uti nesciat, melius non vivat. Atque haec est eadem argumentatio quam adhibuit Clitophon Socratis protrepticam orationem imitans (408): *καὶ τελευτῷ δὴ καλῶς ὁ λόγος οὑτός σοι, ὡς ὅστις ψυχῇ μὴ*

1) Cf. de Stoic. rep. 18, 1, ubi Chrysippus haec dicit: *λυσιτελεῖ ζῆν ἄφρονα μᾶλλον ἢ μὴ βιοῦν κἂν μηδέποτε μέλλῃ φρονήσειν.* Hanc sententiam Chrysippum protulisse in *περὶ φύσεως* libr. III, efficitur ex alio Plut. loco, de comm. not. 12, 4 (= 1302, 25). Cf. etiam ibid. 11, 8.

Digitized by Google

ἐπίσταται χρῆσθαι, τούτῳ τὸ ἄγειν ἡσυχίαν τῇ ψυχῇ καὶ μὴ ζῆν κρεῖττον ἢ ζῆν πράττοντι καθ' αὑτόν.

Hoc igitur Platonis Chrysippus dicit minime esse *προτρεπτικόν*. Sed pugnantia in libris suis proposuit, si Plutarchum audiamus, qui hoc modo pergit:

Καὶ μὴν οὐχ ἕτερα δεῖ βιβλία διειλῆσαι τοῦ Χρυσίππου τὴν πρὸς αὐτὸν ἐνδεικνυμένου μάχην· ἀλλ' ἐν αὐτοῖς τούτοις ποτὲ μὲν τοῦ 'Αντισθένους ἐπαινῶν προφέρεται τὸ 'Δεῖν κτᾶσθαι νοῦν ἢ βρόχον'. καὶ τοῦ Τυρταίου τὸ 'Πρὶν ἀρετῆς πελάσαι τέρμασιν, ἢ θανάτου'. καίτοι τί ταῦτα βούλεται δηλοῦν ἄλλο, πλὴν ὅτι τὸ μὴ ζῆν λυσιτελέστερόν ἐστι τοῦ ζῆν τοῖς κακοῖς καὶ ἀνοήτοις; ποτὲ δὲ τὸν Θέογνιν (175 sq.) *ἐπανορθούμενος 'οὐκ ἔδει', φησὶν, 'εἰπεῖν'· χρὴ πενίαν φεύγοντα μᾶλλον δὲ· ''χρὴ κακίαν φεύγοντα, καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον ῥίπτειν καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἰλιβάτων''.*

Eandem Chrysippi discrepantiam Plutarchus tractavit de comm. not. 22, 8 (1308, 23 Duebn.): *τὸν τοίνυν Θέογνιν αὐτοὶ παντελῶς ἀγεννῆ καὶ μικρὸν ἡγοῦνται, λέγοντα· χρὴ πενίην κτέ — οὕτως ἀποδειλῶντα πρὸς τὴν πενίαν ἀδιάφορον οὖσαν· ἀλλ' αἱτοί γε ταὐτὰ πεζῷ λόγῳ παρακελεύονται, καὶ λέγουσιν ὅτι χρὴ νόσον φεύγοντα μεγάλην καὶ ἀλγηδόνα σύντονον, ἐὰν μὴ παρῇ ξίφος ἢ κώνειον, εἰς θάλατταν ἀφεῖναι καὶ κατὰ πετρῶν ῥίπτειν ἑαυτόν. ὧν οὐδέτερον βλαβερὸν οὐδὲ κακὸν οὐδ' ἀσύμφορόν ἐστιν, οὐδὲ κακοδαίμονας ποιεῖ τοὺς περιπίπτοντας.*

Reliqua, quae ex his libris Plutarchus affert, pertinent ad Stoicorum *προηγμένα*, de quibus alia in libris *περὶ Ἀγαθῶν* alia in primo libro *περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι* Chrysippum exponere Plutarchus contendit. Audi ipsum:

de Stoic. rep. 30, 5: *'οὐδὲν εἶναί φησι (ὁ Χρ.) τούτων* (sc. *τῶν προηγμένων*) *καθόλου πρὸς ἡμᾶς ἀλλ' ἀποσπᾶν τὸν λόγον ἡμᾶς καὶ ἀποστρέφειν ἁπάντων τῶν τοιούτων'. Ταῦτα γὰρ ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι γέγραφεν.*

In eodem libro de summo bono haec dixit: de comm. not. 5, 2 (1297, 29): *'ἐν τῷ κατ' ἀρετὴν βιοῦν μόνον ἐστὶ τὸ*

Digitized by Google

εὐδαιμόνως, τῶν ἄλλων, φησὶν, οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς οὐδ' εἰς τοῦτο συνεργούντων'.

Simili modo Plutarchus ex protrepticis locos composuit quos inter se repugnare dicit. De Stoic. rep. 17, 2 (= 1274, 14) Chrysippum vituperat quod in tertio libro *τῶν Προτρεπτικῶν, τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακιῶν λόγον, ὃν αὐτὸς εἰσάγει καὶ δοκιμάζει 'συμφωνότατον εἶναί φησι τῷ βίῳ καὶ μάλιστα τῶν ἐμφύτων ἅπτεσθαι προλήψεων'. Ταυτὶ γὰρ ἐν τῷ τρίτῳ τῶν Προτρεπτικῶν εἴρηκεν. Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ 'τοῦτον τὸν λόγον, φησὶν, ἀπὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀφέλκειν τὸν ἄνθρωπον, ὡς οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς οὐδὲ συνεργούντων πρὸς εὐδαιμονίαν οἰδέν'.*

In protrepticis etiam haec dixit Chrysippus, teste Plutarcho de Stoic. rep. 22 (1278, 10): *καὶ τὸ μητράσιν ἢ θυγατράσιν ἢ ἀδελφαῖς συγγενέσθαι, καὶ τὸ φαγεῖν τι, καὶ προελθεῖν ἀπὸ λεχοῦς ἢ θανάτου πρὸς ἱερὸν διαβέβληται· καὶ πρὸς τὰ θηρία φησὶ δεῖν ἀποβλέπειν καὶ τοῖς ὑπ' ἐκείνων γενομένοις τεκμαίρεσθαι τὸ μηδὲν ἄτοπον μηδὲ παρὰ φύσιν εἶναι τῶν τοιούτων· εὐκαίρως γὰρ πρὸς ταῦτα γίνεσθαι τὰς τῶν ἄλλων ζῴων παραθέσεις, εἰς τὸ μήτε συγγινόμενα μήτε γεννῶντα μητ' ἐπαποθνήσκοντα ἐν τοῖς ἱεροῖς μιαίνειν τὸ θεῖον'.*[1])

Chrysippi libros similes inter se fuisse elucet, si comparas locos Plutarchi 1297, 29. 1282, 12. 1274, 10. Quod complures et diversos libros protrepticos composuit, non admodum mirum in hoc philosopho, de quo Galenus (V p. 214 K.): *Χρυσίππῳ μὲν γὰρ καὶ τοῦτο φίλον, οὐ δὶς ἢ τρὶς, ἀλλὰ καὶ τετράκις ἐνίοτε καὶ πεντάκις ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐν διαφερούσαις πραγματείαις διέρχεσθαι* (cf. Laert. Diog. X, 27).

Unum certe ex his fragmentis discimus: Chrysippum etiam in protrepticis eundem se auctorem praebuisse qualem e reliquis eius libris novimus. Ne igitur putemus Chrysippum in exhortationibus orationis quadam dulcedine vel vivida et artificiosa exhortandi ratione animos adolescentium permovisse,

1) de his verbis cf. Zellerum, *hist. phil. Gr.* III, 1, 281.

Digitized by Google

immo demonstrandi refutandi opponendi occasionem acutum ingenium etiam his in libris praestitit. Chrysippus cum immensam rerum tractandarum molem sibi proposuisset et admirabili laboris assiduitate multis libris Zenonis et Cleanthis doctrinam ab illis imperfecte acceptam firmare, emendare, contra adversariorum vituperationes defendere conatus esset, non potuit pari modo philosophiae adferre orationis concinnitatem atque elegantiam. Accedebat quod Chrysippi temporibus magnae inter Academicos et Stoicos exortae erant discordiae, cum Carneades acerrima disputandi dexteritate et ingenii acumine praeditus, Stoicorum disciplinam plane evertere studeret: nec minus inter Chrysippum et Epicurum magnae intercedebant concertationes, quas ob res Chrysippi oratio semper pugnax videtur fuisse et quasi bellatoria. Si igitur Chrysippus eo dicendi genere, quod descripsit Cicero [1]) de orat. III, 18, in his quoque libris usus est, protrepticos eius longe a propria sua natura atque indole remotos fuisse putabimus.

Supra dixi concertationes intercessisse inter Chrysippum et Epicurum. Apud Laert. Diog. X, 26 hoc legimus: *ἐζήλου δ' αὐτὸν* (sc. Epicurum) *Χρύσιππος ἐν πολυγραφίᾳ, καθά φησι καὶ Καρνεάδης, παράσιτον αὐτὸν τῶν βιβλίων ἀναπαλῶν.* Memorabile hoc videtur, quod etiam protreptici exemplum Epicurus edidit (Laert. Diog. X. 27). Nihil quidem de eo compertum habemus. Ut tamen quo modo Epicurus ad philosophiam exhortatus sit, cogitare possimus, locos nonnullos ex epistula ad Menoeceum data proponam, qui ad protreptici naturam proxime accedunt.

Laert. Diog. X, 122 (Usener Epicur. p. 59): *Μήτε νέος τις ὢν μελλέτω φιλοσοφεῖν, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω φιλοσοφῶν. οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν οὔτε πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον. ὁ δὲ λέγων μήπω τοῦ φιλοσοφεῖν ὑπάρχειν ἢ παρεληλυθέναι τὴν ὥραν ὅμοιός ἐστι τῷ λέγοντι*

1) Cicero de orat. III, 18: Stoici orationum genus habent fortasse subtile, certe acutum: sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum, ac totum eiusmodi quo uti ad vulgus nullo modo possis.

Digitized by Google

πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ μήπω παρεῖναι τὴν ὥραν ἢ μηκέτ' εἶναι. ὥστε φιλοσοφητέον καὶ νέῳ καὶ γέροντι. κ. τ. λ.

Ibidem 132 (Usener p. 64). *Οὐ γὰρ πότοι καὶ κῶμοι συνείροντες οὐδ' ἀπόλαυσις παίδων καὶ γυναικῶν καὶ ἰχθύων καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα φέρει πολυτελὴς τράπεζα, τὸν ἡδὺν γεννᾷ βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμὸς καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς καὶ τὰς δόξας ἐξελαύνων, ἐξ ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος. Τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν φρόνησις. διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις, ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πᾶσαι πεφύκασιν ἀρεταί κ. τ. λ.*

Memorabile est etiam fragmentum (116 apud Usenerum) epistulae ad Anaxarchum missae: *ἐγὼ δ' ἐφ' ἡδονὰς συνεχεῖς παραχαλῶ, καὶ οὐκ ἐπ' ἀρετὰς κενὰς καὶ ματαίας καὶ ταραχώδεις, ἐχούσας τῶν καρπῶν τὰς ἐλπίδας.*

Pervenimus ad Posidonii protrepticos. Posidonii praeceptor Panaetius primus relicta veterum Stoicorum sentiendi asperitate et loquendi acerbitate in scribendo popularem quandam elegantiam amplexus est, qua philosophiam ex eruditorum umbraculis ad solem produxit. Amplificatis igitur paulo Stoicae rationis finibus adiit in disserendo ad Socratis et Platonis venustatem illamque suavitatem, qua Academici et Peripatetici florebant (Cic. de fin. IV, 28 de off. II, 10). Ac multo magis Posidonius qua erat multiplici variaque doctrina, conciliandis philosophorum placitis indulsit missisque Stoicorum paradoxis philosophiam ad vitam hominumque usum fructuosam reddere studuit.

Ex his, quae dixi, facile intellegitur Posidonium in ea philosophiae parte, quae est de moribus, non neglexisse *τὸν παραινετικὸν τόπον*. Audivimus severiores Stoicos, velut Aristonem, eum locum qui monitiones contineat, sustulisse, Cleanthem imbecillam hanc partem iudicasse, nisi decreta philosophiae cum ea coniuncta essent: Posidonius vero longum ei spatium concessit. Seneca in epist. 95, 65 de hac re haec habet:

Digitized by Google

'Posidonius non tantum praeceptionem — nihil enim nos hoc verbo uti prohibet — sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam indicat'.

Quid significent notiones praeceptio, suasio, consolatio, exhortatio, breviter illustrandum est. Praeceptio est is „locus qui monitiones continet" (Seneca epist. 89, 13) vel ὁ παραινετικός, quod Seneca ipse dicit in epist. 95, 1.

Distinguitur altera pars quae appellatur 'suasio', graece ὁ ὑποθετικός, id est (Seneca epist. 94, 1) ea pars philosophiae, quae dat propria cuique personae praecepta. Deinde Graecorum παραμυθητικός minus recte apud Senecam vertitur consolatio (Seneca epist. 39, 49. 94, 21. 95, 34. 65 et saepius). Quid enim Graecis philosophis sit ὁ παραμυθητικός, cognoscitur ex Eudori definitione apud Stobaeum in Ecl. II p. 44 Wachsm. 'ὁ παραμυθητικὸς ὁ περὶ τῶν ἀλλοτριούντων ἀπό τινων πράξεων'. Itaque rectius Seneca in epist. 94, 39 τὸν παραμυθητικόν interpretatus est 'consolationes dissuasionesque'.[1]) — Denique exhortatio est ὁ προτρεπτικὸς λόγος, quem ne Aristo quidem reicere ausus est, ut supra demonstravi (p. 276).

Posidonius igitur cum protreptico locum concederet in philosophiae parte morali, ipse Προτρεπτικούς scripsit teste Laertio Diogene (VII, 54, 91), quo loco eum in protrepticis virtutem doceri posse explicasse Diogenes narrat. Idem alio loco (VII, 66, 129) de his libris haec habet: Δοκεῖ δ' αὐτοῖς (sc. τοῖς Στωικοῖς) μήτε διὰ τὴν διαφωνίαν ἀφίστασθαι φιλοσοφίας, ἐπεὶ τῷ λόγῳ τούτῳ προλήψειν ὅλον τὸν βίον, ὡς καὶ Ποσειδώνιός φησιν ἐν τοῖς Προτρεπτικοῖς. Habemus sententiam vere protrepticam! Minime enim haec ad solam Scepticorum διαφωνίαν (Laert. Diog. IX, 88. Sext. Emp. Hypot. I, 165), sed omnino ad philosophorum dissensiones pertinet, quibus ne quis deterreatur quominus ad philosophiam accedat, Posidonius monet.

Sed percommode accidit quod, cum Seneca in epistula 90. Posidonii protrepticum tractaverit, accuratius illorum librorum

1) de hac re disseruit Bernays. de Philonis Hypotheticis; *Abhandlungen* I p. 268 adnot.

Digitized by Google

naturam et argumentum cognoscere nobis licet. Nam etsi Seneca eo loco libri titulum e quo Posidonii sententias affert, non nominavit, ne minima quidem dubitatio est, quin de protreptico Senecam verba facere Bakius[1]) recte coniecerit.

Posidonius igitur in protreptico philosophiam laudavit artium inventricem, quae quibus vita cotidiana utitur hominibus comparavit. Quo enim modo vita hominum singulis aetatibus exculta fuerit, quae morum mutationes inter homines exstiterint, breviter descripsit eo modo, ut quae philosophiae erga homines beneficia essent et quantam eis utilitatem attulisset, uno in conspectu omnes viderent.

Persequamur Posidonii sententias quantum ex Senecae epistula elici possunt.

Aurea aetate, ait, homines cum naturam incorrupti sequerentur, melioris arbitrio se commiserunt, penes sapientes igitur regnum fuit. (§ 5) „Hi continebant manus et infirmiorem a validioribus tuebantur. suadebant dissuadebantque et utilia atque inutilia monstrabant. horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat. fortitudo pericula arcebat. beneficentia augebat ornabatque subiectos. officium erat imperare, non regnum. nemo quantum posset, adversus eos experiebatur, per quos coeperat posse, nec erat cuiquam aut animus in iniuriam aut causa, cum bene imperanti bene pareretur nihilque rex maius minari male parentibus posset, quam ut abirent e regno.“ Postquam deinde in vitia delapsi homines regnaque in tyrannidem conversa sunt, sapientes invenerunt leges. Itaque Solon in septem illius aevi sapientium numero habebatur et Lycurgus si eadem aetas tulisset, illi numero accessisset octavus. —

Hactenus Seneca Posidonio adsentitur. Sed longius progreditur Posidonius. Dicit enim philosophiam etiam instrumentorum ad cotidianum usum necessariorum fuisse opificem artiumque vilissimarum inventricem. Delectavit scilicet magnum virum multis litteris variisque eruditionibus ornatum, de hominum instrumentis, quibus in vita utuntur, paulo fusius dicere

1) Bakius, de Posidonio Rhodio p. 33.

Digitized by Google

quam necesse erat. Itaque accuratius exposuit philosophiam docuisse tecta moliri, sapientes excogitavisse ferramenta fabrilia, eosdem invenisse ferri metalla et aerea, corporum tegumenta fomentaque, artem texendi et arandi et coquendi, alias permultas res, quas enumerare longum est.

Pergit Seneca (§ 25): 'Omnia', inquit (sc. Posidonius), 'haec sapiens quidem invenit: sed minora, quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit'. Inferioris igitur sapientiae quasi fructus haec inventa Posidonius dixit. Adde quae in § 30 leguntur: Non abduxit, inquam, se, ut Posidonio videtur, ab istis artibus sapiens, sed ad illas omnino non venit.

Iam credo apparere quid sibi voluerit Posidonius, cum has res in protreptico tractaret. Posidonius sapientiam et philosophiam idem esse dixerat ob eamque causam utramque eodem tempore apud homines coortam esse statuit. Nec vero Posidonius philosophiam procedente tempore paulatim adolevisse et magis magisque ab hominibus excultam esse negavit, immo ipsum hoc demonstrare conatus est, quod e §§ 25 et 30 recte efficitur.[1]) Scientia enim illa philosophica quam dii ipsi hominibus tribuerunt (Seneca, l. c. § 1), primum quidem artes excogitavit, deinde inventis instrumentis quibus homines uterentur ut vitam excolerent, ad difficiliora et altiora progressa est.

Iam conferas cum hac Posidonii argumentatione ea quae Aristoteles in protreptico exposuit testibus Iambl. comm. Pyth. III, 218, 27 et Proclo in Eucl. p. 29, 1 (supra p. 266 sq.): et inter hos protrepticos necessitudinem intercedere senties. Aristoteles enim in libro suo philosophandi quasi infimum gradum significaverat ingenii illam vim, quae res necessarias ex-

1) Corrigendus igitur est Hirzelius, *Unters.* III p. 347, 3, qui cum fragmenta illa Aristotelis protreptici non nosset, rem non perspexit. Ceterum ne Seneca quidem philosophiae initia et incrementa esse negavit: hoc tantum cognoscendi studium, quod hominibus insitum est, negat unquam instrumentorum ad usus necessarios fuisse opificem (cf. apud Senecam l. c. § 25).

Digitized by Google

cogitavit et invenit, ex qua paulatim ad veritatem contemplandam philosophia ascendit. Eundem autem sapientiae finem a Posidonio statutum esse, optime e Clementis Alexandrini verbis elucet hisce (in Strom. II, 416):

ἐπὶ πᾶσί τε ὁ Ποσειδώνιος (sc. *τὸ τέλος εἶναι ἔφη*) *τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν καὶ συγκατασκευάζοντα αὐτὸν κατὰ τὸ δυνατόν, κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς.*

In protreptico igitur maxime puto apparuisse *τὸ ἀριστοτελίζον* quod in Posidonii libris invenit Strabo (III p. 104). Atque haec sententia, quae sponte se offert, aliis argumentis confirmatur.

Posidonius in protreptico, sicuti res tulit, philosophiam summis laudibus extulit; dixit *προλήψειν ὅλον τὸν βίον*, si recedamus a philosophia: omne igitur ingenium ad philosophiae gloriam laudemque adhibuit. Ciceroni adrisisse has philosophiae laudes orationis quadam altitudine prolatas, facile credimus: easdem a Cicerone in suum usum conversas esse etiam demonstrabimus. Cicero enim in libris suis philosophicis et maxime in Tusculanis disputationibus nonnullis locis occasione oblata inseruit laudationes philosophiae, haud apte saepius illas in sententiarum ordinem inclusas, sed ab auctore ut videtur studio et amore adspersas. Qui loci omnes ita sunt comparati, ut Ciceronem eos e Posidonii protreptico petivisse pro certo affirmari possit. Velut quae legitur philosophiae laus in Tuscul. disp. I, 25, 61—64, plane ad eandem redit argumentationem, qua accuratius explanata et illustrata Posidonius usus est Seneca teste in epist. 90, 7 sqq. Sed longius progredi licet. Neque enim Cicero tantum et Posidonius consentiunt, sed tertius accedit Aristoteles (Procl. in Eucl. p. 29, 1; Iambl. comm. Pythag. III, p. 218, 27. 218, 41). Locos igitur exstare dicimus, in quibus et Aristotelis et Posidonii protreptici cum Ciceronis philosophiae laudibus, quas libris suis sparsim inseruit, optime conveniunt.

Digitized by Google

Exempla proponam.

Cicero in Tusc. I, 61 sqq.	Posid. apud Senec. ep. 90, 7.	Aristoteles Procl. p. 29, 1.
Quid? illa vis, quae tandem est — — — Omnes magni; etiam superiores, qui fruges, qui vestitum, qui tectа, qui cultum vitae, qui praesidia contra feras invenerunt: a quibus mansuefacti et exculti, a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam et auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate et natura sonorum.	illa (philosophia) — — docuit tecta moliri ... textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam etc. ib. 90, 25. 'omnia' inquit (Posidon.) 'haec sapiens quidem invenit, sed minora quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit'.	*καὶ γὰρ ὅλως παυσάμενοι τῆς περὶ τὰ ἀναγκαῖα φροντίδος οἱ ἄνθρωποι περὶ τὴν ζήτησιν ἐτράποντο τῶν μαθημάτων.* Iambl. comm. Pyth. III p. 218, 27. *μετὰ γὰρ τὴν φθορὰν καὶ τὸν κατακλυσμὸν τὰ περὶ τὴν τροφὴν — — εὐπορώτεροι δὲ γενόμενοι τὰς πρὸς ἡδονὴν ἐξειργάσαντο τέχνας, οἷον μουσικὴν καὶ τὰς τοιαύτας, πλεονάσαντες δὲ τῶν ἀναγκαίων οὕτως ἐπεχείρησαν φιλοσοφεῖν.*

Ex Posidonii protreptico haustum est Tusc. disp. libri quinti prooemium (Tusc. disp. V, 2, 5).

	Cf. Laert. Diog. VII, 66, 129.
O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuissent?	*δοκεῖ δ' αὐτοῖς μήτε διὰ τὴν διαφωνίαν ἀφίστασθαι φιλοσοφίας, ἐπεὶ τῷ λόγῳ τούτῳ προλείψειν ὅλον τὸν βίον, ὡς καὶ Ποσειδώνιός φησιν ἐν τοῖς προτρεπτικοῖς.*

(Tusc. disp. V, 2, 5).	Cf. ibid. I, 25, 62 (e protreptico.)	
Tu urbes peperisti: tu dissipatos ho-	— — aut qui dissipatos ho-	Seneca in ep. 90, 3 (Posidonium se-

Digitized by Google

mines in societatem vitae convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti — —

mines congregavit et ad societatem vitae convocavit? aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit?

I, 26, 64. — — haec (phil.) nos primum ad illorum (deorum) cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit.

quens): Huius (philosophiae) opus unum est de divinis humanisque verum invenire. ab hac nunquam recedit religio, iustitia, pietas et omnis alius comitatus virtutum consertarum et inter se cohaerentium. Haec docuit colere divina, humana diligere et penes deos imperium esse, inter homines consortium.

Pergit:

Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.

(V, 2, 6) At philosophia quidem tantum abest, ut proinde, ac de hominum est vita merita, laudetur, ut a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam

Posidon. apud Senec. epist. 78, 28:

— ut Posidonius ait ‘unus dies hominum eruditorum plus patet quam imperitis longissima aetas.

Digitized by Google

vitae parentem, et hoc parricidio se inquinare audet? — — Sed, ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt, nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur.

Id ipsum Posidonius in protreptico demonstrare conatus est: philosophos fuisse, a quibus vita hominum primis instructa sit! Senecae epist. 90.

(Tuscul. disp. V, 3, 7).

Posidonius.

Aristoteles (apud Iambl. in comm. Pyth. III p. 218, 27).

Quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen esse confitemur recens. Nam sapientiam quidem ipsam, quis negare potest, non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? — —

Idem contendit Posidonius, cf. quae exposui p. 285 extr.

νεώτατον οὖν ὁμολογουμένως ἐστὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἡ περὶ τὴν ἀλήθειαν ἀκριβολογία.

ibid. — — ἀλλ' ὅμως ἐπιδίδωσι πλεῖον, διότι τῇ φύσει ἐστὶ πρεσβύτατα.

Itaque et illos septem, qui a Graecis *σοφοί*, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante seculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ... traditur — — accepimus — — habitos esse sapientes.

De septem sapientibus Posidonius eodem modo disserit apud Senecam epist. 90, 5—6. Cf. § 6: Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accessisset octavus.

Secundum Posidonii protrepticum a Cicerone scripta est sapientiae laus quae legitur de legibus I, 22.

Digitized by Google

Cf. de legg. I, 23. nam cum animus... exacuerit illam ut oculorum sic ingenii aciem, ad bona diligenda et reicienda contraria — quae virtus ex providendo est appellata prudentia.	Posid. Senec. 90, 5. horum (sc. sapientium) prudentia, ne quid deesset suis, providebat.	Hortensii fr. 21. id enim est sapientis providere, ex quo sapientia est appellata prudentia.

Posidonii protreptico nititur Cicero in Tusc. disp. V, 24, 68, ubi gaudia commemorantur, quae percipit, qui omnes philosophiae partes, physicam dico, ethicam, dialecticam mente sua comprehendit iisque plene satisfacit.

Omnibus his locis non ad verbum Posidonii protrepticum Ciceronem exscripsisse apparet: alios enim fontes adiit Cicero cum Tusculanas disputationes [1]), cum de legibus libros conficeret, sed occasione data, ut dixi, laudandae philosophiae studio incensus sententias Posidonii e protreptico petitas, quae in memoria haeserint, libris suis inseruit. Ac profecto locos illos, quos protreptico tribuimus, alio ex fonte a Cicerone additos esse, ex ea quoque re perspicitur, quod dissipati fere sunt et sententiarum ordo eis non continetur. Quod de philosophiae laude, quae est in Tusc. disp. I, 25, 61 sqq., Hirzelius (l. c. III, 346, 1) optime demonstravit. Eodem modo laus philosophiae in quinto Tusculanarum disp. libro prooemii loco est et ob hanc rem cum ea quae sequitur explicatione non arte cohaeret. Idem valet de reliquis locis. Probabile mihi videtur, plures locos ita comparatos ad Posidonii protrepticos

---

1) Minime igitur Corsseno (de Posidonio Rhodio, Bonn. 1878. Mus. Rhen. XXXVI, 506 sqq.) adsentior, qui Tusc. disp. libr. I totum ex Posidonii libro haustum esse dixit, cf. Hirzel, *Unters.* III, 349, 1. Neque magis Usenerum laudo qui (in Epic. p. LVII) Tusc. disp. caput quod legitur V, 24, 68—29, 82, e Posidonii protreptico petitum esse dicit. Haec et similia qui statuunt, quas res et quomodo veteres tractaverint in protrepticis, se ignorare confitentur.

Digitized by Google

referendos esse, velut in Tusc. disp. I, 27, 66, postquam Cicero animi naturam aeternam et divinam esse demonstravit, sequitur in §§ 68—70 haec expositio:

Ut, cum videmus speciem primum candoremque caeli, deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum ac noctium, commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem; lunamque accretione et deminutione luminis quasi fastorum notis signantem dies; tum in eodem orbe, in duodecim partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime servantes, disparibus inter se motibus; nocturnamque caeli formam undique sideribus ornatam: tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco — —, ceteras partes incultas — tum multitudinem pecudum — —, hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli ac deorum, ipsorumque cultorem; atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia — (70) haec igitur et alia innumerabilia cum cernimus — et q. seq.

In his non solum Stoicorum doctrina cognoscitur, sed etiam argumentum quod ad Posidonii protrepticum optime quadravit. Postea autem additum esse hunc locum a Cicerone, optime inde perspicitur, quod eo interposito oratio ita non progressa est, ut Cicero simillimis verbis § 67 („ubi igitur aut qualis est ista mens?“) et § 70 („in quo igitur loco est?“) quae antea exposuit, finiverit. Per digressionem igitur interponi quae in §§ 68—70 leguntur, manifestum est. —

In Tusculanis disputationibus aliisque libris philosophicis Ciceronem Posidonii protreptico usum esse cognovimus: per se igitur probabile est eundem in Hortensio, cum ipse protrepticum scriberet, magistri exemplum multo accuratius ad imitandum sibi proposuisse. Non dubito quin hoc demonstrari posset, si dialogum haberemus; sed etiam fragmenta Hortensii haec docent.[1]) Argumentandi autem ratio postulat antequam

1) Iam supra (p. 290) Hortensii fr. 21 cum Posidonii verbis apud Senec. ep. 90, 5 et apud Ciceronem de legg. I, 23 comparavimus. Ciceronem a

Digitized by Google

in hanc rem inquiramus, ut nonnulla praemittantur de Hortensio, Ciceronis protreptico.

Quo tempore et consilio Hortensius dialogus [1]) a Cicerone sit compositus, ex ipsius cognoscitur verbis de div. II, 1, 1 ubi libros a se scriptos temporum ordine servato enumerat. Elucet enim Hortensium a Cicerone cum libros de omnibus philosophiae disciplinis editurus esset, praemissum esse quo, cur ad hoc scribendi genus se contulisset, exponeret repulsisque philosophiae adversariis omnibus philosophandum esse persuaderet (cf. de fin. I, 1, 2. Tusc. II, 2, 4. III, 3, 6. de off. II, 2, 6). Ex libelli igitur argumento sequebatur, ut Cicero philosophiam quam maxime laudaret atque eius studium ad vitam utilissimum maximeque idoneum esse demonstraret. Quam rem orator illustrissimus recenti tum philosophiae studio incensus pro ingenii fervore ac dicendi suavitate tam feliciter persecutus est, ut Hortensius dialogus non solum simul atque editus est hominibus probaretur, sed etiam postea a rhetoribus et philosophis multum tractaretur, inprimis vero ecclesiae praeceptores non mediocriter delectaret.

Atque in rhetorum scholis Hortensium tractatum fuisse, Augustinus testatur de beata vita 4 (Migne, Patrolog. lat. 32 p. 961): ‘Ego postquam in schola rhetoris librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiae succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer’. Idem Confess. III, 7 p. 685 dicit imbecilla tunc aetate se didicisse libros eloquentiae pergitque: ‘et usitato iam discendi ordine perveneram in librum quendam Ciceronis cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem ad philosophiam continet et vocatur Hortensius’. Sed adliciebat Ciceronis dialogus multo etiam magis severiores homines sapientiaeque studiosos.

Posidonio pendere Hirzelius, *Unters.* III, 347, 2 optime animadvertit, frustra negavit Diels p. 487, 17. ‘Prudentia providet’ legitur apud August. de civ. Dei II, 20.

1) Hortensii fragmenta coll. Orelli, Cic. opera IV p. 980. Baiter et Kayser Cic. opera XI p. 57. C. F. W. Mueller, Ciceronis scripta Partis IV vol. III p. 312. Ego Baiteri collectionem secutus sum.

Digitized by Google

Scimus Lactantium Augustinum Boethium in libris suis Hortensium saepius laudavisse et Ciceronis verba in usum suum convertisse. Augustinus quidem lecto Hortensio quantopere ad sapientiae studium commotus sit, nemo est qui nesciat et ipse multus est in laudanda libri virtute. Quo magis, cum in tot hominum manibus versatus esset Hortensius, mirandum est quod sequentia saecula hunc librum non tulerunt. Sive homines perversa religione perducti tempore errorum pleno eum perdiderunt [1]), quod nollent tolerare tantam sentiendi pietatem ac severitatem in homine verae religionis ignaro, sive infelix nescio quae fortuna Hortensium nobis invidit: nunc certe non nisi fragmenta exstant, quae Lactantio et Augustino praecipue debemus. Itaque, quamvis Ciceronis Hortensium desideremus, hoc iucundissimum est quod fragmentis examinatis atque dispositis non solum de dialogi argumento, sed etiam de fontibus quibus in eo conscribendo Cicero usus sit, iudicare possumus. Quod nobis iam faciendum est ita quidem, ut maxime protreptici naturam perspiciamus, omittamus ea quae vel aliunde nota vel minoris videantur esse momenti.[2])

Atque duae partes Hortensii insignes sunt, altera Hortensii contra philosophiam disputatio, altera exhortatio Ciceronis ad philosophiam. Ciceronis autem exhortatio secundum Philonis de protrepticis praecepta, de quibus infra dicam, bipartita fuit: primum enim Hortensii argumenta refutabantur (*λόγος ἀπελεγκτικός*), deinde philosophia laudabatur ad eiusque studium invitabatur (*λ. ἐνδεικτικός*). His igitur partibus Hortensii argumentum nititur, reliqua ad dialogi artem pertinent. Res acta fingitur in vita Luculli (fr. 3. 4. coll. Baiter et Kayser), qui et ipse et Catulus loquentes inducuntur secundasque partes sustinent, cum primarum actores sint Cicero et Hortensius. Villam signis tabulisque pictis pulchre ornatam cum admira-

1) C. W. T. Mus. Rhen. n. s. a. 1842 p. 127.

2) de Hortensii fragmentis ordinandis disputavit Fr. Schneider in Progr. Tremesnensi a. 1841 et in Jahnii Annal. phil. XI (1845) p. 537. Multo graviora sunt quae de Hortensio exposuit Krische in comment. de Cic. Acad., Stud. Gotting. a. 1845 p. 151.

Digitized by Google

rentur, factum est ut in fingendi artis (fr. 6) omniumque artium ac litterarum laudem sermo incidisset. Laudabat autem pro sua quisque parte quod studium amplexus erat: Lucullus historiam (fr. 11), cui adsensus Hortensius artis rhetoricae laudator (fr. 47. 35), historiarum studium commendavit ut fontem, ex quo gravissima exempla ad dicendi exercitationem depromi possent (fr. 12—14). Contra Cicero omnium litterarum finem contendit esse philosophiam, ad quam comparandam historiae et eloquentiae studium easque scientias quasi subsidia esse. Posidonium, ut videtur, secutus dicebat scientias illas inferioris doctrinae quasi fructus, quibus ad veram (id est contemplativam) adipiscendam sapientiam animus instrueretur. Haec verbis expressit similitudine quadam usus in fr. 9. 10. Hinc orta est disputatio, in qua Catulus cum Cicerone ex parte philosophiae stetit (fr. 47). Hortensio dialecticae irrisori (17. 45. 94) a philosophiae defensoribus respondetur ipsum in partiundis rebus ac definiendis esse subtilissimum (fr. 46).[1])

Recedentibus deinde magis a colloquio Lucullo et Catulo, Hortensius perpetua oratione contra philosophiam disseruit et Cicero loquenti aures praebuit (fr. 15). Qua ratione contra philosophiam Hortensius pugnaverit, e Lactantii loco efficitur, qui Inst. div. 3, 16 (fr. 20) haec habet: ‘praeterea illud quoque argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius: ex eo posse intellegi, philosophiam non esse sapientiam, quod principium et origo eius appareat. Quando, inquit, philosophi esse coeperunt? Thales, ut opinor, primus. Recens haec quidem aetas. Ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis?’

Cicero igitur eadem argumentatione usus est quam Posidonium adhibuisse cum Senecae epist. 90 docet tum comprobatur Ciceronis loco in Tusc. V, 3, 7, quem ex Posidonii protreptico haustum esse supra

1) Diels (p. 488) hoc loco Hortensium et Catulum altercatos esse suspicatur. Catulo enim tribuit fr. 46, Hortensio fr. 94. 95. Num recte haec disposita sint, diiudicari nequit. Fragmentum 95 certe non Hortensio, sed Ciceroni tribuendum esse, infra docebo.

Digitized by Google

(p. 289) diximus. Iam vero Aristoteles quoque in protreptico sapiendi quidem et cognoscendi desiderium inter homines ab initio exstitisse exposuit, recens autem esse quod in rerum contemplatione acquiescat studium (supra p. 266. 289): atque hic quisquam negabit inter Aristotelis et Posidonii et Ciceronis protrepticos intercedere certam necessitudinem? Plane mirandum est, quantum in hoc quoque litterarum genere veteres ad imitandi studium se contulerint: velut hic locus, quo de sapientiae vel philosophiae aetate ac nomine agitur, non solum apud Aristotelem, Posidonium, Ciceronem invenitur, sed quartum redit in Senecae exhortationibus, quod mox videbimus.

Nunc redimus ad Hortensii contra philosophiam orationem, quae quo modo processerit e fragmentis exilibus haud cognosces. Sed vestigia eius inveniri puto apud Lactantium eodem loco, quem supra laudavi. Velut hos locos conferas

Lact. Inst. div. III, 61, 1:	Aristot. in protr. (Iambl. p. 216 Vill.)
Sapientia autem nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis et falsa est.	*ὥστε προσήκει καὶ τὴν φιλοσοφίαν εἴπερ ἐστὶν ὠφέλιμος ἤτοι πρᾶξιν εἶναι τῶν ἀγαθῶν κτέ.*

Cum Aristotelis fragmento conveniunt etiam quae secuntur apud Lactantium, qui postquam fragmentum e Ciceronis de re publica libris attulit, hoc modo pergit: 'Bonos enim facere oportet potius quam inclusos in angulis faciendo praecipere, quae ne ipsi quidem faciunt, qui locuntur: et quoniam se a veris actibus removerunt, apparet eos exercendae linguae causa, vel advocandi gratia artem ipsam philosophiae reperisse: qui autem docent tantum nec faciunt, ipsi praeceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cum ipsi praeceptores doceant non obtemperare? Bonum est autem recta et honesta praecipere: sed nisi et facias, mendacium est; et incongruens atque ineptum est, non in pectore sed in labris habere bonitatem. Non ergo utilitatem ex philosophia, sed

Digitized by Google

oblectationem petunt'. Testatur hoc Lactantius Ciceronis quodam loco qui ex Hortensii oratione contra philosophiam habita petitus est (fr. 32).

Deinde breviter dicit quid de philosophia sentiat: 'Sed profecto, quoniam nihil ad vitam boni afferebant (philosophi) nec ipsi decretis suis obtemperabant nec quisquam per tot saecula inventus est, qui eorum legibus viveret: abicienda est igitur omnis philosophia'. Plane ad eundem orationis finem pervenit Hortensius (fr. 19). Hoc loco Cicero Aristotelis illa mirabili conclusione usus (fr. 19, cf. supra p. 238) adversarii verba 'philosophandum non esse' arripuit ex eisque Hortensium quamvis nolit tamen philosophari effecit. Hortensius, etsi fortiter Ciceroni subtiliter disserenti resistere audet (fr. 54), mox datis singulis (fr. 49—51) omnia dare coactus est.

Sequebatur hanc partem dialogicam, qua obtrectator philosophiae refutatus est, Ciceronis ad philosophiam exhortatio, cuius initium fecit a sententia 'beati certe omnes esse volumus' (fr. 26). Ab eadem Platonem in protreptico profectum esse supra (p. 233) vidimus nec minus Aristotelem eo modo exorsum esse probabile est (cf. Metaph. I, 1. Eth. Nic. I, 1 Anal. post. I, 1). Etiam Augustinus, qui in primo libro contra Academicos scripto Romanianum ad philosophiam cohortatur, disputationis suae exordium sumit ab his verbis 'beati certe esse volumus' (contra Acad. I, 5 cf. etiam de civ. Dei XIX, 1).

Sed plura ex hoc loco ad perspiciendam Ciceronis argumentationem elici possunt. Augustinus enim, qui libros contra Academicos primo suae conversionis tempore conscripsit (de trin. XV, 12), cum animus eius lecto nuper Hortensio permotus esset, facere non potuit quin in primo libro ad protreptici exemplum scripto Hortensium sequeretur. Quod et ipse confitetur (contra Acad. I, 4 = p. 908) et res quae tractatur docet. Recte enim Krischius [1]) Hortensii fragmentum esse cognovit,

1) Stud. Gotting. a. 1845 p. 152, 1. Ex hoc fragmento cognoscitur Ciceronem etiam in Hortensio cum sapientis imaginem fingeret, summum Academiae dogma professum esse. Cum Krischio (p. 154 adn.) igitur Ciceronis, non Hortensii (Diels p. 488) verba esse dico, quae Augustinus

Digitized by Google

quod legitur ibid. I, 7 (p. 909): 'Placuit Ciceroni nostro beatum esse qui veritatem investigat, etiamsi ad eius inventionem non valeat pervenire — — quis ignorat eum affirmasse vehementer, nihil ab homine percipi posse nihilque remanere sapienti nisi diligentissimam inquisitionem veritatis, propterea quia, si incertis rebus esset assensus, etiam si fortasse verae forent, liberari ab errore non posset? quae maxima est culpa sapientis' fr. 96). Pergit: 'Quam ob rem, si et sapientem necessario beatum esse credendum est et veritatis sola inquisitio perfectum sapientiae munus est: quid dubitamus existimare beatam vitam etiam per se ipsa investigatione veritatis posse contingere'? (Cf. August. Confess. VIII, 17).

Cicero igitur ad eam orationis suae summam pervenit, ad quam omnes redeunt protreptici (supra p. 243): philosophandum est, si volumus esse beati. Hortensio autem neganti philosophiam esse sapientiam respondit, philosophiam sapientiae amorem esse ac studium, et beate vivere non eum, qui veritatem invenisset, cum inveniri omnino non posset (fr. 92. 95), sed qui eam diligenter quaereret.[1]) Aristotelis igitur argumentis usus, quanta gaudia e sola veritatis inquisitione sapiens percipiat, depinxit eorumque felicitatem praedicavit, qui semper secundum divinam animi partem vixerint (cf. Hortensii fr. 40. 90

habet c. Acad. III 14, 31: 'clamat Cicero (Acad. II, 66) se ipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quaerere. Certe in Hortensio legistis: si igitur nec certi est quicquam nec opinari sapientis est, nihil unquam sapiens adprobabit'.

1) Ad hanc Ciceronis argumentationem pertinent fortasse nonnulla quae Licentius Academicus apud Augustinum in primo contra Acad. libro exponit. Cf. I, 3, 9: Veritatem illam solum Deum nosse arbitror, aut forte hominis animam, cum hoc corpus, hoc est tenebrosum carcerem dereliquerit. Hominis autem finis est, perfecte quaerere veritatem — — — hoc est enim pervenire ad finem, ultra quem non potest progredi. Quisquis ergo minus instanter quam oportet veritatem quaerit, is ad finem hominis non pervenit; quisquis autem tantum quantum homo potest ac debet, dat operam inveniendae veritati, is etiamsi eam non inveniat, beatus est; totum enim facit, quod ut faciat, ita natus est. Cf. I, 4, 11. 4, 14. 4. 23. 4, 25.

Digitized by Google

cum Iambl. protr. p. 148 = fr. 58 Rose, ibid. p. 136 = fr. 61 Rose).

Alio loco (Confess. III, 8) Augustinus de Hortensio haec dicit: ‘hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quaecunque esset, sapientiam ut diligerem et quaererem et assequerer et tenerem atque amplexarer, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam’. Haec confirmantur Ciceronis locis quibus dicit se in Hortensio de universa philosophia quantopere expetenda esset disseruisse (Tusc. III, 6. II, 4). Monuit igitur, Aristotelis et Posidonii exemplo usus, ne quis philosophorum singulorum inter se dissensionibus a philosophiae studio deterreretur. Philosophorum enim dixit rationem tantum distare ‘quantum inter se homines studiis, moribus, omni vitae ratione differant’ (fr. 27). Hoc explanavit exemplis, velut Aristonis praefracti, ferrei doctrina describenda (fr. 28 cf. fr. 82. 83).[1] Ex quibus omnibus discrepantiis philosophia integra evadet: ‘habet enim ipsa certam et definitam viam’ (fr. 61).

Sed ampliora ex Hortensii fragmentis efficiuntur. Ciceronem enim puto in oratione sua simili modo atque in Tusc. V, 24, 69 (ubi Posidonium sequitur, supra p. 290) exposuisse, quo modo philosophiae tres partes natae sint et quae gaudia ex eis tractandis sapiens percipiat. Atque primum quidem multus erat in caeli descriptione, quam rem, nisi fallor, fusius persecutus est Posidonius (Tusc. I, 28, 68). Fragmenta huc refero 25. 43. 44. Usenerus quidem haec ad eam, quam sibi finxit, de gloria explicationem refert coniunctisque fragmentis 25 et 44 Ciceronem dicit ‘magni’ qui vocatur ‘anni’ tempora repu-
tasse ab Romuli interitu, qui obscurato sole factus est. Useneri coniecturam stare non posse supra (p. 252) exposui, neque quae de fr. 25 et 44 excogitavit probabilia videntur. Ciceronem enim hoc loco non de gloria disputasse, sed siderum admirabilem ordinem ac motus spectasse, verba docent quibus fr. 44

1) fr. 28. 34 Diels (487, 17) ad Hortensii orationem refert. Sed Ciceronem hoc loco eodem modo atque Aristotelem (fr. 53 Rose) philosophorum disciplinas perlustrasse manifestum est.

Digitized by Google

ab Augustino (de civ. Dei III, 15, 1) inducitur: ‘in Hortensio dialogo (Cicero), cum de solis canonicis defectionibus loqueretur, ut easdem inquit tenebras efficiat (sol), quas effecit in interitu Romuli, qui in obscuratione solis est factus’. Fortasse Cicero caeli siderumque peritos laudavit quod primi hominibus perturbatis inanem religionem timoremque deiecissent, cf. locum in primo de rep. libro 16, 25 (ubi etiam de obscuratione solis in Romuli interitu facta Cicero loquitur).

Itaque ego sic Ciceronem in Hortensio disputasse suspicor. Primum homo, cum sidera spectaverit innumerabilia caelo inhaerentia eorumque ordinem totiusque mundi motus conversionesque perspexerit, ad initiorum pervenit et naturae indagationem. Haec autem tractanti animo exstitit illa ab Apolline Pythio praecepta cognitio, qua excitatus est ut semet ipsum nosceret quantaque instrumenta ad obtinendam adipiscendamque sapientiam habeat tentaret: hinc virtutis disciplinae exstiterunt (Tusc. V, 25, 70 de legg. I, 22, 58 fr. Hort. 58. 59). Sequebatur tertia disserendi ratio verique et falsi indicandi scientia, qua res definiuntur, genera distinguuntur, omnes sapientiae partes fundantur (fr. 45. 46). His igitur scientiis, si sapiens exacuerit ingenii aciem seque ipsum ac mundum perspexerit, non ‘unius circumdatum moenibus loci, sed civem totius mundi quasi unius urbis’ (de legg. I, 23, 61) se esse censebit. Quae vero est illa, quam homines venditant gloria? Licet puncto quodam circumsaepti sint homines, si terram conferas cum ingenti mundi spatio: ‘ne in continentibus quidem terris vestrum nomen dilatari potest’ (fr. 80). Deplorans deinde vitae humanae vanitatem (fr. 88—93) orationem multis Aristotelis et Platonis (e Phaedone petitis) distinxit sententiis. Hoc loco de corporis voluptatibus (fr. 66. 73. 74) ac de divitiarum usu (fr. 65. 68. 69) multum disputasse videtur.[1])

Denique Cicero, cum nihil certi ab hominibus percipi posset ‘quod omnis noster intellectus multis obstruitur diffi-

1) huc pertinet Augustini locus Soliloqu. I, 17 = p. 878, quem Diels p. 479 Hortensio recte tribuit. Addenda sunt ea quae in Augustini protreptico leguntur contra Acad. I, 1—2 p. 906/7.

Digitized by Google

cultatibus' (fr. 92. cf. Aristot. apud Iambl. p. 172 *ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν διὰ τὸ παρὰ φύσιν ἴσως εἶναι τὸ γένος ἡμῶν, χαλεπὸν τὸ μανθάνειν καὶ σκοπεῖν ἐστιν κτλ.* supra p. 255), probata maxime Academicorum philosophandi ratione, diligentissimam veritatis inquisitionem commendavit in eaque investiganda operam et curam nostram ut ponamus, vehementer adhortatus est (fr. 95. 96).

Has igitur res Cicero in Hortensio tractavit. Iam credo apparet eum in libro conscribendo non uno ex fonte hausisse, sed duos adiisse eosque fontes consimiles fuisse. Fieri igitur potest, si Aristotelis librum Cicero in manibus non habuit, ut Aristotelis loci qui in Hortensio leguntur, ex Posidonio petiti sint. Quod ego tamen contendere nolim. Cicero enim Aristotelis protreptico facile usus est; tales enim Aristotelis libros cum facilius intellegeret, diligentius lectitavit inque suum usum convertit. Ceterum Cicero in hoc libello etiam nonnulla ex ipsius ingenio addidisse putandus est. Praestandae enim orationis, ad philosophiam quae hortetur idoneae, laudandaeque sapientiae a natura habuit adiumenta sane optima.

Nimis curiosi viri docti fuerunt in investigando fonte ex quo uno pendere dicerent Ciceronem in Hortensio. Cogitavisse eos de Aristotele, de Posidonio, et quid censendum sit de hac re, exposui. Sed tertius existit auctor, quem exscripsisse Ciceronem in Hortensio contendit C. Fr. Hermannus [1]): Philonem dico Larissaeum, Clitomachi auditorem et in regenda Academia successorem, qui bello Mithridatico Romae et Ciceronis et aliorum nobilium praeceptor fuit (Cic. Tusc. disp. II, 3, 9). — Non est cur hodie de Hermanni coniectura disceptem: nemo opinor eam probabit, quae argumentis non ita confirmata est, ut sitne protrepticus a Philone scriptus sciamus. Unum vero recte iam a Krischio [2]) demonstratum est: Ciceronem Hortensium libris suis praemisisse quasi *λόγον προτρεπτικόν* secundum distributionem quandam philosophiae partium a Philone

1) K. Fr. Hermann 'de Philone Larissaeo' Gott. 1851 (p. 6). disp. II, ibid. 1855 (p. 7).

2) Krischius in diss. de Cic. Acad., Stud. Gott. 1845 p. 126—200.

Digitized by Google

factam, quam e Didymo affert Stobaeus in Anthol. II p. 39 Wachsm. Ex qua cum disci possit, quem locum intra philosophiae partes tenuerit *ὁ προτρεπτικὸς λόγος*, res postulat ut exhibeamus Stobaei locum.

Philo similitudinem quandam persequitur. Comparatur enim philosophus et medicus: ille animum hic corpus curat. Uterque negotium suum sex exsequitur partibus: (p. 40, 1) *Καθάπερ οὖν ἔργον ἰατροῦ πρῶτον μὲν πεῖσαι τὸν κάμνοντα παραδέξασθαι τὴν θεραπείαν, δεύτερον δὲ τοὺς τῶν ἀντισυμβουλευόντων λόγους ὑφελέσθαι, οὕτως καὶ τοῦ φιλοσόφου. Κεῖται τοίνυν ἑκάτερον τούτων ἐν τῷ προσαγορευομένῳ προτρεπτικῷ λόγῳ [ἔστι γὰρ ὁ προτρεπτικὸς ὁ παρορμῶν ἐπὶ τὴν ἀρετήν]. Τούτου δ' ὃ μὲν ἐνδείκνυται τὸ μεγαλωφελὲς αὐτῆς, ᾧ δὲ τοὺς ἀνασκευάζοντας ἢ κατηγοροῦντας ἤ πως ἄλλως κακοηθιζομένους ⟨εἰς⟩ τὴν φιλοσοφίαν ἀπελέγχει.*

Sequitur *ὁ θεραπευτικὸς λόγος*. Namque ut expulsis eis quae morbum efficiunt, medicus ad sanandum adgreditur et medicamenta adhibet, ita philosophus agit (p. 40, 16): *μετὰ γὰρ τὰ προτρεπτικὰ πειρᾶται τὰ θεραπευτικὰ προσάγειν, ἐφ' ὃ καὶ τοῖς παρορμητικοῖς κέχρηται διμερῶς· τὸ μὲν γὰρ ὑπεξαιρετικὸν τῶν ψευδῶς γεγεννημένων δοξῶν, δι' ἃς τὰ κριτήρια νοσοποιεῖται τῆς ψυχῆς, προσάγει λόγον, τὸ δὲ τῶν ὑγιῶς ἐχουσῶν ἐνθετικόν.*

Continetur hac in parte *ὁ περὶ ἀγαθῶν καὶ κακιῶν τόπος*. Reliquae partes sunt *ὁ λόγος περὶ τέλους, περὶ βίων, τὸ πολιτικὸν μέρος*, denique *ὁ ὑποθετικὸς λόγος*; nam hic quoque huc referendus est, ut ait Philo (p. 41, 18):

ἐπεὶ δὲ καὶ τῶν μέσως διακειμένων ἀνθρώπων πρόνοιαν ποιητέον, οὕς τινας ἐκ τῶν παραινετικῶν λόγων ὠφελεῖσθαι συμβαίνει, μὴ δυναμένους προσευκαιρεῖν τοῖς διεξοδικοῖς πλάτεσιν ἢ διὰ χρόνου στενοχωρίας ἢ διά τινας ἀναγκαίας ἀσχολίας, ἐπεισενεκτέον τὸν ὑποθετικὸν λόγον, δι' οὗ τὰς πρὸς τὴν ἀσφάλειαν καὶ τὴν ὀρθότητα τῆς ἑκάστου χρήσεως ὑποθήκας ἐν ἐπιτομαῖς ἔξουσιν.

Etsi Philo in philosophandi ratione ad veterem Academiam revertit, in hac diaeresi Stoicorum quoque morem imitatus est. Similem igitur locum protreptico etiam Stoicos concessisse probabile est. —

Sed Philonis protreptici definitio quam apud Stobaeum legimus, non vacat offensione. Suspicionem enim movent verba (p. 40, 6 et 7) *ἔστι γὰρ ὁ προτρεπτικὸς ὁ παρορμῶν ἐπὶ τὴν ἀρετήν*. Haec si recte se habent, sequitur ut in v. 7 verbum *αὐτῆς* ad *ἀρετήν* pertineat, quod ferri nequit. Neque enim virtutis utilitatem *ὁ προτρεπτικός* ostendit, sed philosophiae, atque haec protreptici vis et natura est, ut virtutem philosophando comparari doceat. Itaque Wachsmuthius olim pro *ἀρετήν* coniecerat *μελέτην*: sed multo probabilius mihi videtur, quod nunc vir doctissimus iudicat, verba *ἔστι γὰρ — ἀρετήν* spuria esse et a sciolo quodam addita. Superfluum esse hoc additamentum, quoniam accurata protreptici definitio statim sequitur, nemo non videt. Ad verbum autem *αὐτῆς* (p. 40, 7) facile suppletur *τῆς φιλοσοφίας*, cum et antecedat *τοῦ φιλοσόφου* et in eadem sententia legatur *τὴν φιλοσοφίαν*.

Iam omnia optime liquent: Philo aliique philosophi in philosophiae disciplina initium fecerunt a protreptico, quo ei qui adhuc alieni sunt a philosophia, ut ad eam accedant, incitantur. Atque duae sunt partes protreptici, prima est *ἐνδεικτική* altera *ἀπελεγκτική*, illa demonstratur quot sint philosophiae commoda, hac philosophiae adversarii et vituperatores refelluntur. Habemus protrepticorum quasi extrema lineamenta formamque peculiarem et iam credo elucet, cur nonnulla, quae a viris doctis de protrepticorum indole et natura prava sentientibus eius modi libris tributa sunt, reiecerim (vide quae p. 290 adnotavi). Sponte enim apparet in libris hunc in modum comparatis omissas esse philosophorum umbratiles disceptationes doctasque controversias: de universa philosophia quantopere et expetenda esset et colenda, scriptores in protrepticis dixerunt (cf. Cic. Tusc. III, 6). Itaque Posidonius Ari-

Digitized by Google

stotelem imitatus hortabatur *μήτε διὰ τὴν διαφωνίαν ἀφίστασθαι φιλοσοφίας* (Laert. Diog. VII, 129) et Cicero in Hortensio idem fecit, ut demonstravi (p. 298). Insignis autem in protrepticis fuit philosophiae adversariorum refutatio. Vidimus et Aristotelem et Ciceronem philosophiae contemplativae comtemptores refutasse neque dubito quin Posidonius quoque orationem contra vituperatores habuerit, quod efficere mihi videor e Ciceronis (in Tusc. disp. V, 2, 6) loco, qui ex Posidonii protreptico petitus est.

Quid multa? Quae Philo de protreptici natura atque indole exposuit, eis libris, quos novimus, omni ex parte confirmantur. Exhortatio igitur eum efficit animi habitum, quo homo postquam philosophandum esse sibi persuasit, ad philosophiae studium se accingit (cf. Iambl. protr. p. 10). Hac subornatus ad philosophiam homo accedere eiusque disciplinis initiari potest.

Transeo ad alteram philosophiae distributionem Philonis consimilem, quae ex eodem Didymo excerpta apud Stobaeum II, 48, p. 42 proponitur. Huius auctor est Eudorus, Aristonis Cei aequalis, quibus suppar Strabo (XVII, 1, 5 p. 790) narrat utrumque philosophum librum de Nilo tam similem scripsisse, ut uter alterum compilasset nesciretur. Eudorus igitur, qui Academici quidem nomen prae se tulit, 'reapse autem eclectici philosophi exemplar est' (Diels Doxogr. p. 81), scripsit *διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου* philosophorum istius aetatis more, qui nimii fuerunt in dividendo (Diels l. c. p. 71). Eudorus moralis philosophiae partes dicit tres — *τὸ θεωρητικόν, ὁρμητικόν, πρακτικὸν μέρος* — quas Seneca ex Eudoro vel cum Eudoro ex eodem fonte attulit in epist. 89, 14.[1]) Hae partes Stoicorum spinosa ratione deinceps singulas in particulas discernuntur, inter quas bis occurrit *ὁ προτρεπτικός*. Primum enim adscribitur contemplativae philosophiae parti, quae continet *τὸ περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν μέρος*. Haec enim virtutum descriptio duplex est, aut singularis, in qua

1) Bernays, *Abh.* I p. 267 adn.

Digitized by Google

singulne virtutes explicantur et definiuntur, aut generalis, quae est *τὸ προτρεπτικὸν (μέρος)· τοῦτο γὰρ εἰς τὸ μόνως (τούτου γάρ ἐστι μόνως* coni. Usener) *ἐνδείξασθαι τὴν ἀρετὴν καὶ κακίαν* (l. l. p. 43, 13).

Alii vero *τὸν προτρεπτικὸν τόπον* ad moralis philosophiae partem tertiam quae est de actionibus traxerunt. Haec enim sic divisa fuit:

A. *ὁ περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις.*
   a. *ὁ ὑποθετικός* (44, 14).
   b. *ὁ προτρεπτικός* (*ἔνιοι γὰρ καὶ τοῖτον ὑπὸ τόνδε τάττουσιν* 44, 15).

B. *ὁ περὶ τῶν ἀλλοτριούντων ἀπό τινων πράξεων* sive *περὶ τῶν ἀποτρεπόντων* (44, 15), id est

ὁ παραμυθητικός sive *παθολογικός* (44, 16).

Qui igitur locus in morali philosophiae parte protreptico tribuendus esset, inter philosophos in controversia versabatur. Atque qui *εἰς τὸ μόνως ἐνδείξασθαι τὴν ἀρετὴν καὶ κακίαν* protreptico usi sunt, Peripatetici fuerunt (quorum exemplo Diels Dox. p. 81, 5 hanc diaeresin omnino scriptam esse suspicatur). Convenire hanc protreptici definitionem cum Philonea manifestum est. Ei autem philosophi qui protrepticum cum hypothetico artius composuerunt, si quid video, inter Stoicos quaerendi sunt. Certe non eandem auctoritatem protrepticus habet secundam hanc alteram distributionem, sed appendicis loco positus videtur sicut *αἱ προτροπαί τε καὶ ἀποτροπαί* in Stoicorum moralis philosophiae definitione, quae, perturbatione quidem non vacua, exstat apud Laert. Diog. VII, 84. Consentit haec Stoicorum Ethicae divisio cum hac altera Eudori etiam ea in re, quod *τὰς προτροπάς* cum ea parte, quae est de actionibus, arte coniunctas esse videmus.

Ceterum de hac Eudori dispositione et simili illa apud Senecam in epist. 89, 14 obvia recte mihi disseruisse videtur Madvigius, cum haec dixit (de Fin. p. 829): ‘hac igitur divisione parum subtili Stoicos quoque quosdam usos esse,

Digitized by Google

Senecae credimus; num tamen quisquam, cum scribendo universam disciplinam explicaret, eo ordine uti potuerit, non iniuria ambigi potest; receptum eum et communem fuisse, et res ipsa credere vetat et Cicero atque Diogenes (VII, 84) et Ioannes[2].

Pergimus ad alios protrepticorum auctores. Hortationes ad philosophiam scripsit Eudori illustrissimus aequalis, Augustus imperator, teste Suetonio 85. Qui cum omnino vitam suam ac studia ad illius aetatis mores adaptare vellet, in hac quoque litterarum specie aliquid praestare conatus est. Impletus est philosophiae eruditione per Arium Didymum, cuius ipsa quam supra memoravimus epitome, in Augusti usum fortasse scripta fuit (Diels Dox. p. 83). Ac profecisse videtur Divus in his studiis, si credimus Agrippae in libello ad Caium misso, quem recitat Philo (10). Nihil autem de hortationum indole compertum habemus. Ciceronem imitatum esse Augustum in hortationibus coniecit Diels (l. c.).

Succedit Seneca[1]) Stoicus exhortationum auctor, cuius operis nunc perditi pauca exstant frustula in Lactantii Institutionibus Divinis. Haec fragmenta si legis, exaudibis Senecam severum vitiorum sectatorem morumque censorem, qui monendi atque obiurgandi munere fungitur specie quadam ac gravitate, qua hodie paenitentiae praecones utuntur, eo vero tempore usi sunt homines severiores, quos prolapsi in vitia saeculi taeduit et qui in philosophiae studio receptaculum atque e vitae perversitate perfugium ipsi inveniebant aliisque monstrabant. Quo fit, ut in exhortationibus oratio ad sacrarum orationum, quas in aedibus Christianorum audimus similitudinem speciemque paulatim accesserit (cf. fr. 14. 15). Itaque cum ea tum esset hominum condicio, ut alii circumfluerent omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia viverent, alii in egestate vitam degerent; alii summo loco nati in altissimo dignitatis gradu collocati essent, alii obscuro loco orti iniquissima uterentur fortuna; denique cum in tantis miseriis

1) Senecae fragmenta coll. Haase in Sen. Oper. III p. 418 sqq. Exhort. fragmenta exstant p. 421–423.

Digitized by Google

versaretur hominum maxima pars et tam diversa ac plane contraria esset hominum vitae sors: philosophus in exhortationibus ostendit omnes homines delectu omni ac discrimine remoto ad philosophiam pervenire posse, hanc unam homines beatos reddere, bona non esse divitias, nobilitatem, gloriam, immo quo plura homines possideant, eo infeliciores eos esse. Haec et similia, quae apud huius saeculi philosophos velut apud Musonium, Epictetum, Marcum Aurelium, Dionem, Lucianum multis verbis tractantur, in protrepticis maxime explicata et paene decantata sunt.[1])

Seneca in exhortationibus dialogi forma usus videtur.[2]) Adversatus est philosophiae vituperatori, quem non novimus, sed dubitari non potest, quin quae apud Lactant. Inst. III, 15, 1 (fr. 17) et 11—14 (fr. 18) et in cap. 16, 14 (fr. 21) leguntur, partim a vituperatore partim a laudatore philosophiae dicta sint. Acerrime philosophi accusantur in fr. 18: ‘pletique philosophorum tales sunt, diserti in convicium suum, quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium professos putes; adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa, quos non aliter intueri decet quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Quosdam vero nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suae fingunt, ut etiam honeste peccare videantur’. Haec aperte adversarius dixit.

Puto contra Haasii opinionem cum Walchio, ex Seneca petivisse Lactantium ea verba quae in fr. 20 adversarius respondet ‘atqui nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus non videtur’. Quod ea re etiam probabilius fit, quod in cap. XVI Lactantius aperte argumenta affert Hortensii (cf. p. 295). Itaque ad eundem

1) Cf. Augustinum de ordine I, 31 = p. 993.

2) Eadem iudicare video Rossbachium in Herm. XVII, 370, 5. Quod idem nuper in Comment. Vratisl. Phil. II, 3 (1888) contendit, scripta ‘de formulis honestae vitae’ et ‘de remediis fortuit.’ ex exhortationibus excerpta esse, minime probo. Confundit vir doctus *προτρεπτικοὺς* et *ὑποθετικοὺς λόγους*.

Digitized by Google

finem pervenit Lactantius atque Hortensius: ‘abicienda est igitur omnis philosophia’ (Lact. III, 16, 8). In § 12 deinde Hortensii verba profert: ‘quando philosophi esse coeperunt? Thales ut opinor primus. Recens haec quidem aetas, ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis?’ Laudato deinde Lucretii versu V, 336, pergit in § 15: Et Seneca ‘nondum sunt’, inquit, ‘mille anni, ex quo initia sapientiae mota sunt’. Manifesto consentiunt in argumentandi ratione adversarii philosophiae in Hortensio Ciceronis et in Senecae Exhortationibus, ita ut Senecam Ciceronis vestigia persecutum esse recte statuas.[1])

Supra dixi philosophos in exhortationibus hominibus demonstrasse omnes ad philosophandum et natos et aptos esse: inprimis vero huius aetatis Stoici multi erant in ea re, ut philosophiam commendarent regibus, servis, mulieribus. Haec Senecam quoque in Exhortationibus explicasse, e Lact. III, 25 colligitur. Neque enim ea tantum quae in § 15 (= fr. 23) leguntur, sed totum caput e Senecae Exhortat. compilatum videtur.[2])

In exhortationibus igitur haec fortasse dixit Seneca (Lact. III, 25, 4): ‘quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum lumen auferre? quod si natura hominis sapientiae capax est, oportuit opifices et rusticos et mulieres et omnes denique qui humanam fortunam gerunt doceri ut sapiant populumque sapientium ex omni lingua et conditione et sexu et aetate conflari . . . . (7) Senserunt hoc adeo Stoici qui et servis et mulieribus philosophandum esse dixerunt; Epicurus quoque, qui rudes omnium litterarum ad philosophiam invitat . . . (8) Conati quidem illi sunt facere, quod veritas exigebat: sed non potuit ultra verba procedi. primum quia multis artibus opus est ut ad philosophiam possit accedi . . . . (12) Ob eam causam Tullius ait abhorrere a multitudine philosophiam . . . . (14) In rebus igitur obscuritate im-

1) Haec etiam Diels contendit p. 478.
2) Usener, Epic. p. 171 adn.

Digitized by Google

plicitis et ingeniorum varietate confusis et eloquentium virorum exquisito sermone fucatis quis imperito ac rudi locus est? Denique nullas unquam mulieres philosophari docuerunt, praeter unam ex omni memoria Themisten, neque servos praeter unum Phaedonem, quem male servientem redemisse ac docuisse Cebetem tradunt. Enumerant etiam Platonem ac Diogenem, qui tamen servi non fuerunt, sed his servitus evenerat. Sunt enim capti. Platonem quidem redemisse Anniceris quidam traditur HS VIII. Itaque insectatus est conviciis hunc ipsum redemptorem Seneca, quod parvo Platonem aestimaverit, furiosus ut mihi quidem videtur, qui homini fuerit iratus, quod non multam pecuniam perdidit: scilicet aurum adpendere debuit tanquam pro mortuo Hectore, aut tantum ingerere numorum, quantum venditor non poposcit. Ex barbaris vero nullum praeter unum Anacharsim Scytham, qui philosophiam ne somniasset quidem, nisi et linguam et litteras ante didicisset.' — Terminavit Seneca, ut ait Lact. VI, 24, 12 Exhortationes hac sententia (fr. 24): 'Magnum (inquit) nescio quid maiusque quam cogitari potest, nomen est, cui vivendo operam damus. Huic nos adprobemus, nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus (*corrige* pateamus) deo'.

Non fugit nos Exhortationum speciem, quo magis in philosophia conlaudanda acquievit oratio, nullis praeceptis datis, eo proprius accessisse ad ostentativum dicendi genus. Homines enim adducere verbis, ut ea quae eis viderentur bona, despicerent, eosque e vitae miseriis vocare ad philosophiam quasi in asylum, in quo rebus adversis perfugium invenirent: hoc non tam docti quam eloquentis oratoris fuit. Itaque in exhortationum genere elaborando studia sua collocaverunt rhetores illi, quos Philostratus (vit. soph. I, 1) appellat *τοὺς φιλοσοφήσαντας ἐν δόξῃ τοῦ σοφιστεῦσαι*, et quorum philosophia 'clamores capit', ut ait Seneca epist. 52, 9.

Quales fuerint rhetorum declamationes protrepticae, cum e multis severiorum philosophorum locis, quibus earum mentionum faciunt, tum ex Epicteti dissertationibus colligere

Digitized by Google

licet. Epictetus enim (III, 23) contra *τοὺς ἀναγιγνώσκοντας καὶ διαλεγομένους ἐπιδεικτικῶς* dicens, vituperat eos philosophos qui orationibus suis prodesse quidem velint, re autem vera nihil nisi laudem ac mercedem sectati audientium laudes atque adplausus captent: esse hoc rhetoris, non philosophi; ad philosophum enim ultro venire qui audiant, veluti ad medicum aegrotantes; neque ideo parentes liberos peregre mittere, ut in scholis philosophorum *ἐπιφωνήματα* audiant; pergit (33): *τί οὖν; οὐκ ἔστιν ὁ προτρεπτικὸς χαρακτήρ; τίς γὰρ οὐ λέγει, ὡς ὁ ἐλεγκτικός, ὡς ὁ διδασκαλικός. Τίς οὖν πώποτε τέταρτον εἶπε μετὰ τούτων τὸν ἐπιδεικτικόν; τίς γάρ ἐστιν ὁ προτρεπτικός; δύνασθαι καὶ ἑνὶ καὶ πολλοῖς δεῖξαι τὴν μάχην ἐν ᾗ κυλίονται· καὶ ὅτι μᾶλλον πάντων φροντίζουσιν ἢ ὧν θέλουσιν. θέλουσι μὲν γὰρ τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἀλλαχοῦ δ' αὐτὰ ζητοῦσι.* Deinde (36): *οὐδὲν ἂν προτρεπτικώτερον ἢ ὅταν ὁ λέγων ἐμφαίνῃ τοῖς ἀκούουσιν, ὅτι χρείαν αὐτῶν ἔχει.* Quis enim, ait, si te audit dicentem, descendit in se? Quis animo permotus exiens dicit 'hoc iam non faciam'?, apud te dicunt 'pulchre dixit de hac re'.

Is igitur est protreptici finis Epicteti opinione, ut homini de semet ipso sollicitudinem ac curam afferat eumque contra utilitatem suam facere demonstret. Hoc enim omnis philosophiae initium est, si Epictetum audis (II, 2, 13) *ἀρχὴ φιλοσοφίας αἴσθησις μάχης τῆς πρὸς ἀλλήλους τῶν ἀνθρώπων κτέ.*, et qui hoc distinctissime exponere potest, ad cohortandum maxime valet (II, 26, 4): *Δεινὸς οὖν ἐν λόγῳ, ὁ δ' αὐτὸς καὶ προτρεπτικὸς καὶ ἐλεγκτικὸς οὗτος ὁ δυνάμενος ἑκάστῳ παραδεῖξαι τὴν μάχην καθ' ἣν ἁμαρτάνει, καὶ σαφῶς παραστῆσαι πῶς ὃ θέλει οὐ ποιεῖ, καὶ ὃ μὴ θέλει, ποιεῖ.*

Idem III, 16, 7 discipulos monet, ut malorum hominum consuetudinem vitent caveantque eorum insolentiam qui putida sua proferunt, dum ipsi eis rebus, quas in scholis didicissent, fidem facere ex propria ratione nesciant. Illos enim dicit multo potiores esse *ὅτι ἐκεῖνοι μὲν τὰ σαπρὰ ταῦτα ἀπὸ δογμάτων λαλοῦσιν· ὑμεῖς δὲ τὰ κομψὰ ἀπὸ τῶν χειλῶν· διὰ*

Digitized by Google

τοῦτο ἄτονά ἐστι καὶ νεκρά· καὶ σιιχᾶναί ἐστιν ἀκούοντα ὑμῶν τοὺς προτρεπτικοὺς καὶ τὴν ἀρετὴν τὴν ταλαίπωρον ἢ ἄνω καὶ κάτω θρυλλεῖται.

Haec Epictetus de protrepticis. Marcus Aurelius, Epicteti admirator, in libris *Εἰς ἑαυτόν* (I, 7) rustico dicit se debere *τὸ μὴ ἐκτραπῆναι εἰς ζῆλον σοφιστικὸν μήτε συγγράφειν περὶ τῶν θεωρημάτων ἢ προτρεπτικὰ λογάρια διαλέγεσθαι, ἢ φαντασιοπλήκτως τὸν ἀσκητικὸν ἢ τὸν εὐεργετικὸν ἄνδρα ἐπιδείκνυσθαι.*

Plutarchus in exordio libri qui inscribitur *πολιτικὰ παραγγέλματα*, deridet *τοὺς προτρεπομένους τῶν φιλοσόφων, διδάσκοντας δὲ μηδέν, μηδὲ ὑποτιθεμένους· ὅμοιοι γάρ εἰσι τοῖς τοὺς λύχνους προμύττουσιν, ἔλαιον δὲ μὴ ἐγχέουσιν.*

Haec igitur de sophistarum protrepticis indicaverunt Epictetus, Plutarchus, alii. Quaeritur num ipsi illius saeculi philosophi protrepticos scripsisse vel habuisse putandi sint. Atque Musonii quidem Rufi, Epicteti praeceptoris, protrepticum non novimus, sed exstant eius orationes quae ad protrepticorum similitudinem accedunt, dico eam, ex qua fragmentum affert Stobaeus in fl. 46, 67 s. l. '*ὅτι φιλοσοφητέον καὶ τοῖς βασιλεῦσιν*'. Sententiae quae in hoc fragmento leguntur, mere sunt protrepticae. Eadem dici possunt de Musonii oratione '*ὅτι καὶ γυναιξὶ φιλοσοφητέον*', cuius fragmentum legitur apud Stob. in Exc. Dam. II, 126 = Anth. II p. 244 W.

Epictetus protrepticum non scripsit, etsi totum eius disserendi genus *προτρεπτικόν* est. Nam cum Socratis ratione uteretur, tam Epicteti quam Socratis disputationes quodam modo *προτρεπτικαί* appellari possunt. Sic optime intellegitur Stobaei locus in fl. 97, 28, cui lemma inscribitur: *Ἐκ τῶν Ἀρριανοῦ προτρεπτικῶν ὁμιλιῶν*. Hoc enim titulo Epicteti dissertationes significari, quas Arrianus litteris mandavit, ostendit nuper R. Asmus (Quaest. Epict., Frib. Brisig. 1888 p. 36 sqq.). Ceterum Cynici protreptici exemplum Epictetus praebet in Diss. III, 22 *περὶ Κυνισμοῦ*. Hoc loco postquam quae sit natura et ingenium Cynici genuini exposuit, pergit (26): *δεῖ οὖν αὐτὸν* (sc. *τὸν Κυνικὸν*) *δύνασθαι ἀνατει-*

Digitized by Google

νάμενον, ἂν οὕτω τύχῃ καὶ ἐπὶ σκηνὴν τραγικὴν ἀνερχόμενον λέγειν τὸ τοῦ Σωκράτους· Ὦ ἄνθρωποι, ποῖ φέρεσθε; τί ποιεῖτε; ὦ ταλαίπωροι· ἄλλην ὁδὸν ἀπέρχεσθε, τὴν οὖσαν ἀπολελοιπότες· ἀλλαχοῦ ζητεῖτε τὸ εὕρουν καὶ τὸ εὐδαιμονικόν, ὅπου οὐκ ἔστιν· οὐδ' ἄλλου δεικνύοντος πιστεύετε. Τί αὐτὸ ἔξω ζητεῖτε; ἐν σώματι; οὐκ ἔστιν· εἰ ἀπιστεῖτε, ἴδετε Μύρωνα, ἴδετε Ὀφέλλιον. Ἐν κτήσει; οὐκ ἔστιν· εἰ δ' ἀπιστεῖτε, ἴδετε Κροῖσον· ἴδετε τοὺς νῦν πλουσίους, ὅσης οἰμωγῆς ὁ βίος αὐτῶν μεστός ἐστιν. Ἐν ἀρχῇ; οὐκ ἔστιν. εἰ δὲ μή γε, ἔδει τοὺς δὶς καὶ τρὶς ὑπάτους εὐδαίμονας εἶναι· οὐκ εἰσὶ δέ .... (30) *ἐν βασιλείᾳ; οὐκ ἔστιν, εἰ δὲ μὴ Νέρων ἂν εὐδαίμων ἐγένετο, καὶ Σαρδανάπαλος ....* (31) *Τί οὖν σοι κακόν ἐστιν; ἐκεῖνο, ὅτι ποτέ, ἠμέληταί σου καὶ κατέφθαρται ᾧ ὀρεγόμεθα, ᾧ ἐκκλίνομεν, ᾧ ὁρμῶμεν καὶ ἀφορμῶμεν. Πῶς ἠμέληται; Ἀγνοεῖ τὴν οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ πρὸς ἣν πέφυκε, καὶ τὴν τοῦ κακοῦ· καὶ τί ἴδιον ἔχει, καὶ τί ἀλλότριον κτέ.* Imitatus est Epictetus Socratis protrepticum, quem in Clitophonte legimus (cf. p. 231). Conferendum est cum his quod Cynicus apud Lucianum (in Cyn. cap. VII) exposuit.[1])

Appendicis loco pauca afferenda sunt de Plutarcho. Plutarchus enim protrepticum scripsit quo adulescentem, ut rem publicam capessat, exhortatus est. Supra (p. 310) exscripsi quod Plutarchus in libri *πολιτικὰ παραγγέλματα* initio contra *τοὺς προτρεπομένους* dixit: quod eis exprobavit ipse vitare studens, adulescenti ad quem librum mittit, singula praecepta dat. Sed antea protrepticum ad eum Plutarchum scripsisse, verba docent haec *Ὁρῶ οὖν σε παρωρμημένον ὑπὸ τοῦ λόγου πρὸς πολιτείαν — — — ἀξιοῖς δὲ παραγγέλματα λαβεῖν πολιτικά'*. Simillimum est exordium fragmenti *περὶ μοναρχ. καὶ δημοκρ. καὶ ὀλιγ.* (p. 1007 Duebn.): *Ὁ προτρεπόμενος καὶ διαίρων ἐπὶ πολιτείαν βέβληται λόγος· ἐκτίνωμεν ἤδη τὴν ὀφειλομένην ἐποικοδομοῦντες τῇ προτροπῇ διδασκαλίαν, ὀφείλεται δὲ τῷ παραδεδεγμένῳ τὴν ἐπὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ προτροπὴν καὶ ὁρμήν, ἐξῆς ἀκοῦσαι καὶ λαβεῖν παραγγέλ-*

1) de Epict. III, 22 disseruit Weberus, Stud. Lips. X, 202.

Digitized by Google

ματα πολιτείας κτέ. Videmus igitur Plutarchum philosophorum morem imitatus coniunxisse *τὸν προτρεπτικόν* et *τὸν ὑποθετικὸν λόγον.*

In Lampriae catalogo duo protreptici afferuntur, unus (sub n. 214) *Προτρεπτικὸς εἰς Ἀσκληπιὸν Περγαμηνόν,* alter (sub n. 207 A—E) *Προτρεπτικὸς πρὸς νέον πλούσιον.* Ex hoc altero libro deprompta esse conicio quae Stobaeus habet sub lemmate *Πλουτάρχου κατὰ πλούτου* (fl. 93, 33). Haec enim verba in protrepticum optime quadrant:

fr. XXI Duebn. (Stob. fl. 93, 33 *κατὰ πλούτου*).

Ἀλλ' ἀπληστία καὶ ἄπιστός ἐστιν ἐν αὐτοῖς μανία, τοιούτῳ μὲν ἐνθουσιασμῷ χρῆσθαι περὶ τὴν κτῆσιν, ὡς εἰ κτήσαιντο μηκέτι καμουμένους· τοσαύτῃ δὲ ἀμελείᾳ περὶ τὰ ληφθέντα, ὡς μὴ γενόμενα. Δυσερωτιῶσι δὲ τῶν ἀπόντων, ὑπερορῶντες ὧν ἔχουσιν· οὐδὲν γὰρ οὕτως ἀγαπῶσιν, ὡς ἃ ἐλπίζουσιν. Οὐκ οἶδα πότερον αὐτοῖς ἄμεινόν ἐστιν ἔχειν ἢ προσδοκᾶν· ἔχοντες γὰρ, οὐ χρῶνται· προσδοκῶντες δὲ, κάμινουσι. Τί οὖν ἐπαινοῦμεν τοιοῦτον ἀγαθὸν, οὗ πέρας ἐστὶν οὐδὲν, ἀλλὰ τὸ ληφθὲν ἑτέρων ἀρχή; Confer cum his Boeth. de cons. III, 3.

Nec minus protreptici naturam prae se ferre videtur hoc fr. XXIV Duebn. (Stob. fl. 53, 14 *Πλουτ. ἐκ τοῦ κατ' ἰσχύος*).

Τί δέ σοι τοιοῦτον ἀγαθὸν εὐτυχεῖται μᾶλλον, ὡς ἕνεκα τούτου μητρυιὰν μὲν τῶν ἀνθρώπων, μητέρα δὲ τῶν ἀλόγων ζῴων γεγενῆσθαι τὴν φύσιν, μεγέθους καὶ ὀξύτητος καὶ ὀξυωπίας χάριν; Ἡ δὲ ἀνθρώπων ἴδιος ἰσχὺς ἡ ψυχῆς ἐστι λογισμός, ᾧ καὶ ἐλέφαντας ὑπὸ δρυμὸν εἶλε ποδάγραις, καὶ ἵππους ἐχαλίνωσε, καὶ βόας ἀρότροις ὑπέζευξε, καὶ τὰ ἐναέρια κατέσπασε καλάμοις, καὶ τὰ βύθια δεδυκότα δικτύοις ἀνήγαγε·' τοῦτ' ἔστιν ἰσχύς. Ἡ δ' ἔτι μείζων, ὅταν γῆς περιόδους καὶ οὐρανοῦ μεγέθη καὶ ἀστέρων κύκλους διώκουσα μὴ κάμῃ· ταῦτ' ἦν Ἡρακλέους ἄξια· τίς γὰρ οὐκ ἂν βούλοιτο μᾶλλον Ὀδυσσεὺς εἶναι ἢ Κύκλωψ; Locos consimiles e protrepticis petitos infra afferam.

Delapsi sumus temporum ratione ad eam aetatem, qua imperatorum Romanorum studio ac favore rhetores ac sophistae

Digitized by Google

scholarum umbris relictis novo splendore artes suas inter homines exercuerunt. Ut Gorgiae et Protagorae olim aetate sophistae omnes fere litterarum disciplinas comprehenderant, ita tunc quoque eorum studia magna apud homines auctoritate et gratia florere coeperunt. Ac vide, quae olim inter rhetoricae et philosophiae exstiterat artissima coniunctio, renata est his Caesarianis temporibus. Quid igitur mirum quod protreptici, quos ex orbe virorum qui simillimis studiis temporibus quidem et condicionibus mutatis animos hominum moverant, ortos esse diximus, in hoc quoque sophistarum theatro exsultaverunt? Atque quamvis increpent et illudant hos declamatores strenui philosophi ut Seneca (epist. 52), Musonius (Gell. V, 1), Epictetus (diss. III, 23): ipsi in dissertationibus suis ab illorum dicendi ratione non multum absunt. Omnes enim huius aetatis philosophi philosophiam ob eam rem tractari voluerunt, ut hominum mores confirmarentur et emendarentur; neque logicam neque naturalem philosophiae partem probant nisi inde, ut aliquid utilitatis conferatur ad hominum vitam recte agendam, quare omnes multi sunt in disputando contra morum pravitatem et vitia generis humani.

Iam omnes illae orationes sive ab rhetore sive a philosopho sunt habitae, quibus demonstratur res fragiles esse quas homines in bonis numerent, velut sanitatem libertatem gloriam nobilitatem divitias pulchritudinem patriam, quarum loco commendatur *ἡ αὐτάρκεια;* deinde quibus monemur, ut quod in nobis sit divinum atque immortale excolamus, spernamus ea quae externa et in casu sint: omnes, inquam, hae orationes habent cum protrepticis quandam similitudinem.

Inprimis Dionis Chrysostomi orationes paraeneticae *τὸν προτρεπτικὸν χαρακτῆρα* prae se ferunt, nomen vero protreptici nulla habet. Ac profecto neque Exhortationes ad plebem hoc loco in censum veniunt neque homiliae illae Dionis, quas Weberus *προτρεπτικοὺς λόγους* significavit (l. c. p. 233 sqq.). Nam quo iure vir doctus Dionis orationes III, VI, IX Rohdii auctoritatem secutus protrepticos dixerit, ego nescio neque ipse satis demonstrasse videtur: nihil prorsus

Digitized by Google

in illis inest, unde protreptici naturam et indolem cognoscere possis. Multo rectius Weberus in oratione XIII protrepticum invenire potuit. In hac enim oratione Dio narrat, quo modo ipse ad philosophiam provocatus ac necessitate quadam, ut ad praecepta philosophiae et ad mores corrigendos attenderet, coactus sit. Cum vero adhuc indoctior esset quam ut propriam exponeret prudentiam, dicit usurpasse se sermonem a Socrate quodam dictum (424 R) *ὃν οὐδέποτε ἐκεῖνος ἐπαύσατο λέγων, πανταχοῦ τε καὶ πρὸς ἅπαντας βοῶν — — ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς θεός, ὡς ἔφη τις.*

Quae sequitur oratio, eam Duemmlerus (in Antisthenicis p. 8—11) ex Antisthenis Archelao fluxisse credidit, quod falsum esse haec docet comparatio:

Dio Chrys. or. XIII, 424 R.:

ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς θεός — — ἐβόα πάνυ ἀνδρείως τε καὶ ἀνυποστόλως· Ὦ ἄνθρωποι, ἀγνοεῖτε μηδὲν τῶν δεόντων πράττοντες, χρημάτων μὲν ἐπιμελούμενοι καὶ πορίζοντες πάντα τρόπον, ὅπως αὐτοί τε ἄφθονα ἔχητε καὶ τοῖς παισὶν ἔτι πλείω παραδώσετε, αὐτῶν δὲ τῶν παίδων καὶ πρότερον ὑμῶν τῶν πατέρων ἠμελήκατε ὁμοίως ἅπαντες, οὐδὲ μίαν εὑρόντες. — παίδευσιν — — ἣν παιδευθέντες δυνήσονται τοῖς χρήμασι χρῆσθαι κτέ.

Pseudoplat. Clitoph. 407:

ὥσπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεός, ὕμνεις λέγων·

ποῖ φέρεσθε, ὦ ἄνθρωποι, καὶ ἀγνοεῖτε οὐδὲν τῶν δεόντων πράττοντες, οἵτινες χρημάτων μὲν πέρι τὴν πᾶσαν σπουδὴν ἔχετε, ὅπως ὑμῖν ἔσται, τῶν δ' υἱέων οἷς ταῦτα παραδώσετε, ὅπως ἐπιστήσονται χρῆσθαι δικαίως τούτοις, ἀμελεῖτε κτέ.

Si igitur Dio (431) dicit *'εἰσὶν οἱ λόγοι οὗτοι ἀνδρὸς ὃν οἵ τε Ἕλληνες ἐθαύμασαν ἅπαντες ἐπὶ σοφίᾳ καὶ δὴ καὶ ὁ Ἀπόλλων σοφὸν αὐτὸν ἡγήσατο'* — non aptum est de alio cogitare ac Socrate. Protrepticum esse Socratis orationem, quam Dio profert, ipse dicit 431 R (p. 249, 10): *καὶ οὕτω*

Digitized by Google

δὴ παρεκάλει πρὸς τὸ ἐπιμελεῖσθαι καὶ προσέχειν αἱτῷ τὸν νοῦν [καὶ φιλοσοφεῖν]· ᾔδει γὰρ ὅτι τοῦτο ζητοῦντες οὐδὲν ἄλλο ποιήσουσιν ἢ φιλοσοφήσουσι κτέ. In fine orationis, postquam Socratis protrepticum enarravit, sententias addit quibus ipse in protrepticis usus est, non coram duobus vel tribus hominibus verba faciens, ut Socrates (432 R p. 250, 4 Dind.), sed praesentibus permultis hortans 'ὅτι δέονται παιδείας χρείττονος καὶ ἐπιμελεστέρας, εἰ μέλλουσιν εὐδαίμονες ἔσεσθαι' κτέ.

Hoc loco afferam protreptici fragmentum quod invenitur in libello Pseudoplutarcheo [1]) περὶ παίδων ἀγωγῆς. Declamationis auctor in cap. VIII (5[d]) inseruit laudationem τῆς παιδείας, quae sententiis pervulgatis et in protrepticis maxime usitatis consarcinata est. Locum propono:

— — — καὶ τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπινα καὶ μικρὰ καὶ οὐκ ἀξιοσπούδαστα καθέστηκεν. εὐγένεια καλὸν μέν, ἀλλὰ προγόνων ἀγαθόν· πλοῦτος δὲ τίμιον μέν, ἀλλὰ τύχης κτῆμα, ἐπειδὴ τῶν μὲν ἐχόντων πολλάκις ἀφείλετο, τοῖς δ' οὐκ ἐλπίσασι φέρουσα προήνεγκε, καὶ ὁ πολὺς πλοῦτος σκοπὸς ἔκκειται τοῖς βουλομένοις βαλάντια τοξεύειν, κακούργοις οἰκέταις καὶ συκοφάνταις, καὶ τὸ μέγιστον, ὅτι καὶ τοῖς πονηροτάτοις μέτεστι. δόξα γε μὴν σεμνὸν μέν, ἀλλ' ἀβέβαιον. κάλλος δὲ περιμάχητον μέν, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον. ὑγιεία δὲ τίμιον μέν, ἀλλ' εὐμετάστατον. ἰσχὺς δὲ ζηλωτὸν μέν, ἀλλὰ νόσῳ εὐάλωτον καὶ γήρᾳ. τὸ δὲ ὅλον εἴ τις ἐπὶ τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ φρονεῖ, μαθέτω γνώμης διαμαρτάνων. πόστον γάρ ἐστιν ἰσχὺς ἀνθρωπίνη τῆς τῶν ἄλλων ζῴων δυνάμεως; λέγω δὲ οἷον ἐλεφάντων καὶ ταύρων καὶ λεόντων. παιδεία δὲ τῶν ἐν ἡμῖν μόνον ἐστὶν ἀθάνατον καὶ θεῖον. καὶ δύο τὰ πάντων ἐστι κυριώτατα ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει, νοῦς καὶ λόγος. καὶ ὁ μὲν νοῦς ἀρχικός ἐστι τοῦ λόγου, ὁ δὲ λόγος ὑπηρετικὸς τοῦ νοῦ, τύχῃ μὲν ἀνάλωτος, συκοφαντίᾳ δὲ ἀναφαίρετος, νόσῳ δ' ἀδιάφθορος, γήρᾳ δ' ἀλύμαντος. μόνος γὰ ὁ νοῦς παλαι-

1) 'libellum istum non esse scriptum a Plutarcho non magis Wyttenbach quam Benseler Schellens Fuhr demonstraverunt: actam esse causam etiam tirones clamant', Gercke de Gal. et Pl. in *Mus. Rhen.* 41 p. 471.

Digitized by Google

οὐμενος ἀνηβᾷ, καὶ ὁ χρόνος τἄλλα πάντ' ἀφαιρῶν τῷ γήρᾳ προστίθησι τὴν ἐπιστήμην. Habemus hoc loco protreptici quasi summarium, simillimum ei quod apud Boethium (de cons. III, 8, 4—30) legimus (cf. p. 269 extr.).

E protreptico desumpta est etiam philosophiae laudatio quae in eiusdem libelli cap. X (7 [d]) sequitur:

διὸ δεῖ τῆς ἄλλης παιδείας ὥσπερ κεφάλαιον ποιεῖν τὴν φιλοσοφίαν. περὶ μὲν γὰρ τὴν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν διττὰς εὗρον ἐπιστήμας οἱ ἄνθρωποι, τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν γυμναστικήν, ὧν ἡ μὲν τὴν ὑγιείαν ἡ δὲ τὴν εὐεξίαν ἐντίθησι. τῶν δὲ τῆς ψυχῆς ἀρρωστημάτων καὶ παθῶν ἡ φιλοσοφία μόνη φάρμακόν ἐστι. διὰ γὰρ ταύτην ἐστὶ καὶ μετὰ ταύτης γνῶναι τί τὸ καλὸν τί τὸ αἰσχρόν, τί τὸ δίκαιον κτἑ.

Transeo ad Galeni protrepticum, librum 'suavissimum et lectu perdignum', quem recte dicit novissimus editor Ioannes Marquardt.[1]) Huius libelli cum codex manu scriptus adhuc non inventus sit, adeamus necesse est editiones veteres quae protrepticum praebent hoc titulo inscriptum: *Γαληνοῦ παραφραστοῦ τοῦ Μηνοδότου προτρεπτικὸς λόγος ἐπὶ τέχνας.* Menodotum, Empiricorum principem et Aenesidemi successorem (Strabo XII, 5, 1[b]. Laert. Diog. IX, 115) Galenus non memorat nisi ut eum refellat (vide indicem, in vol. XX ed. Kuehn.). In libro *περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* cap. 9 (XIX, 38 K.) Galenus quae contra Empiricos scripsit afferens, praeter alios libros commemorat hos: '*Περὶ τῶν Μηνοδότου Σεβήρῳ ἕνδεκα, ὑπομνήματα γ' εἰς τὸ Μηνοδότου Σεβήρῳ*[2]), quem titulum excipit hic: *Προτρεπτικὸς ἐπὶ ἰατρικήν.* Quod nusquam alibi neque in libro *περὶ τῶν ἰδ. βιβλ.* neque in *περὶ τάξεως τῶν ἰδ. βιβλ.* Galenus protreptici mentionem facit, Goulstonus et Willetus[3]) censuerunt librum '*προτρεπτικὸς ἐπὶ ἰατρικήν*' quem suum agnovit Galenus, et hunc libellum unum esse

1) Galeni scripta minora, vol. I ex recogn. Ioannis Marquardt. Lips. 1884. (p. XXV.)

2) huius operis mentionem fecit Galenus in 'libro de subfigur. empir.' p. 64, 5. p. 66, 19 ed. Bonnet.

3) *Γαληνοῦ προτρ. ἐπὶ τέχνας,* ed. Abrah. Willet, Lugd. Bat. 1812.

Digitized by Google

opus idemque. At quem nos tenemus, non est protrepticus *ἐπὶ ἰατρικήν*, sed *ἐπὶ τέχνας*; ad idem igitur opus temere viri docti hos libros rettulerunt. Neque tamen longe eos a vero aberrasse credo, nam persuasum mihi est protrepticum *ἐπὶ τέχνας* prooemii loco a Galeno praemissum esse cohortationi ad medicinam.[1]) Argumenta quibus haec sententia confirmetur habeo tria: primum, id quod omnes viderunt, ad libelli calcem auctor optimam esse artem medicinam se deinceps demonstraturum esse pollicetur (p. 129, 28 ed. Marqu. *τοῦτο δ' αὐτὸ δειχτέον ἐφεξῆς*). Deinde initio artes enumerans primam Aesculapii artem nominavit (p. 104, 1), etiamsi hoc quidem loco philosophiae primitias dare periclitatur. Hoc recte animadvertit Gerckius (Mus. Rhen. XLI p. 470). Accedit tertium, quod nemo vidit: in cap. IX postquam Galenus in universum ad artes discendas adhortatus est, quaestionem instituit de athletarum negotio his verbis (p. 116, 21): *τὸ δὲ τῶν ἀθλητῶν ἐπιτήδευμα μόνον ὑποπτεύω, μή ποτ' ἄρα τοῦτο — — ἐξαπατήσῃ τινὰ τῶν νέων ὡς προχριθῆναί τινος τέχνης. Ὅθεν ἄμεινον προδιασκέψασθαι περὶ αὐτοῦ.* Verbo *προδιασκέψασθαι* usus non esset Galenus, si ampliora non editurus fuisset. Itaque hoc pro certo affirmari potest, Galeni protrepticum quem habemus, partem esse operis ad medicinam artem exhortantis.

Videtur autem Galenus aliquo modo Empiricis adversatum esse in protreptico. Nam etsi nihil confido titulo illi, quem editiones habent, a grammatico ficto, qui librorum titulos a Galeno (de libr. propr. 9) enumeratos falso enotavit, miror tamen quod in capite illo nono Galenus nullos affert libros nisi qui de Empiricorum secta vel contra eam scripti sunt. Puto igitur cohortationis ad medicinam partem deperditam Empiricis quodam modo oppositam fuisse. Quos cum eas medicinae partes, quas Graeci *ἀνατομίαν* et *φυσιολογίαν* no-

1) Hoc apud me constabat cum nondum legissem ea quae Crusius disseruit de Plutarcho et Galeno in *Mus. Rhen.* XXXIX, 582. Assentitur in hac re etiam Gerckius (in *Mus. Rhen.* XLI, 470), qui Crusii de Plutarcho Galeni in protrept. auctore coniecturam recte refutavit.

Digitized by Google

minant, contempsisse sciamus [1]), facile has disciplinas inprimis praedicaverit Galenus. Atque omnino quod Galenus ad eas artes quae in inspectione, id est cognitione et aestimatione positae sunt, valde exhortatus est, res ipsa tulit ut Empiricis adversaretur.

Haec si recte disputata sunt, Galeni *προτρεπτικὸς ἐπὶ ἰατρικήν* in tres partes divisus est: prima enim ad artem ediscendam omnino cohortabatur, altera athletarum negotium non aptum esse et ab arte alienissimum demonstrabat, tertia ad medicinam artium summam incitabat. Huius igitur operis exhortatorii exstant partes priores, quae pro argumenti natura a parte tertia separatim et legebantur et describebantur. Tripertitum autem si opus hoc modo fuit, optime libri imago cum aliorum protrepticorum indole ac natura convenit, in quibus et *ἐλεγκτικόν* et *ἐνδεικτικὸν λόγον* inesse vidimus (p. 293. 302).

Accedimus nunc ad libri argumentum, in quo tractando id specto, ut et quae sententiae in protrepticis usitatae sint exponam et huius libri cum aliis eiusdem generis cognationem ostendam.

Proficiscitur Galenus a discrimine quod est inter reliqua animalia et hominem: Stoicorum ratione bestiis tribuitur *ὁ λόγος προφορικός*, hominibus *ὁ λόγος ἐνδιάθετος*, quo omnibus animalibus homo antecellit. Homo enim non solum peritus est earum artium quas bestiae naturae magis instinctu quam voluntate callent, velut texendi, fingendi, nandi; sed divinis quoque artibus eruditus est Aesculapii, Apollinis, nec geometriam nec astronomiam ignorat; quin etiam tantus eius est cognoscendi amor, ut summum sibi comparaverit, philosophiam. Quam ob rem, etiam si mente praedita sint animalia, homo tamen solus appellatur *λογικός* (cap. I).

Philosophiam summum bonum esse a dis ipsis hominibus datum, saepe exponitur in protrepticis. Sententia est Platonis in Timaeo (47[b]): *ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν οὔτε ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει*

1) de Empiricis cf. Wittweri *Archiv* I, 3 sqq.

Digitized by Google

δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Cf. Ciceronis locos, quos Posidonio tribuimus in Tusc. disp. I, 26, 64. de legg. I, 22, 58. etiam Acad. prior. I, 2, 8.

Nonne igitur turpe est spretis eis, quibus cum deis coniuncti sumus, Fortunae se dare mutabili ac variae? Quam recte antiqui specie finxerunt mulieris caecae in globo gubernaculum tenentis.

Depingitur deinde ἡ *Τύχη* eodem fere modo atque in Cebetis tabulae cap. VII: *ἡ δὲ γυνὴ ἐκείνη τίς ἐστιν, ἡ ὥσπερ τυφλὴ καὶ μαινομένη τις εἶναι δοκοῦσα, καὶ ἑστηκυῖα ἐπὶ λίθου τινὸς στρογγύλου καλεῖται μὲν Τύχη. ἔστι δὲ οὐ μόνον τυφλή, ἀλλὰ καὶ μαινομένη καὶ κωφή.* Similia leguntur apud Plutarchum, de fort. Rom. II, 317ª et ᵇ apud Dionem Chrysost. 63 p. 205 Dind. et 65 p. 218. Cf. etiam Simpl. Phys. I p. 81 B, Pacuv. apud Auct. ad Her. II, 33.

Proponit in cap. IV et V Galenus picturam lepidissimam, in qua iambici poematis vestigia observavit Crusius (in Mus. Rhen. XXXIX, 586). Hac parte Fortunae catervam aspicimus, illac Mercurii comitatum, mentis domini artiumque magistri. Dei deaeque habitus ac species accurate describitur. Mercurii facies fingitur ad *Παιδείας* similitudinem, quae est apud Cebetem in tabulae cap. XVIII. In Tychae comitatu invenies pigros atque imprudentes, vanasque spes sequentes velut Croesum, Polycratem, Cyrum, Priamum, Dionysum, deinde seditiosos homines, perfidos, alios nefarios. Mercurium secuntur honesti, artium amatores, docti; deo proximi sunt Socrates, Homerus, Hippocrates, Platon eorumque amici; his adiuncti sunt geometri, arithmetici, philosophi, medici, astronomi, grammatici; agmen denique claudunt pictores, sculptores, magistri, architecti, lapicidae, alii artifices: qui omnes intuentur quem secuntur deum.

Mercurius hoc loco est Graecorum *Ἑρμῆς Λόγιος*, qui a rhetoribus ac philosophis etiam *ἑρμηνεύς*, *νοῦς*, *λόγος προφορικός* dicebatur (O. Mueller *Handb. d. Arch.* 587. 589, 4. Welcker *Götterlehre* II, 453. Preller *Myth. d. Gr.* 339 sq.).

Digitized by Google

Neminem de suis Mercurium destituere, Galenus Aristippi exemplo demonstrat, cuius dictum a Vitruvio (de arch. VI) quoque refertur. Hac cum re male consentit quod Aristoteles (Metaph. II, 2) narrat Aristippum contempsisse mathematicam. Similem narratiunculam Cicero habet de rep. I, 17, 29. Antistheni vero tributum legitur Aristippi dictum apud Laert. Diog. VI, 1, 6.

Deinceps Galenus neque ob divitias (cap. VI) neque ob nobilitatem (cap. VII) neque ob pulchritudinem (cap. VIII) artium studium spernendum esse ostendit. Haec enim bona non sunt nisi animi virtus ac scientia accedat.

Haec est argumentandi illa ratio quam in omnibus protrepticis redire videmus: velut apud Platonem (Euthyd. 281^{b} sqq.), Aristotelem (Iambl. protr. p. 132, Stob. flor. 3, 54), Ciceronem in Hortensio (fr. 68—72), Boethium (de consol. II, 5—7. III, 3—7), Pseudoplutarchum (*περὶ παίδων ἀγωγῆς* cap. VIII), Epictetum (III, 22, 27).

In cap. VI divitis imaginem exprimit, qui plura semper bona appetens se ipsum abicit ac prosternit. Is enim cum animalium brutorum ea praeferat, quae artem callent, sicuti canes venaticos, equos militares, servosque sibi comparet magno pretio, qui artem factitant, nonne inquit turpe est (p. 109, 1): *τὸν οἰκέτην μὲν ἐνίοτε δραχμῶν εἶναι μυρίων ἄξιον, αὐτὸν δὲ τὸν δεσπότην αὐτοῦ μηδὲ μιᾶς; καὶ τί λέγω μιᾶς; οὐδ' ἂν προῖκά τις τὸν τοιοῦτον λάβοι.*

Habemus sententiam e protreptico Aristotelis petitam, cf. Stob. fl. 3, 54 *ὥσπερ γὰρ εἴ τις τῶν οἰκετῶν αὑτοῦ χείρων εἴη, καταγέλαστος ἂν γένοιτο κτέ.*

Accuratius Galeni verba Clemens Alex. tetigit in Paedag. III, 6 (p. 274 Potter.): *μή πη ἄρα καὶ πρὸς ἡμᾶς φήσῃ τις, ὁ ἵππος αὐτοῦ πεντεκαίδεκα ταλάντων ἐστὶν ἄξιον ἢ τὸ χωρίον ἢ ὁ οἰκέτης ἢ τὸ χρυσίον, αὐτὸς δὲ χαλκῶν ἐστιν οὐ τιμιώτερος τριῶν.* Cf. ibid. III, 2, 10 et 11.

Similis locus est apud Epictetum (Diss. III, 26, 25): *διὰ τί δ' οὕτως ἄχρηστον καὶ ἀνωφελῆ σεαυτὸν παρεσκεύασας ἵνα μηδείς σε εἰς οἰκίαν θέλῃ δέξασθαι, μηδεὶς ἐπιμεληθῆναι;*

Digitized by Google

ἀλλὰ σκεῦος μὲν ὁλόκληρον καὶ χρήσιμον ἔξω ἐρριμμένον πᾶς τις εὑρὼν ἀναιρήσεται, καὶ κέρδος ἡγήσεται, σὲ δ' οὐδείς, ἀλλὰ πᾶς ζημίαν· οὕτως οὐδὲ κυνὸς δύνασαι χρείαν παρασχεῖν, οὐδ' ἀλεκτρυόνος. Τί οὖν ἔτι ζῆν θέλεις, τοιοῦτος ὤν; cf. Epicteti fragm. XXVI (III p. 74 Schweigh.).

Haec Galenus illustrat dicta afferens virorum illustrium. Demosthenes divites qui rudi animo sunt appellavit *χρυσᾶ πρόβατα*. Simile est quod Laert. Diog. VI, 74 de Diogene narrat (*τὸν πλούσιον ἀμαθῆ πρόβατον εἶπε χρυσόμαλλον*), et quod Socratis fertur apud Stobaeum in Anthol. II, 31, 46 p. 209 W. — Diogenes eosdem comparavit cum fici arboribus in loco declivi positis: quarum fructus ut corvi comedunt, sic divitum opes adulatores. Idem narrat Laert. Diog. VI, 60 et Stob. fl. 92, 13; Crateti adscribitur hoc dictum apud Stob. fl. 15, 10. — Tertium addit Galenus (p. 109, 25) hoc: *ὅθεν οὐδ' ὁ ταῖς κρήναις τοὺς τοιούτους εἰκάσας ἄμουσός τις ἦν. καὶ γάρ τοι καὶ οἱ ἀπὸ τῶν κρηνῶν ὑδρευόμενοι πρόσθεν, ἐπειδὰν μηκέτ' ἔχωσιν ὕδωρ ἀνασυράμενοι προσουροῦσι.* Quem dicit Galenus *τὸν οὐκ ἄμουσον* neque hoc loco neque alio (p. 127, 13) ubi *οὐκ ἀμούσων τινός* versus quosdam affert, compertum habemus. Probabile est id quod Hauptius (Herm. IV, 28) dicit, Galenum aequalem laudavisse.[1])

In cap. VII Galenus refellit eos qui generis nobilitati confidunt. Quae de hac re disputat, ad Aristotelem referenda sunt, qui in Rhet. 1390[b] 8 haec habet: *εὐγενείας μὲν οὖν ἦθός ἐστι τὸ φιλοτιμότερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν· ἅπαντες γὰρ ὅταν ὑπάρχῃ τι, πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν, ἡ δ' εὐγένεια ἐντιμότης προγόνων ἐστὶν κτέ.* Cf. Polit. 1284, 34.[2]) Hoc iudicium Aristoteles in protreptico iteravit, ex quo Boethius haurire videtur de cons. III, 6, 18: ‘iam vero quam sit inane quam futtile nobilitatis nomen, quis non videat? quae si ad claritudinem refertur, aliena est. videtur namque esse nobilitas quaedam de meritis veniens laus parentum. Quod

1) Cf. etiam Brandt, Corp. poes. ep. Gr. ludib. fasc. I p. 108.
2) Cf. Immisch, Comment. Ribbeck. p. 83.

Digitized by Google

si claritudinem praedicatio facit, illi sint clari necesse est qui praedicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut inposita nobilibus necessitudo videatur, ne a maiorum virtute degeneret.

Homo nequam, ait Galenus, qui maiorum gloria nititur, nequitiam facit insigniorem (cf. Cic. de off. II, 13, 44). Itaque qui nobili loco natus est, artem exerceat oportet, qua re nunquam deformabit gentem; nec minus qui infimo loco, cuius nomen artis studio quam maxime ornabitur.

Explanavit haec, ut solet, apophthegmatis additis. Themistoclis dictum (p. 111, 17) non multum differt ab Iphicrateo apud Stob. fl. 86, 15; cf. Pseudoplut. vol. V p. 78, 27 Dueb. Anacharsidis illud (p. 111, 24) invenitur apud Laert. Diog. I, 8, 5. Stob. fl. 86, 16. Apophth. Vind. 69. Quod Galenus dicit viros non illustrari patriae nomine, verum patriam virorum in ea natorum gloria claram fieri, hoc exemplis demonstravit in hisce commentationibus tritissimis: Anacharsidis scilicet Scytharumque, Pindari ac Boeotiae, Aristotelis et Stagirorum. Eisdem ad eandem rem usus est Themistius in or. XXVII, 334c. 337c.

In cap. VIII pulchritudo corporis quam fugax sit, Galenus disputat. Compara haec:

Galenus protr. p. 113, 11:	Boethius e protreptico hauriens (de cons. III, 8, 19):
Ἀμεινον οὖν ἐστιν ἐγνωκότας τὴν μὲν τῶν μειρακίων ὥραν τοῖς ἡρινοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαν ὀλιγοχρόνιόν τε τὴν τέρψιν ἔχουσαν — —	formae vero nitor ut rapidus est ut velox et vernalium florum mutabilitate fugacior?

In fine huius partis Galenus *οἷον ἀγαθόν τινα ἐπῳδόν* (p. 115, 16) Diogenis factum narrat vere cynicum. Diogenes enim apud divitem cenans, qui res suas optime quidem comparatas et splendide ornatas habebat, semet ipsum vero abiciebat, screavit sputumque in eum coniecit, quod nihil in

Digitized by Google

domo tam neglectum ac sordidum vidisset quam dominum ipsum.

Idem legitur apud Laert. Diog. VI, 2, 32 et in epist. Diog. 38, 5 p. 253 Herch. Contra ab Aristippo hoc factum esse dicit Laert. Diog. II, 75. Similia habes apud Apuleium de deo Socr. II p. 170; cf. epigramma apud Riesium 443.

Auch in c. 1 muss in den Worten ‘qui verum proverbium fecerat, aut regem aut fatuum nasci oportere’ vor *verum* etwas ausgefallen sein; nur möchte ich nicht mit Mommsen und Birt *bis* einschieben, sondern *bifariam*. Denn nicht zweimal hat der dummköpfige Kaiser das Sprichwort wahr gemacht, wohl aber zwiefältig oder doppelt, weil er eben zugleich König und Dummkopf ist (nicht *aut — aut*, sondern *et — et*). Dagegen würde die von Kraffert a. a. O. befürwortete Einfügung eines *regem* auch vor *aut regem* nicht bloss das bekannte Sprichwort in ein unbekanntes verwandeln, sondern auch jeden Witz glücklich vernichten.

Digitized by Google

Zum Schluss noch ein paar vereinzelte Besserungsvorschläge. In c. 3 wird dem Verständniss durch Aenderung der Interpunction aufzuhelfen sein. Die Worte 'et tamen non est mirum, si errant et horam eius nemo novit; nemo enim unquam illum natum putavit' enthalten eine kleine logische Unrichtigkeit. Denn der Satz 'horam eius nemo novit' knüpft nicht bloss etwas Neues an, sondern giebt zugleich den Grund des Vorhergehenden: weil seine Geburtsstunde Niemand kennt (das ist doch nothwendig *hora*), ist es — nach den Lehren der Horoskopie — auch nicht möglich, seine Todesstunde mit Sicherheit vorauszusagen; und ausserdem enthält der mit *enim* angehängte letzte Satz doch nur die Begründung des unmittelbar Vorhergehenden 'horam eius nemo novit'. In dieser Satire, welche die asyndetische Verbindung bevorzugt und sie auch öfters bei causalem Verhältniss anwendet, ist die logische Verknüpfung der Gedanken richtig zum Ausdruck gebracht, wenn wir interpungiren: 'non est mirum, si errant; et horam eius nemo novit', d. h. 'es ist nicht verwunderlich, wenn sie (betreffs seiner Todesstunde) irren; kennt doch auch Niemand seine Geburtsstunde'. Die Ausdrucksweise *et — non* für *ne — quidem* findet sich auch sonst bei Seneca, z. B. epist. 84, 2 'ego vero et in ipsa suffocatione non desii'.

Cap. 8 ist die Rede eines Gottes wiedergegeben, der sich gegen Hercules mit ziemlich heftigen Worten wendet. Hier ist noch manches zu erklären und zu bessern, was ich heute nicht berühre. Nur zwei Kleinigkeiten, die sich kurz abthun lassen, will ich noch besprechen.

'Si mehercules', sagt der Gott, komischer Weise bei Hercules schwörend, den er angreift, 'a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebravit Saturnalicius princeps, non tulisset illud, nedum ab Iove, quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti'. Hier steht statt der gesperrten Worte in dem Sang. und Val. *illum deum ab iove* (so Val., *iovem* Sang.) *qui:* die oben wiedergegebene Emendation stammt von Gronov und ist von Bücheler acceptirt. Birt p. XV tadelt dabei das überflüssige *illud* und schlägt vor:

Digitized by Google

illum deum? abi! Iovem qui (oder *qui Iovem*). Damit geht aber, was hier unerlässlich ist, die Gegenüberstellung von Saturnus und Jupiter als Götter, an die sich das Gesuch des Claudius um Apotheose richtet, verloren. Der nicht ohne Grund von Birt erhobene Anstoss lässt sich dagegen leicht beseitigen, wenn man noch dazu mit engerem Anschluss an die Ueberlieferung schreibt *ille*, *nedum ab Iove*. Es verdient dabei hervorgehoben zu werden, wie in cap. 6 und 8, cap. 14 und 15 Claudius immer und immer wieder mit *ille* bezeichnet wird. Auch die Wiederholung des Pronomens in demselben kleinen Satz ist nicht anstössig; gerade so lasen wir cap. 5 Ende die Worte: 'putares omnes illius esse libertos, adeo illum nemo curabat'. (Es wäre deshalb auch cap. 15 p. 236, 23 nicht nöthig, das zweite *illum* mit Bücheler einzuklammern, eher das folgende *ab illo* in *ab ipso* zu ändern.)

Beiläufig mag hier noch die Bemerkung eingeschoben werden, dass es sich eben mit Rücksicht auf diesen Gebrauch in cap. 14 empfiehlt, dem Sätzchen 'advocatum non invenit' sein Subject, das in der That, da lauter andere Subjecte vorausgehen, nicht wohl entbehrt werden kann, wiederzugeben, indem man im Anfang ⟨*ille*⟩ einschiebt, zumal dies nach den griechischen Worten KON I C T E leicht von dem Schreiber übersehen werden konnte, leichter jedenfalls, als das von Birt p. XVI vorgeschlagene ⟨*reus*⟩. Das was am allernächsten läge, nämlich *iste*, scheint eben durch die obige Observatiuncula ausgeschlossen.

Am Ende der Rede ist überliefert 'quid in cubiculo suo faciat, nescit'; das ist doch wohl selbst von Claudius etwas zu viel behauptet und vor allem es trifft nicht: gemeint ist, dass er nicht einmal von dem, was in seinem eigenen Schlafgemach vorging, d. h. von den bekannten Ausschweifungen der Messalina etwas merkte (*μόνος οὐκ ἠπίστατο τὰ ἐν τῷ βασιλείῳ δρώμενα* sagt Cass. Dio XL 28). Also dächte ich doch, schrieben wir lieber *faciant*.

C. Wachsmuth.

Digitized by Google

Zu Demosthenes.

Der seit den Tagen der Scholiasten für besonders schwierig geltenden Stelle der Demosthenischen Kranzrede, mit der die *προκατασκευή* beginnt, haben zuletzt Schömann eine besondere Abhandlung in den Jahrbüchern für Philologie (XCIX S. 755 ff.) und W. Schmid einen wesentlichen Theil seiner Bemerkungen zur Kritik und Exegese der Rede gewidmet, die im letzten Hefte des Philologus (XLVII S. 427 ff.) gedruckt sind.[1]) Der eine wie der andere Erklärungsversuch kann ebenso wenig befriedigen, als die Deutungen der Herausgeber, die man in Fox bekanntem Buche bequem zusammengestellt und mit einer neuen vermehrt findet. Aber bei dem unlängst von anderer Seite geäusserten Worte, dass die Stelle noch immer jedem Versuche einer befriedigenden Erklärung trotze, darf es um so weniger sein Bewenden haben, je näher mir von jeher die richtige Lösung zu liegen schien.

Es handelt sich um § 12 und 13, die ich hersetze, wie sie meiner Meinung nach ohne Abgehn von der handschriftlichen Ueberlieferung zu schreiben sind: *Τὰ μὲν οὖν κατηγορημένα πολλὰ καὶ περὶ ὧν ἑνίων μεγάλας καὶ τὰς ἐσχάτας οἱ νόμοι διδόασι τιμωρίας· τοῦ δὲ παρόντος ἀγῶνος ἡ προαίρεσις αὐτὴ ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει καὶ ὕβριν καὶ προ-*

1) Schmids Vermuthung zu § 18 beruht nur auf Missverständniss meiner Note zu der Stelle, seine Vertheidigung der Wortfolge *ἀλλὰ τὸ καὶ τῇ τάξει* § 2 auf der unzulässigen Voraussetzung, dass auch so *ἀλλὰ καὶ* zusammengehören können, während seine Vertretung des folgenden *καὶ τῇ ἀπολογίᾳ* gegen Useners Conjectur den springenden Punkt nicht trifft, dass unter *οἱ ἀγωνιζόμενοι* nach Demosthenischem Sprachgebrauch vorzugsweise die Angeklagten zu verstehen sind.

Digitized by Google

πηλαικισμὸν ὁμοῦ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα· τῶν μέντοι κατηγοριῶν καὶ τῶν αἰτιῶν τῶν εἰρημένων, εἴπερ ἦσαν ἀληθεῖς, οὐκ ἔχει τῇ πόλει δίκην ἀξίαν λαβεῖν, οὐδ' ἐγγύς. (13) *οὐ γὰρ ἀφαιρεῖσθαι δεῖ τὸ προσελθεῖν τῷ δήμῳ καὶ λόγου τυχεῖν, οὐδ' ἐν ἐπηρείας τάξει καὶ φθόνου τοῦτο ποιεῖν· οὔτε μὰ τοὺς θεοὺς ὀρθῶς ἔχον οὔτε πολιτικὸν οὔτε δικαιόν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι· ἀλλ' ἐφ' οἷς ἀδικοῦντά μ' ἐώρα τὴν πόλιν, οὗσί γε τηλικούτοις ἡλίκα νῦν ἐτραγῴδει καὶ διεξῄει, ταῖς ἐκ τῶν νόμων τιμωρίαις παρ' αὐτὰ τἀδικήματα χρῆσθαι κ. τ. λ.*

Ueber den Gedanken von § 12 wird kaum noch ein Zweifel bestehen. So zahlreich und schwer auch die von Aischines erhobenen Beschuldigungen sind, so gewährt doch die von ihm angestellte Klage ihm wohl die Möglichkeit, seinen Gegner zu beschimpfen, nicht aber dessen angebliche Verbrechen gegen den Staat zur Ahndung zu bringen. Also den Widerspruch zwischen der Schwere der von Aischines vorgebrachten Anklagen und den möglichen Folgen des Rechtsstreits hervorzuheben, die Unmöglichkeit nachzuweisen, auf dem von jenem eingeschlagenen Wege dem vorgeblich verletzten Staatsinteresse Genugthuung zu verschaffen, darum ist es dem Redner in erster Linie zu thun. Daneben ergiebt sich allerdings zugleich ein Präjudiz gegen die Berechtigung der erhobenen Anklagen, das zuerst in *εἴπερ ἦσαν ἀληθεῖς* ausgesprochen und bald in *οὗσί γε τηλικούτοις* wiederholt ist. Aber die wesentliche Aufgabe der *προκατασκευή* bleibt doch die Ungehörigkeit des gegnerischen Verfahrens darzuthun, wie ihr weiterer Verlauf § 14 ff. beweist, der von jenem Nebenzweck durchaus nicht gedeckt wird. Darum liegt auch in den resumirenden Anfangsworten von § 17 das Hauptgewicht nicht auf *οὔτ' ἐπ' ἀληθείας οὐδεμιᾶς*, sondern auf *οὔτε δικαίως*. Verkannt ist dieser Sachverhalt von Fox, wenn er in unserm Abschnitt geradezu 'die allgemeine Widerlegung der exagonischen Anklagen gegen das Staatsleben des Demosthenes' erkennt.

Eine Unsicherheit besteht über die Bedeutung des Wortes *προαίρεσις*, das gewöhnlich als 'Tendenz, Sinn' verstanden

Digitized by Google

wird. Die richtige Deutung 'Wahl', die namentlich § 280 an die Hand giebt, hat schon Prinz in der revue de l'instruction publique en Belgique 1866 n. 12 gewiesen, der damit die Dunkelheit der Stelle gehoben glaubte. Soviel wird allerdings sofort klar, wie sehr die von Dobree und Weil eingesetzte Interpunction hinter *αὕτη*, wie sie für *αὐτή* schreiben, das Richtige verfehlt, während der Zusatz des *αὐτή* den Gegensatz zu *τὰ κατηγορούμενα* zum treffenden Ausdruck bringt. Das erkennt auch Schmid an, freilich mit irriger Auffassung des letztern Begriffs, verbindet aber damit Dobrees Vorschlag zu der unstatthaften Schreibung *ἡ προαίρεσις αὐτὴ αὕτη*, weil zu dem zweiten Gliede *τῶν μέντοι κατηγοριῶν κτλ.* das auch von ihm missdeutete *προαίρεσις* nicht Subject sein könne.

Im Anschluss an den erörterten Gedanken bringt nun § 13 den Nachweis, wie Aischines hätte handeln müssen, wenn es ihm in Wahrheit darum zu thun wäre, dem Staate zu einer entsprechenden Genugthuung für die angeblichen Verschuldungen des Demosthenes zu verhelfen (*ἐφ' οἷς ἀδικοῦντά μ' ἐώρα κτλ.*). Diesem positiven Gedanken tritt aber voran das Negative, was Aischines in jenem Falle nicht thun durfte (*οὐ δεῖ ἀφαιρεῖσθαι κτλ.*) und dennoch gethan hat, darum weil seine Absicht bei dem Processe nur darauf ging, seiner persönlichen Feindschaft Befriedigung zu verschaffen. Wäre dieser Gedanke nicht vorausgeschoben, so hätte an der Berechtigung des begründenden *γάρ* schwerlich je ein Zweifel aufkommen können. Denn mit dem was der Process nicht erreichen kann, ist das was er nicht bezwecken kann, so unmittelbar gegeben, dass letzteres kaum noch ausdrücklich ausgesprochen zu werden brauchte. Nur die Einfügung jenes negativen Gliedes konnte zur Rechtfertigung der begründenden Partikel die Ergänzung eines besonderen Satzes nothwendig erscheinen lassen, wie sie zuletzt in einer durch seine schon berührte Auffassung bedingten Formulirung Fox, der früher an die Aenderung *οὐκ ἄρα* gedacht hatte, verlangt hat ('ein ungebührliches und nicht auf Grund der Wahrheit vom Ankläger beliebtes Verfahren'). An der Richtigkeit des *γάρ* hält mit Recht

Digitized by Google

auch Schmid fest. Aber seine Vermuthung, dass an Stelle des im Σ durch leichtes Versehen ausgefallenen δεῖ [1]) ein Verbum gestanden haben müsse, das dem Sinne nach einem *οὐκ ἀξία δίκη ἐστίν* gleiche, fällt aus dem nachgewiesenen Gedankenzusammenhange heraus.

Aber die grössere Schwierigkeit liegt in der Frage, was unter dem *προσελθεῖν τῷ δήμῳ καὶ λόγου τυχεῖν* zu verstehen ist, das Aischines dem Demosthenes nehmen will. Gewöhnlich bezieht man die Worte auf das Auftreten vor Gericht, welches Aischines dem Demosthenes damit abzuschneiden suchte, dass er den Richtern diesen gar nicht zum Worte kommen zu lassen empfahl § 202. Dagegen hat aber Schömann mit vollem Rechte geltend gemacht, dass der Sprachgebrauch *προσελθεῖν τῷ δήμῳ* nur vom Auftreten in der Volksversammlung zu verstehn erlaube, und vergeblich sucht dies wieder Fox darum in Abrede zu stellen, weil das hinzugefügte *λόγου τυχεῖν* die herkömmliche Beziehung allerdings gestatten würde. Aber schwerer noch fällt ins Gewicht, dass mit jenem Gedanken das nicht getroffen würde, was Demosthenes an dem gegenwärtigen Verfahren des Aischines vorzugsweise zu rügen hat, und darum kein befriedigender Gegensatz zu dem folgenden Gliede *ἀλλ' ἐφ' οἷς κτλ.* erzielt wäre. Derselbe Grund aber entscheidet auch gegen Schömanns eigene Deutung: Aischines habe dem Demosthenes die Möglichkeit entzogen vor dem Volke aufzutreten durch die gegen Ktesiphons Antrag eingelegte *ὑπωμοσία*, weil in deren Folge der

1) δεῖ zu streichen, wie nach Spengels Vorgang Westermann, Weil und Blass gethan haben, kann ich nicht rathsam finden, weil ich in der daraus sich ergebenden Verbindung *οὐ γὰρ ἀφαιρεῖσθαι — οὐδὲ — ποιεῖν οὔτε ὀρθῶς ἔχον κτλ.* keine 'lebendige', sondern nur eine ganz verschrobene Redeweise erkennen kann. Wäre das Asyndeton der Parenthese *οὔτε μὰ τοὺς θεούς* in der That unerträglich, so läge die Einsetzung eines *γάρ* nahe, an welche auch Fox gedacht hat. Den Gedanken, den ganzen § 13 bis zu *γραφόμενον* zu tilgen, hat sein Urheber Usener sicherlich selbst längst aufgegeben; abgesehen von allem andern wäre dann der Anschluss des allein übrig bleibenden Satzes *οὐ γὰρ δήπου Κτησιφῶντα κτλ.* an § 12 ebenso wenig verständlich, als *τῶν ἄλλων* in § 14.

Digitized by Google

Antrag gar nicht zur Debatte gelangt sei. Ob letzteres der Fall gewesen ist, wissen wir nicht. Jedenfalls aber wäre dieser Zweck schon mit Einlegung der Hypomosie erreicht gewesen, ohne dass ihr die *γραφὴ παρανόμων* zu folgen brauchte, während was hier dem Aischines zur Last gelegt wird, die *προαίρεσις τοῦ παρόντος ἀγῶνος* mit jener Absicht gar nichts zu schaffen hat, sodass auch die schon von Dobree verlangte Aenderung des *δεῖ* in *ἔδει* nichts helfen kann. Hierüber hat schon Schmid treffend geurtheilt, der überhaupt in diesem Punkte allein auf dem rechten Wege war. In andrer Weise verstösst gegen den Zusammenhang die Erklärung, welche Weil versucht hat. Er erwartet den Gedanken: Man darf dem Staate nicht die Gelegenheit zur Ahndung der Verbrechen dadurch entziehen, dass man darauf verzichtet vor dem Volke aufzutreten um seine Klagen vorzubringen und die Möglichkeit zu ihrer Vertretung zu erhalten. Um diesen Sinn zu gewinnen, bringt Weil verschiedene Aenderungen des *ἀφαιρεῖσθαι τὸ* — in Vorschlag, unter denen sich *ἀφίστασθαι τοῦ* — noch am meisten empfehlen würde. Allein auch damit wäre der von Weil gesuchte Gedanke nicht zu angemessenem Ausdruck gebracht. Das correcte Verfahren, das von Aischines an unserer Stelle gefordert wird (anders § 307 ff., worauf die Antwort in den von Weil angeführten Worten der Klagrede § 220 gegeben ist), lag nicht in dem Auftreten vor dem Volk, sondern im Anhängigmachen von Klagen, von denen höchstens die Eisangelie zunächst an das Volk gebracht werden konnte.

Jede Aenderung der Stelle kann den Gedankengang des Redners nur verderben oder verdunkeln. Zu dem im Folgenden von Aischines für den Fall geforderten Verfahren, dass es ihm wirklich um Genugthuung für den angeblich geschädigten Staat zu thun gewesen wäre, tritt in entsprechenden Gegensatz nur das, worauf es jetzt in Wahrheit ihm ankommt, um seinem persönlichen Hasse zu genügen. Das aber ist, wie namentlich der Epilog der Klagrede deutlich zeigt, nichts anderes, als den Demosthenes für die Zukunft politisch unmöglich zu machen. Und in der That musste dies ebenso die

Digitized by Google

nothwendige Folge einer Verurtheilung des Ktesiphon sein, wie seine glänzende Freisprechung für Aischines die gleiche von seinem Gegner vorausgesagte (§ 82) Folge nach sich gezogen hat. Invidiös aber drückt Demosthenes jenes Absehn der Klage also aus: Aischines will ihm das Recht rauben, das im Begriffe der Demokratie liegt, das man darum nicht einmal aus Neid oder Scheelsucht einem Bürger entziehen darf, das Recht der *ἰσηγορία*. Erst damit tritt auch das *ἐν ἐπηρείας τάξει καὶ φθόνου* ins richtige Licht, welches die Hinzufügung des von Weil beanstandeten Satzgliedes *οὐδὲ — ποιεῖν* bedingt hat.

Es lohnte sich an einem bezeichnenden Falle darzuthun, wie auch an viel versuchten Stellen es nur der einfachen Mittel scharfer Interpretation bedarf. Aber Verwahrung muss ich einlegen gegen die Art von Exegese, mit deren Hülfe jüngst Ed. Schwartz die Behandlung der *ἀπαγωγή* in der Neubearbeitung des '*Attischen Processes*' bemängeln zu dürfen geglaubt hat (Rhein. Mus. XLIV S. 115 f.). Wenn bei Demosthenes XXIII, 80 es als Voraussetzung für die Anwendbarkeit dieser Klagform gegen einen Mörder bezeichnet wird, dass man ihn in den Tempeln oder auf dem Markt herumgehen sieht, so wird damit deutlich die Zuständigkeit des Rechtsmittels von dem Betreten der Stätten abhängig gemacht, von denen der Mörder auch ohne Einleitung eines gerichtlichen Verfahrens nachweislich ausgeschlossen war. Schwartz dagegen glaubt die Berechtigung der Klagform an die Unanfechtbarkeit des Thatbestandes gebunden und diese Voraussetzung durch das von Demosthenes gebrauchte Wort *ἀνδροφόνος* zum Ausdruck gebracht. Aber damit wird einmal jene vom Redner unzweideutig bezeugte Bedingung ganz fallen gelassen; denn auch den Ausweg, sie zu dem andern Erforderniss hinzutretend zu denken, verbietet der Fall des Agoratos, der nach Schwartz eben in die von Demosthenes bezeichnete Kategorie gehört. Andrerseits ermangelt die für das Wort *ἀνδροφόνος* geforderte Bedeutung, auf welcher aller Nachdruck liegen würde, jeden Belegs, während der Sinn 'Mörder' ohne den von Demosthe-

Digitized by Google

nes anderwärts hineininterpretirten Nebenbegriff einer gerichtlichen Verurtheilung auch für die Rechtssprache durch das richtig verstandene Gesetz über die *ἀπόρρητα* gesichert ist. Ich war sonach vollkommen berechtigt, diese Art der *ἀπαγωγή* von der *ἀπαγωγὴ τῶν κακούργων* zu trennen, deren Voraussetzung das Ergriffensein *ἐπ' αὐτοφώρῳ*, d. h. in flagranti bildet. Dass in der Praxis diesem Erforderniss der weitere Sinn der Offenkundigkeit gegeben worden ist, habe ich selbst hervorgehoben. Dass aber das Gesetz diesen Sinn mit dem Ausdrucke verbunden habe, wird durch keine der dafür geltend gemachten Stellen bewiesen, am wenigsten durch Demosth. XLV, 81, und durch die Erörterung des Lysias in der Agoratea vielmehr widerrathen, der Schwartz wenig gerecht geworden ist. Noch mehr freilich hat er sich bei Andokides vergriffen, welcher an dem ihm zur Last gelegten und charakteristisch gefundenen Kunststück (S. 112 f.) ganz unschuldig ist. Denn mit keinem Worte hat er behauptet (II, 27), dass die früher gewährte *ἄδεια* ihm nicht durch das Psephisma des Isotimides, sondern erst durch die Vierhundert entzogen worden sei, sondern nur das gesagt, dass das Volk zur Annahme jenes Psephisma sich von derselben Seite habe bestimmen lassen, von der es auch zur Einsetzung des oligarchischen Regiments verleitet worden sei — was wir ihm diesmal aufs Wort glauben dürfen. Auch die Bemerkungen über das erste Buch des Thukydides (Rhein. Mus. XLI S. 203 ff.) wären wohl anders gerathen, wenn ihr Verfasser tiefer in den Gedankengang seines Autors einzudringen sich bemüht hätte, anstatt was er misszverstand, sofort für 'unrettbar verloren' zu erklären.

J. H. Lipsius.

Digitized by Google

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

Digitized by Google

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ELFTER BAND

SUPPLEMENTHEFT.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1889.

Digitized by Google

STRABONIS

ΙΣΤΟΡΙΚΩΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΩΝ
FRAGMENTA

COLLEGIT ET ENARRAVIT

ADIECTIS

QUAESTIONIBUS STRABONIANIS

PAULUS OTTO

Strabonis Amasensis geographica, quae senex plus quam octoginta annorum composuit, merito plurimi aestimantur, quod in hoc opere, ut erat vir varia eruditione atque doctrina exquisitissima repletus, non solum rerum, quas aliunde non habemus compertas, quasi thesaurum coacervavit, sed etiam veterum auctorum, quorum memoria abolevit, scriptis diligenter excerptis magnam fragmentorum copiam servavit. Neque tamen potest esse dubium, quin etiam maiore Strabonis nomen floreret gloria, si amplissimum eius opus, ad quod integris viribus in ipso aetatis robore accessit et in quo elaborando haud dubie plurimum operae studiique consumpsit, hypomnemata historica dico, prospera fortuna conservatum ad nostra tempora pervenisset. Etenim in geographicis manifesta senectutis apparere vestigia, quicumque paulo diligentius animum attenderit, facile cognoscet. Nam quod auctorum illustrium iudex existit saepe iniquus atque iniustus, quod in eorum scriptis percensendis minuta utitur subtilitate, quod res levissimas acerbe reprehendit atque cavillatur, haec omnia sunt profecto senis difficilis atque morosi. Sed accedit aliud longe gravissimum. Nimirum Strabo omnino non erat geographus, sed cum mathematicae et astronomiae, quibus quasi fundamentis nititur omnis geographia, plane esset ignarus, scriptorum geographicorum cogitationes plane non est assecutus. Inde factum est, ut perperam de eis et imprimis de Eratosthene, geographorum principe, iudicaret. Qua re suo iure Muellenhoffius[1]) satis acerbam de Strabone geographo exprompsit sen-

1) 'Deutsche Altertumskunde' vol. I pp. 313 sqq.

Digitized by Google

tentiam. Sed in ipso opere geographico etiam historici Strabo identidem agit partes, neque potest negari, quin hae particulae, quae pertinent ad rerum gestarum historiam vel ad gentium descriptionem, quae cum historia arte cohaeret, longe ceteris praestent. Ad historiam igitur scribendam Strabo natus et aptus erat, non ad geographiam [1]).

Atque una potissimum, qua Strabo maxime insignis est, virtus operi eius historico certe summo fuit decori, diligentiam dico ac fidem [2]). Nam ex geographicis apparet veritatis eum fuisse studiosissimum neque umquam, etiamsi non semper verum assecutus sit, de industria veritatem depravasse aut mendacio contaminasse.

Quo magis dolendum est, quod magnum Strabonis opus historicum ad nostram aetatem non perduravit. Neque tamen prorsus interiit, verum si comprehenderimus, quaecumque de eo extant testimonia, et, quaecumque servata sunt eius frustula, diligenter conquisiverimus, fieri poterit, ut et quae fuerit huius operis ratio accuratius cognoscatur et quaenam ad posterioris aetatis scriptores inde fluxerint certiore iudicio disceptetur. Quae res cum a viris doctis adhuc fere omnino neglecta sit [3]), ut de integro eam aggrediar et, quoad eius facere potero, strenue persequar, mihi propositum est.

Ac primum quidem, quid ex scriptorum testimoniis de Strabonis hypomnematis historicis discamus, quaerendum est.

Atque initium videtur faciendum a loco, qui est in Strabonis geogr. I 1, 22 sq. p. 13, ubi ipse de hypomnematis historicis profitetur haec: *Ἁπλῶς δὲ κοινὸν εἶναι τὸ σύγγραμμα τοῦτο* (sc. geographica) *δεῖ καὶ πολιτικὸν καὶ δημωφελὲς ὁμοίως*

---

1) Sic rectissime iudicavit Benedictus Niese, vir doctus de Strabone optime meritus, in Herm. vol. XIII p. 44 sq.

2) Cf. Groskurd 'Strabons Erdbeschreibung verdeutscht' vol. I p. XXI.

3) Carolus Mueller in fragmentor. historic. Graec. vol. III pp. 490 sqq. pauca de historicis hypomnematis praefatus quindecim omnino collegit fragmenta. Qui praeterea data occasione de hoc opere verba fecerunt, hic enumerare longum est: qui si quid memoratu dignum protulerunt, suo loco moneam.

Digitized by Google

ὥσπερ τὴν τῆς ἱστορίας γραφήν. Κἀκεῖ δὲ πολιτικὸν λέγομεν οὐχὶ τὸν παντάπασιν ἀπαίδευτον, ἀλλὰ τὸν μετασχόντα τῆς τε ἐγκυκλίου καὶ συνήθους ἀγωγῆς τοῖς ἐλευθέροις καὶ τοῖς φιλοσοφοῦσιν· οὐδὲ γὰρ ἂν οὔτε ψέγειν δύναιτο καλῶς οὔτ' ἐπαινεῖν, οὐδὲ κρίνειν ὅσα μνήμης ἄξια τῶν γεγονότων, ὅτῳ μηδὲν ἐμέλησεν ἀρετῆς καὶ φρονήσεως καὶ τῶν εἰς ταῦτα λόγων. — Διόπερ ἡμεῖς πεποιηκότες ὑπομνήματα ἱστορικὰ χρήσιμα, ὡς ὑπολαμβάνομεν, εἰς τὴν ἠθικὴν καὶ πολιτικὴν φιλοσοφίαν ἔγνωμεν προσθεῖναι καὶ τήνδε τὴν σύνταξιν· ὁμοειδὴς γὰρ καὶ αὕτη καὶ πρὸς τοὺς αὐτοὺς ἄνδρας καὶ μάλιστα τοὺς ἐν ταῖς ὑπεροχαῖς. Ἔτι δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ ἐκεῖ τὰ περὶ τοὺς ἐπιφανεῖς ἄνδρας καὶ βίους τυγχάνει μνήμης, τὰ δὲ μικρὰ καὶ ἄδοξα παραλείπεται, κἀνταῦθα δεῖ τὰ μικρὰ καὶ τὰ ἀφανῆ παραπέμπειν, ἐν δὲ τοῖς ἐνδόξοις καὶ μεγάλοις καὶ ἐν οἷς τὸ πραγματικὸν καὶ εὐμνημόνευτον καὶ ἡδὺ διατρίβειν κτλ.

Strabo Stoicae sectae erat addictus [1]): quod nisi aliunde haberemus compertum, certe ex hoc loco iure efficeretur cum propter alia indicia tum, quod et in historicis et in geographicis conscribendis ad utilitatem omnia se rettulisse aperte indicat; nempe utrumque opus oportere dicit esse *πολιτικὸν καὶ δημωφελές*, et hypomnemata historica existimat fuisse *χρήσιμα εἰς τὴν ἠθικὴν καὶ πολιτικὴν φιλοσοφίαν*. Quod plane convenit cum Stoicorum doctrina, quam secutus etiam Polybius, cuius historiam in ipsis hypomnematis historicis Strabo continuavit [2]), prorsus idem quod Strabo in historia componenda spectavit[3]). Stoicorum igitur ratione ac consilio Strabo hypomnemata conscripsit.

Sed etiam aliud ex illis Strabonis verbis consequitur. Affirmat enim historica hypomnemata et geographica esse *ὁμοειδῆ*. Similem igitur geographicorum illius quoque operis cogitabimus formam atque indolem. Iam vero in geographicis videmus Strabonem non tam id studuisse, ut nitida atque arti-

1) Cf. Groskurd l. l. I p. XIX sq.

2) V. infra p. 7 sq.

3) Cf. Hirzel 'Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften' II 2 p. 851 sq.

Digitized by Google

ficiosa narratione legentium animos delectaret, quam ut, quaecumque aut propria observatione didicerat aut ex aliorum scriptorum operibus collegerat, in unum congereret atque simplici et sicca narratione exponeret. Itaque, ut erat vir immensae lectionis et variae doctrinae, ingentem excerptorum copiam summa diligentia contexuit, multos auctores laudavit, saepe eiusdem rei diversas scriptorum memorias attulit: ut breviter dicam, Strabonis geographica sunt opus collectaneum, doctum hercle et laboriosum. Eiusdem igitur consentaneum est etiam hypomnemata historica fuisse generis. Etiam in hoc opere id maxime eum statuendum est egisse, ut quae diversi rerum scriptores memoriae tradiderant, quam plenissime colligeret, excerperet, excerpta componeret atque inter se coniungeret. Sed licet emergere ultra probabilitatem. Talem enim, qualem modo divinando assecuti sumus, re vera hypomnematorum historicorum fuisse indolem vel paucis, quae apud alios scriptores extant, fragmentis luculentissime confirmatur: vide fr. 9 (Mueller), ubi Timagenem totidem verbis exscripsit[1]), et fr. 13, ubi de eadem re et Asinii Pollionis et Hypsicratis profert testimonium ipsum[2]). Elucet igitur hoc quoque doctum fuisse opus summa diligentia elaboratum, in quo non tam compositionis artem et orationis elegantiam sectabatur Strabo quam id, ut omnem undique materiam in unum cogeret.

Quid? Nonne ipso libri titulo hoc idem significatur? Inscriptum fuit hoc opus *ἱστορικὰ ὑπομνήματα*. Iam vero Ernestus Koepke, qui 'de hypomnematis Graecis' duas publici iuris fecit dissertationes, de universo hoc hypomnematorum genere dicit fere haec[3]): 'Eorum auctores ea, quae legerunt, ad memoriae subsidium exscripserunt eamque ob causam consignaverunt, ut ex illis, quae de doctrina aliqua vel de rebus

---

1) Ex Ios. A. I. XIII 11, 3: *ὡς μαρτυρεῖ τοῦτο καὶ Στράβων ἐκ τοῦ Τιμαγένους ὀνόματος λέγων οὕτως κτλ.*

2) Ex Ios. A. I. XIV 8, 3: *μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ Στράβων ὁ Καππάδοξ λέγων ἐξ Ἀσινίου ὀνόματος οὕτως — — καὶ ἐν ἑτέρῳ πάλιν ἐξ Ὑψικράτους ὀνόματος λέγει οὕτως κτλ.*

3) In partic. I progr. gymn. Werderian. Berolin. 1842 p. 9 sq.

Digitized by Google

historicis memoratu digna ex diversis scriptoribus collegerant, novum conderent libellum.' Itaque hac quoque ex parte nostra sententia praeclare confirmatur. Apparet autem, si haec vera sunt, etiam Strabonis geographica, quae ipse ὁμοειδῆ dicit esse hypomnematis historicis, nihil aliud esse quam ὑπομνήματα. Atque ipse Strabo hoc nomine ea appellavit XVII 1, 36 p. 809: *εἴρηται δὲ περὶ τούτων διὰ πλειόνων ἐν τῷ πρώτῳ ὑπομνήματι τῆς γεωγραφίας*. Etiam stili neglegentia atque incuria, de qua supra monuimus, universo hypomnematorum generi est communis, ut recte exposuerunt Koepkius l. l. p. 11 et Usenerus in 'Epicureorum' praefatione p. XLII. Huic autem rei consequens est hypomnematorum auctores ea non edidisse, ut a populo delectationis ac voluptatis causa legerentur, sed sibi suisque maxime scripsisse, ut Usenerus l. l. commode monuit. Quid? quod hoc idem de suis operibus profitetur Strabo, quippe qui ea scripta esse dicat *πρὸς τοὺς αὐτοὺς καὶ μάλιστα τοὺς ἐν ταῖς ὑπεροχαῖς*? Electo igitur legentium circulo opera sua composuit, de quo infra p. 11 accuratiora docebo. Omnia autem haec vide quam bene inter se conveniant et se confirment.

Quodsi Strabonis hypomnemata historica omni orationis ornatu atque cultu caruerunt, unum certissime inde licet concludere, quod haud parvi sane est momenti, nimirum hoc: Strabonem non ipsum composuisse orationes, quas viris illustribus attributas narrationi insereret, ut vividiorem atque iucundiorem eam redderet, qui mos apud veteres historicos latissime patet. Sed potuit fieri, ut iam in fontibus, quos excerpebat, tales orationes inveniret; quas fortasse breviter ac summatim enarravit obliqua, ut opinor, plerumque usus oratione. Longae autem et diligenter perpolitae orationes ab opere eius historico certe afuerunt. Sed satis de his disputavimus.

Iam alterius Strabonis loci ratio est habenda, ubi ipse operis historici inicit mentionem, XI 9, 3 p. 515: *Εἰρηκότες δὲ πολλὰ περὶ τῶν Παρθικῶν νομίμων ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων βίβλῳ, δευτέρᾳ δὲ τῶν μετὰ Πολύβιον, παραλείψομεν ἐνταῦθα, μὴ ταυτολογεῖν δόξωμεν,*

Digitized by Google

τοσοῦτον εἰπόντες μόνον, ὅτι τῶν Παρθυαίων συνέδριόν φησιν εἶναι Ποσειδώνιος διττόν κτλ.[1]). De Parthorum igitur institutis Strabo exposuerat in sexto hypomnematorum historicorum libro, qui erat secundus *τῶν μετὰ Πολύβιον*. Nam sic Strabonis verba sunt accipienda[2]). Ergo universum quidem opus inscripserat *ἱστορικὰ ὑπομνήματα*, sed libros inde a quinto etiam separatim a reliquis numeravit inscriptos *τὰ μετὰ Πολύβιον*. Hos autem *τῶν μετὰ Πολύβιον* libros fuisse quadraginta tres discimus ex additamento in Suidae codice Parisino A ad v. *Πολύβιος* in margine adscripto, omisso in cod. Vossian. V, in reliquis libris in ipsum contextum recepto, cui non est cur fidem abrogemus[3]). Quod si verum est, hypomnemata historica continebant libros quadraginta septem.

Ex altero autem illo titulo cognoscitur Strabonem Polybii historias continuasse, id quod iam ante eum fecerat Posidonius, et ipse Stoicus, sed plane diversa ratione: nam Posidonius scripserat *ἱστορίαν*, Strabo *ἱστορικὰ ὑπομνήματα*. Iam quoniam Polybius usque ad Carthaginis excidium et ad Graeciae libertatis interitum, id est usque ad annum 146 a. Chr. n., historiam perduxerat, Strabonem inde ab hoc tempore in quinto hypomnematorum libro, qui erat primus *τῶν μετὰ Πολύβιον*, initium cepisse consentaneum est.

Sed iam oritur quaestio, quidnam in quattuor primis hypomnematorum libris Strabo tractaverit. Ac vix potest dubi-

---

1) Hoc quoque loco Strabonis materiae congerendae diligentia paene anxia elucet. Nam Posidonii de Parthorum conciliis testimonium, quod in hypomnematis videtur eum fugisse, hic religiose addit.

2) Ante Casaubonum vulgata erat sententia, quam nuperrime recoxit Ridgeway in 'The classical review' vol. II 1888 fasc. III., his verbis Strabonem indicare, duo diversa a se scripta esse opera historica: *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* et *τὰ μετὰ Πολύβιον*. Neque vero ipsa verba hunc sensum admittunt. Nam si hoc volebat Strabo significare, dicendum ei erat *ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων βίβλῳ καὶ ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν μετὰ Πολύβιον*. Verum primus vidit Casaubonus.

3) *Ἰστέον ὅτι διαδέχεται τὴν Πολυβίου ἱστορίαν Ποσειδώνιος Ὀλβιοπολίτης σοφιστής· ἔγραψε δὲ καὶ Στράβων Ἀμασεὺς τὰ μετὰ Πολύβιον ἐν βιβλίοις (λόγοις A) μγ'*.

Digitized by Google

tari, quin Polybii exemplum imitatus hos libros ut *προπαρασκευὴν* sequentibus praemuniverit [1]) eo consilio, ut rebus antea gestis breviter enarratis eae, quas accuratius atque fusius tractare ei propositum erat, res melius intellegerentur.

Sed quaeritur, num possit investigari, quam alte rerum memoriam Strabo in his libris repetiverit. Ac multi quidem viri docti [2]) loco geographicorum nisi [3]) putaverunt Strabonem in his quattuor libris Alexandri Magni rerum gestarum et temporum sequentium usque ad annum 146 a. Chr. n. historiam comprehendisse. Qua de re primus addubitavit Carolus Mueller (F H G III p. 490) peculiare de Alexandri rebus Strabonem opus composuisse suspicatus. Quam sententiam unice esse veram nuperrime demonstravit Maximilianus Luedecke [4]). E fragmentis enim, quae ex Strabonis geographicis collegit Millerus l. l., luculenter apparet multo diligentius atque uberius de Alexandri rebus gestis egisse Strabonem quam ut in praefationis uno vel duobus libris locum possint habuisse. Haec hypomnemata de Alexandri Magni rebus gestis, scripta a Strabone ante hypomnemata historica [5]), ipsa quoque nihil aliud fuisse nisi ingentem excerptorum congeriem fragmenta a Millero collecta evidenter docent [6]).

Quae cum extra omnem dubitationis aleam sint posita, iam facile est ad coniciendum, quid quattuor illi primi libri continuerint. Veri enim est simillimum Strabonem ab Alexandri Magni morte exorsum res inde ab hoc tempore usque ad annum 146 a. Chr. n. gestas breviter exposuisse. Ac singu-

---

1) Sic Polybius duos libros operi suo praemisit, cf. Polyb. I 3, 7 sqq.

2) Gerard. Ioann. Vossius: De historicis Graecis II c. 6. Groskurd ad Strab. geogr. I 1, 15 adn. 2. Anton. Miller 'Die Alexandergeschichte nach Strabo' part. I progr. Wirceburg. 1882 p. 1.

3) II 1, 9 p. 70: *Ἅπαντες μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδόλογοι γεγόνασι — — καὶ ἡμῖν γ' ὑπῆρξεν ἐπὶ πλέον κατιδεῖν ταῦτα ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις.*

4) 'De fontibus quibus usus Arrianus Anabasin composuit' in stud. Lips. vol. XI 1888 p. 14.

5) Cf. Luedecke l. l. p. 20 et 49.

6) Cf. Luedecke l. l. p. 15 et 36.

Digitized by Google

larem quidem rebus Orientis et imprimis Asiae impendisse videtur operam duplici de causa: et quod hae res ei ut ex Asia oriundo maxime erant cordi, et quod tam difficiles et tam implicatae erant, ut posterior singularum civitatum historia vix recte posset intellegi, nisi quis earum initia ac progressus inde ab Alexandri morte diligenter esset persecutus. Sic regnorum ab Alexandri Magni successoribus, quos diadochos Graeci vocant, conditorum historiam in his libris Strabo putandus est adumbrasse. Atque Appianum in Syriac. capp. 52—68, ubi Syriae inde ab Alexandri morte historiam breviter exponit, ex Strabonis hypomnematis hausisse veri simillimum est, ut demonstravit Luedeckius l. l. p. 17 sqq. Qui cum plane ex mea sententia nec non me suadente haec explanaverit, nolo eadem hic repetere, sed ad eius dissertationem, si quis accuratiora vult edoceri, remitto.

Quinto deinde hypomnematorum libro Strabo aggressus est ad enarranda *τὰ μετὰ Πολύβιον*.

Iam oritur quaestio subdifficilis, ad quem usque terminum Strabo in his libris quadraginta tribus rerum historiam perduxerit. Sed priusquam in hanc rem inquiramus, iuvabit indagare si modo fieri potest, quonam tempore hypomnemata historica a Strabone sint composita atque in lucem emissa.

Hypomnemata historica scripta esse constat ante geographica. Geographicum autem opus conditum est a Strabone primis Tiberii principatus annis vel, ut accuratius dicam, anno 18 p. Chr. n. sqq.[1]). Iam cum inter grandia haec opera aliquantum temporis intercessisse necessario sit statuendum et cum iam ante annum 18, priusquam scribere inciperet, Strabonem complures annos in materia amplissima conquirenda pateat consumpsisse, multo ante annum 18 p. Chr. n. hypomnemata historica publicata esse elucet. Neque minus certum est hoc opus tam magnum et tam doctum non ab adolescente, sed a viro maturo annis et iudicii firmi esse confectum. Iam Strabonis vita paucis erit in memoriam revocanda. Natus

1) Cf. Benedict. Niese in Herm. vol. XIII p. 33 sqq.

Digitized by Google

erat Amasiae anno fere 63 a. Chr. n.[1]); deinde Nysae, ubi admodum adolescens Aristodemo magistro usus est, et in aliis Asiae oppidis eum commoratum esse scimus, neque tamen ultra Asiae fines processit ante annum 29 a. Chr. n. Quo ipso anno per mare Aegaeum Corinthum et inde Romam profectus est[2]). Qua in urbe Strabo paulatim in virorum Romanorum et genere et eruditione insignium videtur venisse familiaritatem, et ita factum est, ut anno 27 vel 26 a. Chr. n.[3]) L. Aelium Gallum, Aegypti praefectum, a quo in cohortem amicorum erat receptus, in provinciam sequeretur[4]). Cui cum anno 24 a. Chr. n.[5]) succederet Petronius, una cum Aelio Gallo hoc anno Strabonem Romam rediisse veri simile est, quam urbem usque ad mortem non videtur reliquisse[6]).

Harum rerum, quae ad Strabonis vitam pertinent, memores paulo accuratius consideremus locum illum (I 1, 23 p. 13), ubi dicit, se geographica scripsisse eisdem hominibus, quibus historica hypomnemata: *πρὸς τοὺς αὐτοὺς καὶ μάλιστα τοὺς ἐν ταῖς ὑπεροχαῖς* i. e. 'qui in fastigio aliquo positi sunt.' Quinam autem hi sint, minime obscurum. Nam geographica Strabonem scripsisse civibus Romanis eisque nobilibus, qui in re publica administranda partes habebant, ex multis geographicorum locis elucet, ut recte monuit Niesius l. l. p. 45[7]). In

1) Cf. B. Niese l. l. p. 37 sqq. et in mus. Rhen. vol. XXXVIII p. 567 sqq.

2) Cf. geogr. X 5, 3 p. 485. VIII 6, 19 p. 377. 21 p. 379. B. Niese in Herm. vol. XIII p. 42 sq.

3) De anno, quo Aelius Gallus in Aegypti praefectura successerit Cornelio Gallo, non satis constat. Anno certe 26 a. Chr. n. hic maiestatis postulatus manus sibi intulit: cf. Cass. Dio. LIII 23. Itaque aut hoc ipso aut fortasse iam antecedenti anno in eius locum missus est Aelius.

4) Cf. geogr. II 5, 12 p. 118. XVII 1, 29 p. 806. 46 p. 816.

5) Cf. Mommsen 'Res gest. div. Aug.' p. 106 sqq.

6) Cf. B. Niese l. l. p. 44.

7) Conferas velim praeter locos a Niesio laudatos I 1, 16 p. 9, ubi de geographiae utilitate exponit: *Τῆς γεωγραφίας τὸ πλέον ἐστὶ πρὸς τὰς χρείας τὰς πολιτικάς. Χώρα γὰρ τῶν πράξεών ἐστι γῆ καὶ θάλαττα, ἣν οἰκοῦμεν, μεγίστη δ' ἡ σύμπασα, ἥνπερ ἰδίως καλοῦμεν οἰκουμένην, ὥστε τῶν μεγίστων πράξεων αὕτη ἂν εἴη χώρα, μέγιστοι δὲ τῶν στρατηλατῶν, ὅσοι δύνανται γῆς καὶ θαλάττης ἄρχειν, ἔθνη καὶ πόλεις*

Digitized by Google

eorundem igitur virorum usum etiam hypomnemata historica Strabo composuerat. Itaque non ante annum 24 a. Chr., quo ex itinere Aegyptiaco Romam revertit, ad illud opus accessisse putandus est. Nam inde ab hoc demum tempore tanto operi vacabat. Dubium igitur non est, quin inter annos 24 a. Chr. n. et 18 p. Chr. n. hypomnemata historica composuerit. Verum si reputamus Strabonem in ingenti materiae copia ex diversissimis fontibus conquirenda atque congerenda permultos haud dubie desudasse annos, et ipsam deinde operis, quod quadraginta septem libris constabat, conscriptionem rem fuisse longinqui temporis, haud, opinor, aberrabimus a vero, si Strabonem non prius totum opus statuimus absolvisse quam intra primum p. Chr. n. decennium.

Iam redeamus ad priorem illam quaestionem qua enucleandum est, ad quem usque terminum Strabo rerum historiam perduxerit. Atque fragmentorum, quae apud alios scriptores extant, ultimum pertinet ad annum 38 a. Chr. n.[1]). Sed quoniam causa extrinsecus allata non impeditus est Strabo, quominus opus perficeret, consentaneum est non quolibet anno finem eum fecisse scribendi, sed certa usum ratione insigne aliquod temporis vestigium ac rerum discrimen elegisse, quo apte subsisteret. Quod cum bene intellegerent Groskurdius[2]) et Muellerus[3]) usque ad pugnam Actiacam (31 a. Chr.) Strabonem narrationem deduxisse, quo anno Octavianus imperio potitus esset, arbitrati sunt. Quod si fecisset, parum prudenter egisse putandus esset. Quamquam enim post victoriam Actiacam extincto Antonio Octavianus solus imperator erat relictus, tamen si universae, qualem scripsit Strabo, historiae

---

συνάγοντες εἰς μίαν ἐξουσίαν καὶ διοίκησιν πολιτικήν. Δῆλον οὖν, ὅτι ἡ γεωγραφικὴ πᾶσα ἐπὶ τὰς πράξεις ἀνάγεται τὰς ἡγεμονικάς. — — Κέλτιον γὰρ ἂν διαχειρίζοιεν ἕκαστα εἰδότες τὴν χώραν ὁπόση τις καὶ πῶς κειμένη τυγχάνει καὶ τίνας διαφορὰς ἴσχουσα τάς τ' ἐν τῷ περιέχοντι καὶ τὰς ἐν αὐτῇ. Quid? Nonne aperte designat Romanos, quorum imperium totum fere tum amplectebatur orbem terrarum?

1) Fr. 15 (Mueller.) ap. Ios. A. I. XV 1, 2.

2) L. l. vol. I p. 20 adn. 2.

3) F H G vol. III p. 490.

Digitized by Google

rationem spectamus, hac re neque finis veteris alicuius rei publicae Romanae aevi neque novi initium indicatur. Nam imperator quidem iam antea erat Octavianus, principatus autem nondum erat constitutus, res publica diuturnis bellis civilibus afflicta ac paene eversa nondum in ordinem erat redacta. Immo potius novum aevum incipit anno 27 a. Chr., qui Augusti principatus est natalicius[1]). Quo anno Octavianus re publica composita nomen Augusti accepit et, ut erat penes eum summa imperii, provincias plane nova ratione ordinavit, ita ut inter se et senatum eas distribueret. Inde ab hoc anno Augustorum annos esse numeratos tradit Censorinus[2]); Cassius autem Dio (LIII 17) hoc anno *ἀκριβῆ μοναρχίαν* esse constitutam testatur. Atque ipsi Straboni id quam maxime laudi est tribuendum, quod omnium aetatis Augustae scriptorum, cum reliqui rerum specie decepti Octavianum hoc anno suam potestatem deposuisse et libertatem pristinam restituisse putarent, solus verum cognovit[3]) in geogr. XVII 3, 25 p. 840, ubi haec dicit: *ἐπειδὴ γὰρ ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου, δίχα διεῖλε πᾶσαν τὴν χώραν κτλ.* Ut vero novo hoc rerum ordine ab Augusto instituto aptissime opus geographicum finit, ita etiam hypomnematorum historicorum hunc eum posuisse terminum persuasum habeo. — Libri igitur illi, quos inscripsit *τὰ μετὰ Πολύβιον*, annos 146—27 a. Chr. complectebantur.

Quid ex tanti huius operis ruina nobis relictum est? Quindecim omnino fragmenta apud varios scriptores servata Muellerus congessit. Quodsi nihil praeterea superesset, de singulis rebus accuratius cognoscendis omnino hercle esset desperandum. At reliquus est fons uberrimus, qui adhuc plane neglectus est, ipsius nimirum Strabonis geographica. Res enim historicae per totum hoc opus dispersae inveniuntur. In singulis terris, urbibus, oppidis, locis enumerandis Strabo occasione

1) Cf. Mommsen 'Römisches Staatsrecht' II 2² p. 724.
2) De die nat. 21, 8.
3) Cf. Mommsen l. l. p. 724. adn. 1 et Res gest. div. Aug. p. 146.

Digitized by Google

oblata, quos casus singula diversis temporibus experta sint oppida, quae res memoria dignae ibi gestae sint, pugnas, urbium obsessiones, multaque alia, quae ad historiam pertinent, quasi in transitu breviter commemorat. Quae res quamquam paucis tantum verbis saepenumero a Strabone perstringuntur, tamen haud raro tam singulares sunt, tantaque ex eis enitet doctrina, ut non possit dubitari, quin ex hypomnematis historicis in geographica Strabo eas transtulerit ita quidem, ut quae ibi accuratius atque copiosius exposuerat, hic summatim perscriberet. Qua re quid simplicius, quid magis consentaneum? praesertim cum in hypomnemata omnia undique congesserit velut in thesaurum, ex quo quodcumque in rem esse videbatur commode poterat depromere.

Quae quamquam tam manifesta sunt, ut vix opus sit singulis argumentis, tamen vel haec suppeditant. Nam cum quindecim hypomnematorum apud alios auctores inveniantur fragmenta, peropportune accidit, quod bis fragmentum ex ipsis hypomnematis desumptum cum Strabonis testimonio geographicis inserto licet conferre. Atque utroque loco egregie videmus ea inter se convenire: conferas fragmentorum, quae infra collegi, fr. 65a et b (Sullam Aedepsi, Euboeae insulae in oppido, thermis usum esse) et fr. 124a et b (Hierosolyma a Pompeio expugnata esse *τῇ τῆς νησείας ἡμέρᾳ*, quae res nusquam alias narratur).

Praeterea luculentissime hoc demonstratur eis, quae in Galliae atque Britanniae descriptione Strabo passim de Caesaris bellis Gallicis breviter adnotat. Quae quin maximam partem ex Caesaris de bello Gallico commentariis hausta sint, nemo potest dubitare[1]); sed insunt etiam res, quas apud Caesarem frustra quaesiveris. Itaque rectissime suspicatus est A. Vogel[2]) Strabonem in hac geographicorum parte conscribenda non ipsum Caesarem inspexisse, sed ex hypomnematis historicis haec petivisse, ubi Caesare praecipuo, neque tamen unico usus erat fonte.

1) De qua re vide quae infra disputavi.
2) In Philolog. vol. XLI p. 519 sqq.

Digitized by Google

Nunc video etiam Guilelmum Fabricium in dissertatione, quam inscripsit 'Theophanes von Mytilene und Q. Dellius als Quellen der Geographie des Strabon' (Argentorat. 1888), recte cognovisse multa eorum, quae in geographicis de bellis Mithridaticis et de Antonii bello Parthico hic illic exponit, ex hypomnematis historicis deprompsisse Strabonem.

Quid? Nonne etiam hypomnematis de Alexandri Magni rebus gestis largissime usus est Strabo in geographicis scribendis, quod qui non videat plane caecus sit?

Eodem igitur iure, quo Millerus his usus est ad hypomnematorum de Alexandro detrimentum aliqua certe ex parte resarciendum, nos quoque, quae Strabo in geographicis de annorum 146—27 a. Chr. historia passim expromit, ad hypomnematorum historicorum memoriam, quantum eius fieri potest, redintegrandam atque restituendam utemur. Itaque operae pretium duxi haec fragmina, quae per totum opus geographicum dispersa inveniuntur, colligere atque in certum ordinem redigere. Qua in re quam secutus sim rationem, breviter mihi erit praemonendum.

Recepi eas res solas, quae pertinent ad annorum inde ab a. 146 a. Chr. sequentium historiam, ad *τὰ μετὰ Πολύβιον*; quae de priorum temporum historia hic illic profert Strabo, omisi causis commotus hisce. Quae Strabo in quattuor primis hypomnematorum libris tractasset, non plane constare supra vidimus, et quamquam hoc licet suspicari, tamen quem in singulis rebus enarrandis adhibuerit modum, omnino nescimus. Quas vero in geographicis illorum temporum res commemorat, pleraeque non tales sunt, ut ex hypomnematis historicis translatae esse necessario sint statuendae. Nam partim sunt res notissimae, partim urbium *κτίσεις*, quas etiam in geographicis fontibus eum invenisse veri simile est, permulta autem ex ipso Polybio hausit, quem eiusmodi rerum testem profert VII 7, 3 p. 332. VIII 6, 23 p. 381. Verum etiam ubi non diserte eum laudat, saepe Polybio fonte usus est, velut de Carthaginis urbis situ eiusque excidio (XVII 3, 14 sq. p. 832 sq.) [1]). Sed cum

1) Cf. A. Vogel in Philolog. vol. XLIII p. 413.

Polybius inter eos fuerit auctores, quos ad geographica componenda adhibuit Strabo, ex eo ipso, non ex hypomnematis haec eum desumpsisse consentaneum est.

Plane alia ratio eorum est locorum, ubi populi alicuius historiam inde a priscis temporibus usque ad suam aetatem ordine, sed strictim narrat. Eiusmodi conspectum veri simile est Strabonem proposuisse eo hypomnematorum historicorum loco, ubi in historia temporum illorum, quae tractare animum induxerat, primum populi illius facienda erat mentio. Itaque haec non omisi suo loco inserere.

Hypomnematorum historicorum terminum fuisse annum 27 a. Chr. supra studui probare. Itaque si in geographicis Strabo etiam rerum, quae posterioribus annis gestae sunt, saepius facit mentionem, haec certe non ex opere historico petivit, sed de suo adiecit, ut quodammodo suppleret hypomnemata et ad recentissima usque tempora produceret. Et iuvat hercle animadvertere, quantum intersit inter haec et illa, quae ad annos 146—27 a. Chr. pertinent. Cum enim haec, quae iam in hypomnematis historicis accurate enarraverat, breviter et carptim semper fere commemoret, illa haud raro plenius atque uberius explicat, quippe de quibus antea nondum fecerit verba[1]).

Fragmenta autem quaecumque pertinent ad annos 146—27 a. Chr. quam plenissime collegi, quamquam me non fugit nonnulla Strabonem etiam aliunde potuisse desumere. Sic cum brevissime dicit, oppidum aliquod civium Romanorum coloniam accepisse, hoc fortasse in fonte geographico invenit. Sic etiam fr. 253a, ubi Athenodori, Augusti magistri et amici, vitam satis accurate enarrat, non eam prae se ferre speciem concedo, ut ex hypomnematis historicis videatur petitum. Certe quae de Athenodoro profert, ex hoc ipso comperit, cuius familiaritate utebatur. Sed quoniam haec cum rebus politicis arte coniuncta sunt, non putavi praetereunda.

Etiam maiore iure inter fragmenta mihi videor recepisse

1) Cf. XVI 4, 22—24 p. 780 sqq. XVII 1, 54 p. 820 sq. (de Aelii Galli et Petronii expeditionibus); VII 1, 4 p. 291 sq. XVI 1, 28 p. 748 sq. etc.

Digitized by Google

nonnullas res historicas in geographica a Strabone insertas, quas Guilelmus Fabricius in dissertatione supra laudata ex sua ipsius memoria ac recordatione a Strabone conscriptas esse putat. Nam etiam cum opus historicum conderet et tum quidem multo recentior Straboni suppetebat illarum rerum memoria, quam haud dubie in priore quoque opere conscribendo in usum suum convertit.

Non potest dubitari, quin Strabo in hypomnematis etiam res geographicas accurate tractaverit et singulorum populorum mores atque instituta descripserit. Nam in sexto hypomnematorum historicorum libro *περὶ τῶν Παρθικῶν νομίμων* multa se dixisse ipse affirmat in geogr. XI 9, 3 p. 515 (v. supra p. 7 sq.)[1]). Etiam huiusmodi res Strabonem inde nonnumquam in geographica transtulisse vel eosdem certe saepenumero atque in hypomnematis adiisse fontes non est dissimile veri. Verum haec cum in geographicis haud dubie multo fusius exposuisset quam in hypomnematis, erant omittenda[2]). Itaque res geographicas non recepi nisi eas, quas in hypomnematis quoque historicis habuisse locum inde apparet, quod Appianus et Plutarchus, quos certis quibusdam locis ex Strabonis hypomnematis hausisse infra docebo, accuratissime cum Strabonis verbis consentiunt.

Iam de ordine, in quem fragmenta redegi, pauca dicam. Atque valde dolendum est, quod quomodo inter illos quadra-

ρος ἥ τε λοιπὴ Ἰβηρία, ἥ τε περὶ Ταρράκωνα καὶ ἡ Λυσιτανία, καὶ Γαλάται πάντες, οἵ τε Ναρβωνήσιοι καὶ οἱ Δουγδουνήσιοι Ἀκυιτανοί τε καὶ Κελτικοί, αὐτοί τε καὶ οἱ ἄποικοι σφων· Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω τὴν μέχρι τοῦ ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. Ταῦτά τε οὖν καὶ ἡ Συρία ἡ κοιλὴ καλουμένη ἥ τε Φοινίκη καὶ Κιλικία καὶ Κύπρος καὶ Αἰγύπτιοι ἐν τῇ τοῦ Καίσαρος μερίδι τότε ἐγένοντο· ὕστερον γὰρ τὴν μὲν Κύπρον καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα τῷ δήμῳ ἀπέδωκεν, αὐτὸς δὲ τὴν Δελματίαν ἀντέλαβε. — — (14) Οὕτω μὲν καὶ ἐπὶ τούτοις ἔκ τε τῶν ἐστρατηγηκότων καὶ ἐκ τῶν ὑπατευκότων ἄρχοντες ἀμφοτέρωσε πέμπεσθαι ἐνομίσθησαν. Καὶ αὐτῶν ὁ μὲν αὐτοκράτωρ ὅποι τέ τινα καὶ ὁπότε ἤθελεν ἔστελλε, καὶ πολλοὶ καὶ στρατηγοῦντες καὶ ὑπατεύοντες ἡγεμονίας ἐθνῶν ἔσχον· — — τῇ δὲ δὴ βουλῇ ἰδίᾳ μὲν τοῖς τε ὑπατευκόσι τήν τε Ἀφρικὴν καὶ τὴν Ἀσίαν καὶ τοῖς ἐστρατηγηκόσι τὰ λοιπὰ πάντα ἀπένειμε. Cf. Liv. per. 134. Cassiodor. ad a. 727. Sueton. Aug. 47. Monum. Ancyr. VI 13 sqq. (cf. Mommsen res gest. div. Aug. p. 144 sqq.).

Digitized by Google

Strabonis hypomnematorum historicorum ex eiusdem auctoris geographicis satis amplam fecimus fragmentorum messem. Quae si perlustramus, egregie videmus comprobari, quae supra (p. 5 sqq.) de hypomnematorum historicorum indole exposuimus. Nam vel ex his frustulis Strabonis hypomnemata magnum fuisse opus collectaneum manifesto cognoscitur. Quamquam enim in geographicis res historicas non commemoravit nisi in transitu neque eadem qua in hypomnematis diligentia enarravit, sed strictim ac paucis plerumque verbis attigit, tamen saepenumero auctores laudavit, quin etiam nonnullis locis diversas de eadem re scriptorum protulit memorias, velut in fr. 32, ubi de auro Tolosano a Caepione consule rapto et Timagenis et Posidonii relationem tradidit; sed praeter Posidonium etiam alios scriptores, qui idem atque ille narraverant, inspexisse Strabonem apparet e v. 21 sq. (*ὥσπερ ἐκεῖνός τε εἴρηκε καὶ ἄλλοι πλείονς*). In fr. 111, ubi de Amazonibus agitur, laudat Theophanem, Metrodorum, Hypsicratem. Sic etiam in fr. 4, 23 sqq. de Arsacis, regni Parthici conditoris, origine duplicem exhibet memoriam. Denique affero fr. 15[b], in quo flumen Oblivionis (*τῆς Λήθης*) ab aliis Limaeam, ab aliis Belionem, et Baenim ab aliis Minium appellari commemorat. De fr. 169 (= fr. 13 Mueller), ubi de Hyrcano Caesaris in bello Alexandrino socio et Asinium Pollionem et Hypsicratem laudat auctores, iam supra (p. 6) feci mentionem. Omnino autem nihil magis proprium est Strabonis quam haec in materia congerenda diligentia.

Quoniam vero tam multis Strabo, ut erat vir immensae lectionis, usus est auctoribus neque, ut alii rerum scriptores, unum semper fontem exscripsit, sed complures simul adiit

Digitized by Google

fontes, facile intellegitur rem esse satis difficilem ac lubricam, ad quosnam fontes singulae res a Strabone in hypomnematis historicis narratae redeant, explorare. Hanc quaestionem, quae singulari eget cura, non mihi in animo est hic pertractare: singula quaedam monere satis habebo.

Ac primum quidem nonnulla dicam de Caesaris de bello Gallico commentariis Strabonis hypomnematorum historicorum fonte. Nam hinc utique proficiscendum, quoniam hic unus est ex omnibus Strabonis fontibus, cuius scripta ad nos pervenerunt, ut hic quidem facile et certo diiudicari possit, quaenam huic auctori debeat Strabo et quomodo eo sit usus. Caesaris commentarios a se esse adhibitos ipse Strabo dicit in fr. 149, ubi de Gallia in tres partes divisa eum testem profert. Fragmenta autem, quae pertinent ad bella a Caesare in Gallia gesta, in quibus Strabonis cum Caesaris commentariis consensus conspicuus est (fr. 149—157), omnia desumpta sunt ex Strabonis geographicis. Iam vero de Caesare Strabonis geographicorum fonte quaestionem instituit Antonius Miller in progr. Reginensi 'Strabos Quellen ueber Gallien und Britannien' (Stadtamhof 1868), ubi Strabonis *locos*, qui ex Caesare ei videbantur hausti, diligenter collegit atque recensuit. Qui post eum de eadem re nuper disseruit, Hermannus Wilkens[1]), Millerum plerumque secutus de his quidem rebus fere nihil novi protulit. Locorum a Millero ad Caesarem relatorum Augustus Vogel in Milleri dissertationis recensione[2]) haud parvum numerum iusto iure sustulit, quippe qui aut res nimis tritas continerent, quas in quovis alio Strabo potuit invenire fonte, aut parum cum Caesare convenirent. Remotis autem his in eis qui restant locis nihil aliud tractatur nisi res historicae. In ipsa vero Galliae atque Britanniae descriptione geographica Strabo non Caesare, sed aliis auctoribus usus est. Itaque prona est coniectura Strabonem in geographicis conscribendis omnino non adiisse ipsos Caesaris commentarios,

1) 'Quaestiones de Strabonis aliorumque rerum Gallicarum auctorum fontibus' (diss. Marpurg. 1886) p. 7—22.

2) In Philolog. vol. XLI p. 519 sqq.

Digitized by Google

sed quaecumque in geographicis ad Caesarem redeunt, petita esse ex hypomnematis historicis. Hoc idem rectissime suspicatus est iam Vogelius l. l. p. 521 sq., sed etiam alia usus ratiocinatione, qua ad eundem finem perducimur.

Etenim locis illis, quamquam mirus inter Strabonem et Caesarem consensus deprehenditur, tamen nonnumquam Strabo a Caesaris memoria discrepat et haud raro singulas quasdam res in ipsam narrationem ex Caesare petitam inseruit, quae desiderantur apud Caesarem[1]). Sic in fr. 156, 6 sqq. aperte obloquitur Caesari, cum dicat Arduennam silvam fuisse *οὐ τοσαύτην, ὅσην οἱ συγγραφεῖς εἰρήκασι, τετρακισχιλίων σταδίων*. Nam tantundem eam in longitudinem patere dixerat Caesar. Vogelius l. l. ex Asinio Pollione hic Caesarem a Strabone correctum esse suspicatur, sed potuit etiam ipse Strabo, qui Romae commorabatur, verum cognoscere ex viris illustribus Romanis, qui post Caesarem in Gallia versati erant. Itaque huic loco non tantum tribuam. Graviora sunt, quae secuntur.

Etenim in fr. 150, 8 sqq. Strabo veterum inter Haeduos et Sequanos inimicitiarum praeter causam ex Caesare depromptam (quod Sequani Germanis se adiunxissent) etiam aliam affert, quam ex Caesare non discimus, nimirum quod de Arari flumine et de vectigalibus inde redeuntibus magna inter eos fuisset contentio.

Porro in fr. 154 quae v. 10 sqq. de Venetorum navium, quibus pugnam cum Caesare commiserunt, structura singulari Strabo narrat, desunt apud Caesarem, ex quo reliqua omnia hausit.

Saepius in fr. 155 recedit a Caesaris memoria. Nam v. 4 sq. Caesarem dicit ex Britannia celeriter rediisse *διὰ τὰς ἐν τοῖς Κελτοῖς γενομένας στάσεις τῶν τε βαρβάρων καὶ τῶν οἰκείων στρατιωτῶν*, cum Caesar nihil commemoret nisi ipsius Galliae motus; militum seditiones fortasse consulto omisit Caesar; nam eiusmodi res invidiosas silentio solet prae-

1) Cf. de his Vogelium l. l. p. 520 sq.

Digitized by Google

terire. Deinde (vs. 19 sq.) hac in re discrepat a Caesare, quod traiectum a continenti in Britanniam insulam facit stadiorum CCCXX, qui Caesare teste fuit XXX milium passuum (= CCXL stadiorum). Neque veri est simile, id quod statuit Millerus l. l. p. 29, 36, Strabonem in numero afferendo errasse propterea, quod alio loco (in eodem fragm. vs. 29) eundem exhibet numerum. Denique accuratius quam Caesar, qui *meridiano fere tempore* se ad Britanniam appulisse tradit, eum *περὶ ὀγδόην ὥραν* (vs. 31) dicit ad insulam accessisse[1]).

Nolim tamen cum Vogelio inter hos locos recensere fr. 151, 7 sq., ubi Strabo ceteroquin egregie consentiens cum Caesare Helvetiorum a Caesare in patrias sedes remissorum numerum a Caesaris plane diversum exhibet. Nam secundum Caesarem fuerunt milia CX[2]), in Strabonis autem libris legitur *ὀκταχισχίλιοι*. Frustra est Millerus, qui hunc numerum a Strabone effectum esse ex Caes. b. G. VII 75 opinatur l. l. p. 23, 17. Neque quidquam lucramur Wilkensii coniectura (l. l. p. 21 sq.), qua Strabonem hoc loco non ipso Caesare, sed alio auctore usum esse putat ‘qui quasi primoribus tantum labris gustaverat singula ex Caesaris commentariis’. Neque cum Vogelio statuerim hunc numerum redire ad alium fontem atque ad Caesarem, quoniam is solus de hac re aliquid memoriae poterat prodere, quippe qui ipse ad Helvetiorum relictorum numerum reperiendum censum habuisset (b. G. I 29). Itaque numerum, qui in Strabonis libris legitur, corruptum esse mihi persuasum est, praesertim cum nihil saepius mendis inquinatum esse constet quam ipsos numeros[3]). Hoc igitur loco praeter Caesarem nullum alium Strabo adiit auctorem.

Reliquis autem locis apparet Caesarem non unicum fuisse Strabonis fontem, sed ex aliis scriptoribus historicis eum et

---

1) Ad alteram Caesaris in Britanniam expeditionem haec Strabonis verba pertinere recte exposuit Millerus l. l. p. 23, 18.

2) Cf. etiam Plut. Caes. 18. Oros. VI 7, 5.

3) Ipsi hi numeri ,ια (= 110000) et ,η (= 8000) facile poterant inter se permutari.

Digitized by Google

nonnulla addidisse et hic illic Caesarem correxisse. Verum haec cum adeo commixta essent cum Caesarianis atque in unum confusa, ut nisi Caesaris commentarii superessent, vix possent dignosci, recte conclusit Vogelius non ipsum Caesarem in geographicis a Strabone esse adhibitum, sed locos illos excerptos esse ex hypomnematis historicis, quo in opere Strabo praeter Caesarem aliis usus erat rerum scriptoribus ad bellum Gallicum describendum. Praeclare igitur id, quod iam saepius monuimus, hoc quoque confirmatur exemplo Strabonem non satis habuisse unum fontem sequi, sed semper quam plurimos adiisse. Unde apparet, magna in Strabonis fontibus investigandis opus esse cautione.

Quam cautionem desidero in dissertatione ceteroqui laude digna, quam nuper de Theophane Strabonis fonte scripsit Guilelmus Fabricius [1]). — Theophanem Mytilenaeum scimus descripsisse bellum a Pompeio cum Mithridate gestum, in quo ipse erat Pompei comes. Ad quod bellum pertinent fr. 99—139. Quae omnia fere [2]) ad Theophanem Fabricius rettulit et multos praeterea alios Strabonis geographicorum locos, quo in opere conscribendo rursus eum adiisse Theophanem sane veri simile est [3]) propterea, quod ille scriptor terras, quas ipse cum Pompeio visit, accuratissime descripsit, ut apparet ex fragmentis collectis a Muellero FHG vol. III p. 312 sqq. Neque potest dubitari, quin Strabo et in hypomnematis historicis et in geographicis permulta petiverit ex Theophane, quem saepius laudat: cf. fr. 101, 7; 111, 2; geogr. XI 2, 2 p. 493; 14, 4 p. 528; 14, 11 p. 530. Etiam hoc concedo terrarum circa Caucasum montem iacentium, imprimis Albaniae atque Iberiae, descriptiones maximam partem haustas esse ex Theophane, id quod iam ante Fabricium cognovit Ioannes Neumann [4]). Nam hae terrae antea satis

1) 'Theophanes von Mytilene und Quintus Dellius als Quellen der Geographie des Strabon' diss. Argentorat. 1888.

2) Fr. 97 b. 99. 101—113. 115. 116. 129. 131—133. 134 b. 135—139.

3) Cf. Fabricium l. l. p. 235.

4) In Fleckeisenii annal. suppl. vol. XIII 1883 p. 320 sqq.

Digitized by Google

obscurae primum ipsa Pompei expeditione accuratius cognitae sunt, ut ipse dicit Strabo II 5, 12 p. 118. Neque quisquam de populis illis accuratiora poterat docere quam Theophanes, quoniam eo secutus erat Pompeium (cf. fr. 111, 2 sq.). Quamquam vel hic praeter Theophanem etiam aliis auctoribus usum esse Strabonem elucet ex fr. 111, ubi de Amazonum sedibus affert quidem Theophanis sententiam, sed ei opponit Metrodori Scepsii et Hypsicratis Amiseni testimonia, quibus se non minus quam Theophani tribuere indicat additis verbis *οὐδὲ αὐτοὶ ἄπειροι τῶν τόπων γεγονότες*. In eis autem quae secuntur, Strabo Metrodorum et Hypsicratem secutus res mythicas de Amazonibus narrat. Itaque etiam aliae res mythicae, quas de his populis Strabo passim profert[1]), utrum ex Theophane sint petitae an ex aliis scriptoribus, ambiguum est. Inde vero, quod Appianus et Plutarchus, quos Theophane usos esse putant, saepe his in rebus cum Strabone consentiunt, nihil licet concludere. Nam non ex Theophane, sed ex ipso Strabonis opere historico eos hausisse infra demonstrabo.

Quae praeterea ad Theophanem rettulit Fabricius, haec plane incerta et ex parte etiam falso ei tributa esse mihi videntur. Sic libri XI caput XIV, in quo Armeniam Strabo describit, totum fere Theophani vindicavit (p. 24 sqq. 116 sqq.) hoc maxime nisus argumento, quod Armenia ante Pompei expeditionem non tam accurate fuisset nota. At iam Lucullus Tigrani regi bellum inferens alte in hanc terram penetraverat et certe iam Alexandri Magni aetate multa de ea innotuerunt, qui in Syspiritidem misit Menonem teste Strabone XI 14, 9 p. 529. Hoc apparet ex Strabonis geogr. XI 14, 12 sq. p. 530/1 (cf. XI 4, 8 p. 503), ubi Cyrsilum Pharsalium et Medium Larisaeum *ἄνδρας συνεστρατευκότας Ἀλεξάνδρῳ* haec dicit narrasse: Armeniae nomen derivatum esse ab Armeno Thessalo, qui cum Iasone in Armeniam profectus esset; *τῶν δὲ μετὰ τοῦ Ἀρμένου τοὺς μὲν τὴν Ἀχιλισηνὴν οἰκῆσαι — — τοὺς δὲ ἐν τῇ Συσπιρίτιδι ἕως τῆς Καλαχηνῆς καὶ τῆς Ἀδιαβηνῆς;*

1) Cf. fr. 103 b c. 106 a, 5 sqq. b.

Digitized by Google

Thessalae autem originis multa exstare indicia; sic etiam Araxem flumen nomen accepisse ab Armeno propter similitudinem, quae ei intercederet cum Peneo, *καλεῖσθαι γὰρ Ἀράξην κἀκεῖνον διὰ τὸ ἀπαράξαι τὴν Ὄσσαν ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου ῥήξαντα τὰ Τέμπη*. Iam animum advertas ad verba sequentia, quae arte cohaerent cum antecedentibus: *καὶ τὸν ἐν Ἀρμενίᾳ δὲ ἀπὸ τῶν ὀρῶν καταβάντα πλατύνεσθαί φασι τὸ παλαιὸν καὶ πελαγίζειν ἐν τοῖς ὑποκειμένοις πεδίοις οὐκ ἔχοντα διέξοδον, Ἰάσονα δὲ μιμησάμενον τὰ Τέμπη ποιῆσαι τὴν διασφάγα, δι' ἧς καταράττει νυνὶ τὸ ὕδωρ εἰς τὴν Κασπίαν θάλατταν*. Deinde addit Strabo probabiliora haec sibi videri quam quae de Araxe dicat Herodotus, quem secutus sit Callisthenes. Fabricius autem (p. 37 sq. 122 sqq.) praefracte negat Cyrsilo et Medio Armeniae provinciarum nomina et Araxis fluminis cursum fuisse nota, quae ante Pompei expeditionem nemo potuisset scire. Itaque duos illos locos, quos exscripsimus, non scriptos esse posse a Cyrsilo vel Medio, sed haec addita esse a Theophane, ex quo totum locum deprompsisse Strabonem; a Theophane laudatos esse et Cyrsilum et Medium et Herodotum et Callisthenem. — At quomodo Araxes a Cyrsilo et Medio poterat comparari cum Peneo (nam hanc comparationem iam ab eis ut Thessalis esse institutam etiam Fabricius debet concedere: cf. p. 124), nisi fauces illae, per quas Araxes in praeceps defertur, priusquam in Caspium mare se effundit, illis erant notae? Et si hoc eis erat compertum, cur singularum Armeniae regionum notitiam eis denegemus? — Denique quo iure statuit Fabricius tot fontibus usum esse Theophanem Cyrsilo, Medio, Callisthene, Herodoto? Quid Theophani cum Alexandri rerum scriptoribus rei est? Strabonem autem, qui hypomnemata de Alexandri rebus gestis composuit, Callisthene multisque aliis, qui de Alexandro scripserant, auctoribus usum esse constat. Itaque et hic ipsum Strabonem illos scriptores adiisse persuasum habeo et XI 13, 10 p. 526 et XI 7, 2 p. 508/9 et XI 14, 9 p. 529, quos locos omnes Theophani iniuria tribuit Fabricius. Herodoti autem et Ephori et Apollonidis testimonia etiam aliis locis Theo-

Digitized by Google

phanem subministrasse Straboni contendit parum probabiliter (p. 135. 149. 166. 182. 215). Omnino multos a Theophane adhibitos esse scriptores vix credibile videtur, si nobiscum reputamus, quam brevi tempore totum opus a Theophane sit conscriptum. Nam inter ipsum bellum sane res memoria dignas breviter litteris mandasse putandus est, sed ad opus elaborandum ante belli finem certe non accessit. Cum vero anno 62 a. Chr. Theophanis historia iam in lucem esset emissa (Cic. pro Arch. 10, 24), una hieme (a. 63/2) eam confecit, ut recte exposuit Fabricius l. l. p. 5. 7. 8.

Quod autem omnes res historicas, imprimis quae pertinent ad rerum ordinem a Pompeio in Ponto, Cappadocia, Galatia constitutum, ex Theophane hausisse Strabonem affirmat, ne hac quidem in re eius sententiam possum amplecti. Nam hoc unum probavit belli Mithridatici Strabonem haec debere scriptori[1]). Sed quoniam has res Strabo haud dubie desumpsit ex hypomnematis historicis, ubi praeter Theophanem hac in parte etiam alios ab eo adhibitos esse auctores quovis pignore contenderim, ad quem potissimum scriptorem singula redeant, nullo modo potest diiudicari. Ordinem autem a Pompeio in Asia institutum, regnorum donationes, urbium constitutiones num Theophanes in opere suo quasi iam ratas omnino narraverit, priusquam senatus Romanus eas ratas esse iussisset, valde dubito, quia hac re senatum offendisset et Pompeio invidiam conflasset, id quod anxie cavebat.

Iam examinemus, quae in eadem dissertatione Fabricius de Dellio Strabonis fonte disputavit. Ac rectissime quidem demonstravit (p. 220. 235) Dellii librum a Strabone

---

1) In fr. 99 Fabricius (p. 73. 88 sq.) luculentum Theophaneae originis vestigium sibi videtur deprehendisse. Nam in commemorando colloquio Danaae inter Pompeium et Lucullum habito Strabonem nihil dicere de turpi altercatione inter duos illos imperatores tunc orta. Nimirum Theophanem, quaecumque Pompei gloriae potuissent officere, consulto omisisse. At ex Strabonis silentio plane nihil hic licet concludere. In hypomnematis historicis, unde brevem hanc mentionem petivit, certe etiam rixam illam enarravit (cf. fr. 100).

Digitized by Google

in geographicis conscribendis non denuo inspectum esse, sed quaecumque ad eum redirent, petita esse ex hypomnematis historicis. Rettulit autem ille ad Dellium (p. 220 sqq.) secutus plerumque Buerckleinium[1]) fragmenta haec: 208. 209. 215. 223—228[2]). Atque quae de Antonii expeditione Parthica Strabo narrat (fr. 223—227), maximam certe partem fluxerunt ex Dellio, Antonii in hoc bello comite, quem ipse Strabo auctorem perhibet fr. 225, 7. In reliquis autem fragmentis, quae non pertinent ad hanc expeditionem et in eis locis, quos Fabricius p. 81 sq. Dellio tribuit, res admodum incerta est. Nihil enim perversius est in auctore, in quo miram fuisse lectionem constat, quam ad unum omnia referre fontem. Adde quod omnino dubium est, num res et ante Antonii expeditionem et post eam gestas Dellius descripserit.

Cum Strabonis autem fragmentis 223—226, quae certe ad Dellium redeunt, mire consentire videmus Plutarchum in Antonii vita, ut aut ipso Dellio aut Strabonis hypomnematis in Antonii bello Parthico enarrando eum usum esse necessario sit statuendum, id quod iam Buerckleinius l. l. p. 15 et ib. adn. 1 recte cognovit. Sed utrum sit verum, diiudicare non audeo.

Reliquos scriptores a Strabone in hypomnematis historicis adhibitos, qui quidem in fragmentis laudati sint, breviter tantum hic enumerabo.

Ac saepissime quidem Strabo usus esse videtur Posidonio, qui laudatur in fr. 21, 1; 27, 12. 17; 32, 12. 21; 37, 1; 45, 9. Praeterea ex Posidonio hausisse Strabonem in fr. 11. 23. 26a adnotavi in commentariis ad hos locos additis. Posidonii historiae uberrimus procul dubio Strabonis erat fons. Sed etiam eiusdem auctoris libros *περὶ ὠκεανοῦ*, in quibus multas res historicas ille tractaverat, videtur adiisse itemque

1) 'Quellen und Chronologie der roemisch-parthischen Feldzuege in den Jahren 713—718 d. St.' diss. Berol. 1879.

2) Strab. XI 14, 9 p. 530 (de equis Nisaeis), quem locum Dellio tribuit Fabricius p. 226 sq., non est cur ex eo potissimum haustum esse statuamus.

Digitized by Google

historiam, quam de Pompei rebus gestis scripsit Posidonius teste Strabone in geogr. XI 1, 6 p. 492.

Praeterea in fragmentis laudantur Hypsicrates (fr. 111, 7; 169, 8; 175, 21), Timagenes (fr. 32, 11; 33, 9), Apollodorus Artemitenus *ὁ τὰ Παρθικὰ ποιήσας* (fr. 5, 6. 13. 24; 6, 6 sq.), Metrodorus Scepsius (fr. 111, 7), Apollonides (fr. 45, 10), Asinius Pollio (fr. 169, 5), Tanusius (fr. 72, 1).

Digitized by Google

QUAESTIONES STRABONIANAE

Collectis Strabonis hypomnematorum historicorum reliquiis et huius operis indole satis explorata quaeritur, num rerum scriptores, qui post Strabonis aetatem floruerunt et quibus eaedem res erant tractandae, in eis enarrandis adhibuerint hunc Strabonis librum. Atque inter auctores recensetur Strabo — ut omittam Tertullianum — a Iosepho et a Plutarcho, quibus nonnulla huius operis debemus fragmenta. Itaque nostrum erit exquirere, quomodo hi auctores usi sint Strabone et numquae praeterea apud illos et omnino apud posterioris aetatis scriptores redeant ad Strabonis hypomnemata.

Inter eos autem scriptores, qui Strabonis servaverunt fragmenta, primum locum obtinet Flavius Iosephus non solum propterea, quod longe plurima tradidit fragmenta, verum etiam quia solus hic est auctor, qui ipsa Strabonis verba integra attulit. Itaque primo loco agatur:

DE STRABONIS QUAE EXSTANT APUD IOSEPHUM RELIQUIIS

Strabonis fragmenta quaecumque Iosephus servavit, inveniuntur in antiquitatum Iudaicarum[1]) libris XIII et XIV et primo libri XV initio. Quibus in libris ipsa Strabonis verba exscripsit Iosephus locis hisce: XIII 10, 4 (fr. 34). 11, 3 (fr. 33); XIV 3, 1 (fr. 119). 7, 2 (ubi duos locos affert = fr. 55. 58). 8, 3 (ubi item duo inveniuntur fragmenta = fr. 169); XV 1, 2 (fr. 214). — Praeterea, ut fidem faciat eis, quae narravit, Strabonem testem profert XIII 12, 6 (fr. 35) una cum Nicolao

1) Semel etiam in libris contra Apionem scriptis II 7 (fr. 1) Strabonem una cum multis aliis auctoribus testem citat.

Digitized by Google

Damasceno, XIV 4, 3 (fr. 124[b]) cum Nicolao et Livio, XIV 6, 4 (fr. 145) cum Nicolao.

Atque qui nuper in Iosephi fontes inquisiverunt, Henricus Bloch [1]) et Iustus de Destinon [2]), etiam de Strabone Iosephi fonte nonnulla disputaverunt, sed cum rem non plane expedivisse mihi viderentur et cum etiam de rebus singulis haberem quae vel adderem vel emendarem, hanc quaestionem statui retractare.

Atque proximum est, ut exploretur, utrum ex ipso Strabone Iosephus hauserit, an illos Strabonis locos iam invenerit allatos in fonte illo, ex quo reliquam narrationem totam petivit. — Nam Iustus de Destinon in libello laudato argumentis, quae nihil dubii relinquunt, probavit Iosephum et in hac antiquitatum Iudaicarum parte, ubi Strabonis fragmenta inveniuntur inserta, et in belli Iudaici, quod antea composuerat, libro primo, ubi de eisdem rebus agitur, unum eundemque fontem exscripsisse, illo tantum discrimine interposito, quod in antiquitatibus plenius atque accuratius hunc auctorem expressit, in bello Iudaico eiusdem narrationem magis coartavit. Cum autem testimoniorum illorum, quae in antiquitatibus Iudaicis passim afferuntur non modo ex Strabone, sed etiam ex aliis auctoribus velut ex Polybio, Agatharchide, Nicolao, Livio, in bello Iudaico nullum usquam exstet vestigium, vel inde oritur suspicio ea non ex communi illo antiquitatum bellique Iudaici fluxisse fonte, sed ab ipso Iosepho, cum antiquitates conscriberet, narrationi esse inserta. Huc accedit, quod Iosephus in his testimoniis afferendis eisdem semper utitur formulis sollemnibus velut: *μαρτυρεῖ τοῦτο καὶ Στράβων λέγων οὕτως* vel *μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ Στράβων* similibus. Sed manifesta fit res eo, quod saepe testimonia illa tantum abest ut ea, quae Iosephus antea narravit, confirment, ut eis maxime repugnent et adversentur, id quod recte demonstravit Destinon l. l. p. 55 sqq.

---

1) 'Die Quellen des Flavius Iosephus in seiner Archaeologie' (Lips. 1879) p. 93 sq.

2) 'Die Quellen des Flavius Iosephus in der juedischen Archaeologie Buch XII–XVII = jued. Krieg Buch I' (Kiel 1883) p. 53—60.

Digitized by Google

Ac luculentissimi exempli instar est Ios. A. I. XIII 11, 3 (fr. 33). Hoc loco postquam item atque in bello Iudaico Aristobulum, Iudaeorum regem, descripsit, qui tyrannus tantae fuisset crudelitatis, ut ne eis quidem, qui genere ei erant proximi, parceret, narrationem finit hisce verbis: *ταῦτ' εἰπὼν ἐπαποθνήσκει τοῖς λόγοις βασιλεύσας ἐνιαυτόν*, et similiter B. I. I 3, 6: *ταῦτ' εἰπὼν εὐθέως τελευτᾷ βασιλεύσας οὐ πλεῖον ἐνιαυτοῦ*. At in antiquitatibus pergit in eodem enuntiato de regis illius moribus plane contrarie iudicans hunc in modum: *πολλὰ εὐεργετήσας τὴν πατρίδα — — φύσει δ' ἐπιεικεῖ ἐκέχρητο καὶ σφόδρα ἦν αἰδοῦς ἥττων, ὡς μαρτυρεῖ τοῦτο καὶ Στράβων ἐκ τοῦ Τιμαγένους ὀνόματος λέγων οὕτως· 'ἐπιεικής τε ἐγένετο οὗτος ὁ ἀνὴρ καὶ πολλὰ τοῖς Ἰουδαίοις χρήσιμος κτλ.'* Sequens deinde caput rursus cum bello Iudaico bene congruit. Elucet igitur Iosephum rerum diversitate ac repugnantia plane neglecta Strabonis locum in narrationem ex fonte illo, quem solet exscribere, depromptam suo Marte inculcasse ita quidem, ut primum Strabonis sententiam verbis eius leviter submutatis pro sua venderet, cui deinde fidem adderet in testimonium vocatis ipsis Strabonis verbis.

Eodem artificio usum esse Iosephum A. I. XV 1, 2 (fr. 214) sagaciter perspexit Destinon l. l. p. 57. In libro XIV extremo (cap. 16, 4) Iosephus fontem suum secutus narrat Antigono ab Herode ac Sosio capto Herodem, qui ab Antigono metueret, magnis pecuniis ab Antonio impetrasse, ut de illo supplicium sumeretur. Loco autem illo libri XV subito et plane ex abrupto aliam de Antigoni morte exhibet memoriam, cuius auctorem profert Strabonem: ipsum nimirum Antonium, cum Iudaeos prioris regis amore Herodis regnum detrectare videret, suopte consilio usum Antigonum securi percuti iussisse. Hic quoque Iosephus, ut Strabonis testimonium commode posset inserere, loci Straboniani praemisit paraphrasim.

Etiam A. I. XIII 10, 4 (fr. 34) non solum ipse locus ex Strabonis hypomnematis decerptus, sed haud dubie tota paragraphus 4 ad Strabonem est referenda, ut iam Destinon l. l. p. 58 coniecit. Etenim quae de Chelcia et Anania ducibus

Digitized by Google

Iudaeis, qui tum apud Cleopatram Aegypti reginam magna fuerint in auctoritate, Iosephus ibi exponit, omnino non pertinent ad rem, de qua agitur, sed in fontis narrationem satis moleste sunt inserta, id quod continuo ferit oculos, si initium ac finem spectamus. Nam a fonte, quem quasi ducem sequitur, his digreditur verbis: *καὶ τὰ μὲν περὶ Ὑρκανὸν ἐν τούτοις ἦν. — Κατὰ δὲ τοῦτον ἔτυχε τὸν καιρὸν κτλ.*, et in § 5 ad fontem illum sic revertitur: *ταῦτα μὲν οὖν ὁ Στράβων φησίν. — Ὑρκανῷ δὲ φθόνον ἐκίνησεν ἡ εὐπραγία παρὰ τῶν Ἰουδαίων*: cf. B. I. I 2, 8 *πρὸς δὲ τὰς εὐπραγίας αὐτοῦ δὲ Ἰωάννου καὶ τῶν παίδων φθόνος ἐγείρει στάσιν τῶν ἐπιχωρίων.* Sed qua tandem causa commotus est Iosephus, ut narrationem tam foede interrumperet? En habes causam dignam mediusfidius misello hoc scriptore! Nimirum quia in fonte suo Ioannis Hyrcani *εὐπραγία* erat commemorata, praeclaram doctrinae suae effundendae se nactum esse occasionem arbitratus Strabonis locum, ubi ille duos Iudaeos apud Aegypti reginam in honore fuisse tradiderat, in suum usum convertit, ut inde efficeret tunc non solum Hierosolymis, sed etiam Alexandriae Iudaeos fortuna prospera esse usos (*εὐπραγεῖν*). Conferas enim haec Iosephi verba, quibus hoc satis diserte indicat: *Κατὰ δὲ τοῦτον ἔτυχε τὸν καιρὸν μὴ μόνον τοὺς ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ τῇ χώρᾳ Ἰουδαίους εὐπραγεῖν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατοικοῦντας καὶ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Κύπρῳ κτλ.*

Eiusdem generis excursus invenitur A. I. XIV 7, 2 (fr. 55. 58), ubi postquam narravit divitias templi Hierosolymitani a Crasso esse exhaustas, cupide arripit occasionem, ut duobus testimoniis ex Strabonis hypomnematis allatis doceat, quantae Iudaeorum sint opes quantaque per totum orbem terrarum potentia[1]). Tertia autem paragraphus commode se applicat ad primae finem sicut in B. I. I 8, 8.

---

1) Post primum testimonium ex Strabone allatum Iosephus interpretis munere infelicissime functus est. Dixerat enim Strabo Mithridatem ex Co insula Cleopatrae divitias et Iudaeorum octingenta talenta abstulisse. Quinam erant hi Iudaei? Iosephus confidenter contendit fuisse

Digitized by Google

De A. I. XIV 8, 3 (fr. 169), ubi duobus locis Strabonianis Iosephus studet demonstrare non solum Antipatrum, sed etiam Hyrcanum belli Alexandrini a Caesare gesti fuisse socium, nihil habeo quod moneam.

Restat ut de uno loco sententiam meam expromam, qui maioribus intricatus est difficultatibus. A. I. XIV 3, 1 (fr. 119) Iosephus Strabonis locum, quo donum pretiosissimum ab Aristobulo ad Pompeium missum describitur, inseruit narrationi, qua re haec vehementer est perturbata. Nam sicut nunc apud Iosephum res narrantur, earum ordo erat hic: Pompeio, ubi Damascum venit, per Iudaeorum legatos splendidum Aristobuli donum traditur. Paulo post alii legati ab Hyrcano et Aristobulo missi eum adeunt, quos ineunte vere rursus ad se venire iubet. Ipse exercitu ex hibernis educto in agrum Damascenum proficiscitur, eiusque per Apameam, Heliopolim, Chalcidem iter accuratissime a Iosepho describitur. Damasci autem Iudaeorum legati et ipsi fratres regii ei praestolantur. Damasco igitur ex hibernis profectus Damascum contendit Pompeius. At scimus non ante anni 63 a. Chr. ver Pompeium venisse Damascum, hiberna autem a. 64/3 non Damasci, sed in Syria habuisse, fortasse Antiochiae, id quod etiam ex itinere a Iosepho enarrato dilucide apparet.

Itaque Benedictus Niese[1]) rem sic explicandam esse existimat: hiberna a Iosepho commemorata esse Syriaca; Strabonis

---

hanc pecuniam Iudaeorum in Asia habitantium, qui metu Mithridatis in illam insulam sua transtulissent; neque enim veri simile esse eos, qui Iudaeam incolerent, pecunias illic deposuisse, cum urbem munitissimam et templum haberent, neque Iudaeos, qui Alexandriae habitarent, quibus Mithridates non fuisset metuendus. Haec omnia perversissima sunt. Nam stulti hercle fuissent Iudaei in Asia habitantes, si in Co insulam bona sua contulissent, cum Mithridatis classis totum mare teneret atque in Graeciam, quin etiam in Hispaniam ad Sertorium navigaret. Immo, intellegendi sunt Iudaei Alexandrini, qui non sane Mithridatem, sed Ptolemaeum Lathurum a Cleopatra ex Aegypto eiectum metuebant. Hi enim, imprimis *οἱ ἐκ τῆς Ὄνιου λεγόμενοι* ducibus Chelcia et Anania, a Cleopatrae partibus stabant, ut ipse Iosephus Strabonem secutus narravit XIII 10, 4. Hi igitur reginae exemplum imitati pecunias in Co insulam miserant.

1) In Herm. vol. XI p. 471.

Digitized by Google

autem illud de Aristobuli dono Damascum misso testimonium falso loco a Iosepho esse insertum, quod si eiciatur, narrationem esse integram atque omni ex parte perfectam. Itane vero? Immo, aut hic falsus est vir doctissimus aut in eis, quae antea dicit: 'Nimmt man die Zuthaten heraus, so wird die Hauptquelle hergestellt, ohne auch nur die geringste Luecke zu zeigen.' Nam si primam huius capitis paragraphum [1]) exterminaremus, narratio inciperet a verbis *μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ ἦκον πάλιν πρέσβεις πρὸς αὐτόν*, ubi neque illud *πρὸς αὐτὸν* haberet, quo referretur, neque vocabulum *πάλιν* sententiae conveniret. Ex omnibus autem, de quibus disseruimus, locis hoc certissime intellegitur, Iosephum, ubicumque aliena inseruit, fontis sui primarii narrationem numquam mutilasse. Itaque Niesii de hoc loco sententia non potest esse recta.

Sed collatis, quae Iosephus de eadem re disserit in bello Iudaico I 6, 4, verum haud dubie cognoscitur. Ibi nimirum non solum illa de Aristobuli dono narratiuncula, verum etiam Pompei itineris descriptio omnino desideratur et narratio statim incipit a Pompei in urbem Damascenorum adventu, ubi Hyrcanus et Aristobulus ipsi eum adeunt. Quodsi mecum statuis etiam Pompei itineris descriptionem ex Strabone additam esse a Iosepho, omnia iam plana esse contendo. In Iosephi fonte res ante Pompei adventum gestae non erant expositae. Iam apud Strabonem legebat illam de Aristobuli dono narratiunculam, quae ei memoratu videbatur digna. Cum autem Strabo in Syriam missum esse illud donum tradidisset, quo modo haec insereret dubius haerebat bonus Iosephus, quoniam in fonte suo de his nihil inveniebat. Qua igitur ratione ex his angustiis se expedivit? Ex fonte suo prima verba deprompsit *μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ Πομπηίου εἰς Δαμασκὸν ἀφικομένου καὶ Κοίλην Συρίαν ἐπιόντος*, quae fere ad verbum consentiunt cum B. I. I 6, 4 *καὶ ἐπειδὴ Πομπήιος ἐπιὼν τὴν Συρίαν εἰς Δαμασκὸν ἦκεν*; deinde de temporis ac loci ratione plane securus Strabonis testimonium inserit et, ut rursus in gratiam

1) Verba *μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ Πομπηίου εἰς Δαμασκὸν ἀφικομένου* usque ad finem *τοῦτο λέγεται πέμψαι τὸν Ἰουδαίων δυνάστην*.

Digitized by Google

redeat cum fonte suo, pergit Strabonem exscribere usque ad Pompei Damascum in urbem adventum i. e. usque ad verba *ἀπὸ τῆς Πέλλης εἰς Δαμασκὸν ἦκεν*. Iam relicto Strabone ad fontem suum revertitur, cuius quasi in servitium se addixit.

Nec deest indicium, quo demonstretur in illa parte Iosephum non suum fontem secutum esse, sed aliunde hausisse. Iudaeorum enim legati cum Pompeio conqueruntur ut rem notissimam, Gabinium trecentis talentis corruptum esse, cuius rei neque in antiquitatibus neque in bello Iudaico antea fit mentio. Singulae autem res bene cum Strabonis fragmentis conveniunt: de Ptolemaeo, Mennaei filio, a quo Pompeius per Apameam, Heliopolim, Chalcidem profectus poenas repetit, conferas fr. 120, et de Lysiadis praedonum arcis expugnatione cf. fr. 124, 17.

Iam igitur omnibus his locis diligenter examinatis pro certo licet affirmare ipsum Iosephum testimonia ex Strabonis hypomnematis desumpta fontis sui narrationi insernisse et saepe quidem loco minime idoneo et ratione plane inepta, ut in complurium fontium memoriis complectendis hospes omnino atque tiro sit iudicandus. Similis etiam testimoniorum, quae ex aliis scriptoribus attulit, est ratio. Nimirum, ut recte exposuit Destinon p. 59, Iosephus cum ad antiquitates Iudaicas conscribendas se accingeret, Strabonis, Nicolai Damasceni, aliorum opera perlustravit et cum fontis sui, quem iam in bello Iudaico secutus erat, narratione contulit. In quibus si quid memorabile inveniebat, quod in fonte illo non erat narratum, excerpsit et, ubi aliquo modo poterat fieri, inseruit. Ubi vero illos auctores cum fonte suo videbat consentire, testibus saltem eis usus est praesertim ad rei parum credibilis fidem augendam [1]).

Sed priusquam haec longius persequamur, necessarium erit fontem illum, quem potissimum exscripsit Iosephus, accuratius cognoscere.

Ac Destinon in libello suo demonstravit et in antiquitatum libris XII et XIII et in belli Iudaici libro I unum eundemque a Iosepho expilatum esse fontem, in quo cum rebus Iudaicis

1) Cf. XIII 12, 6 (fr. 35). XIV 4, 3 (fr. 124 b).

Digitized by Google

iam coniuncta erat rerum Syriacarum atque Aegyptiacarum brevis expositio. Nam formulas illas, quibus Iosephus rerum exterarum narrationem solet praecidere ad res Iudaicas iam transiturus (*ὡς καὶ ἐν ἄλλοις δεδηλώκαμεν* vel *ὡς καὶ ἐν ἄλλοις δεδήλωται*) recte monuit Destinon non Iosephi esse proprias (nam nusquam alibi neque in antiquitatibus neque in bello Iudaico neque in alio opere de his rebus exposuit), sed eas quoque a Iosepho ex fonte suo una cum narratione esse descriptas[1]).

Hic Anonymus a Iosepho exscriptus in Iudaicis quidem rebus ex primo Maccabaeorum libro hausit ea, quae tractat Iosephus in A. I. XII—XIII 6, 6 (cf. Destinon p. 60—91), quae in A. I. XIII 7, 1—XIII 16, 6 exposuit, ex fonte Iudaeo satis exili, in quo rerum memoria fabulis immixtis iam erat depravata (cf. Destinon p. 40—45).

Quae vero de rebus Syriacis in libris XII—XIII narrat Iosephus, in his Anonymus ille fontibus usus est Polybio et Posidonio (cf. Destinon p. 45—53).

In libris autem antiquitatum XIV—XVII = B. I. I 6, 1—33, 9 Iosephum putat hausisse ex ipsis Nicolai Damasceni historiis (cf. p. 91—120, imprimis p. 102 sqq.) propterea, quod in hac parte conspiciatur apertum Antipatri eiusque filii Herodis studium, quorum memoriam Nicolaus, Herodis regis amicus, haud dubie maxime celebravit.

Ac de libris XII—XIII quidem rectissime mihi videtur iudicasse Destinon, sed quae de librorum XIV—XVII fonte disseruit, cur magnam partem mihi non probentur, iam erit explicandum.

Atque initio certe antiquitatum libri XIV = B. I. I 6, 2 Nicolaum non esse fontem Iosephi manifesto intellegitur ex loco, quem Destinon (p. 103) levi pede transiluit. Nam A. I. XIV 1, 3 dicit Antipatrum fuisse Idumaeum, hominem magnis opibus praeditum, sed natura seditiosum. Sed statim addit haec: *Νικόλαος μέντοι φησὶν ὁ Δαμασκηνὸς τοῦτον εἶναι γένος ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων τῶν ἐκ Βαβυλῶνος εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀφικομένων. Ταῦτα δὲ λέγει χαριζόμενος Ἡρώδῃ*

1) Cf. Destinon p. 19—29 et 39.

Digitized by Google

τῷ παιδὶ αὐτοῦ κτλ. In bello autem Iudaico I 6, 2 prior illa memoria a Nicolao longe abhorrens sola invenitur. Haec igitur una in communi fonte fuit narrata, alteram Nicolai in antiquitatibus conscribendis postea inseruit Iosephus; quam ob rem nihil certius est quam hoc, praecipuum Iosephi fontem hic non fuisse Nicolaum.

Praeterea hoc Destinonis sententiae repugnat, quod Iosephus in libro XIV Nicolaum saepius una cum Strabone testem profert (XIV 4, 3 et 6, 4) pariter atque in libro XIII (c. 12, 6). Numquam autem Iosephum fontem eum, quem ducem sequitur, hac ratione laudat; sic in ea parte, ubi non potest dubitari, quin Nicolaum exscripserit, nusquam hunc citavit auctorem uno excepto loco (XVI 7, 1), cuius tamen plane alia est ratio. Nam ibi quod minimi pretii fabulam, quae alicunde innotuit Iosepho, silentio praeteriit Nicolaus, hanc occasionem arripit, ut graviter eum accuset atque vituperet.

Adde quod formulae illae, quibus in libris antecedentibus utitur ad rerum exterarum narrationem praecidendam (ὡς καὶ ἐν ἄλλοις δεδήλωται etc.), similiter etiam in libro XIV inveniuntur adhibitae eo tantum intercedente discrimine, quod hic non de rebus Syriacis agitur, sed de rebus Romanis. Atque solis in antiquitatibus hae formulae leguntur XIV 11, 1 et 12, 2. Sed id quod multo gravius est, hic, ubi belli Iudaici aliquanto uberior atque copiosior est rerum expositio, bis etiam fit, ut formulae illae eodem narrationis loco inveniantur et in antiquitatibus et in bello Iudaico:

B. I. I 8, 8 διαβὰς δὲ τὸν Εὐφράτην αὐτός τε (sc. ὁ Κράσσος) ἀπώλετο καὶ ὁ στρατὸς αὐτοῦ, περὶ ὧν οὐ νῦν καιρὸς λέγειν.	A. I. XIV 7, 3 καὶ αὐτὸς μὲν δὴ σὺν παντὶ διεφθάρη τῷ στρατῷ, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις δεδήλωται.
ib. I 8, 9 Κάσσιος δὲ — — ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ὑπέστρεψε Πάρθους διαβαίνειν ἀνείρξων, περὶ ὧν ἐν ἑτέροις ἐροῦμεν.	ib. XIV 7, 3 Κάσσιος μὲν οὖν — — ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ἠπείγετο ὑπαντιάσων τοῖς ἐκεῖθεν ἐπιοῦσιν, ὡς καὶ ὑπ' ἄλλων δεδήλωται.

Digitized by Google

Quod casu evenisse non potest, sed recte Niesius [1]) et Destinon [2]) inde effecerunt, iam in Iosephi fonte his locis formulas eas fuisse usurpatas.

Quid igitur? Nonne veri est simillimum eum fontem, cuius maxime proprius erat harum formularum usus, quem Iosephus adhibuit in libris XII—XIII, etiam in libro XIV, ubi plane idem deprehenditur scribendi mos, a Iosepho esse exscriptum? Huc accedit, quod libri XIII narratio in libro XIV sicut etiam in bello Iudaico uno tenore continuatur, neque ullum fontis mutati exstat indicium. Itaque Anonymo illo in quarto decimo quoque antiquitatum libro itemque in belli Iudaici parte ea, quae huc pertinet, usum esse Iosephum persuasum habeo.

Iam quaerendum est, num in antiquitatum libris XV—XVII et in B. I. I 18, 4 usque ad primi libri finem ex ipso Nicolao hauserit Iosephus, ut Destinoni videtur. Nam quin aliqua certe ratione ac via ad Nicolaum haec redeant, dubium esse non potest propter insignes Herodis laudes.

Quodsi antiquitatum hac in parte cum belli Iudaici comparamus narrationem, unum statim in propatulo est, scilicet hoc, quod in rerum expositione ceteroqui satis simili magnum inter utriusque operis ordinem intercedit discrimen. In bello enim Iudaico Herodis regis historiae duae magnae distinguuntur partes, quarum in altera res ab eo gestae usque ad mortem deinceps enarrantur (I 18, 4—21), in altera Herodis res domesticae memoriae traduntur (I 22, 1 usque ad libri finem). At vero in antiquitatibus hae duae partes in unum sunt conflatae ita, ut universa Herodis vita secundum temporis ordinem sit disposita [3]). Ac Destinon quidem (p. 101) belli Iudaici ordinem statuit esse genuinum, qualem ipse Nicolaus in opere suo historico adhibuerit, in antiquitatibus autem materiam in alium ordinem redegisse Iosephum temporis rationem secutum.

Quae longe mihi videntur abhorrere a vero. Nam primum quidem parum est probabile Nicolaum, qui universam, non

1) In Herm. vol. XI p. 469.
2) L. l. p. 18 et 19 adn. 1.
3) Cf. Destinon l. l. p. 16 et 101.

Digitized by Google

Iudaeorum separatim scripsit historiam, in ingenti suo opere in Herodis rebus gestis enarrandis singula genera distinxisse neque, id quod naturae maxime est conveniens, temporis ordinem servasse. Qua re non possum adduci, ut ordinem, qualis exstat in bello Iudaico, a Nicolao credam esse institutum.

Verum ut hoc ipsum interim concedam Iosephum apud Nicolaum illum rerum ordinem invenisse, cur tandem in antiquitatibus eum mutavit? Atque hercle omnino nego sine ullo subsidio atque adiumento Iosephum res dissipatas neque certo semper tempori attributas in singulos annos tam apte potuisse digerere, praesertim si nobiscum reputamus, quam hebetis hic scriptor fuerit ingenii, id quod non solum ex eis locis, de quibus supra disseruimus, sed etiam inde luculenter apparet, quod decreta atque senatusconsulta, quae antiquitatibus Iudaicis ipse inseruit, in quibus tempus, ad quod pertinent, accuratissime indicatur, plane nullo ordine ac consilio disposuit[1]).

Iam dixerit quispiam, qui in antiquitatibus Iudaicis traditur rerum ordo, fortasse ad Nicolaum Damascenum esse referendum, quem in bello Iudaico ita mutasse Iosephum, ut primum de Herodis rebus gestis, deinde de vita privata ageret. At ne haec quidem ratio videtur probabilis. Nam in bello Iudaico, praesertim sub alterius partis finem (cap. 21) omnia eo redeunt, ut Herodis virtus in caelum efferatur. Quid? Ab ipsone Iosepho hoc ita institutum esse putemus, qui quanto Herodis odio sit inflammatus, satis saepe indicat[2])? Hoc nemo serio contenderit. Quae cum ita sint, illum Anonymum, quem Iosephus in praecedentibus belli Iudaici capitibus est secutus, etiam Herodis aetatem fonte adhibito Nicolao Damasceno suspicor tractasse, sed temporis ordine, quem ille instituerat, non observato inter duas illas partes singulas res distribuisse. Hunc igitur Anonymum in bello quidem Iudaico Iosephus perrexit exscribere. In antiquitatibus autem Iudaicis inde a libro XV abiecto illo fonte ipsum Nicolaum adiit hac nimirum commotus causa, quod Herodis regis historiam, quae apud Iosephum

1) Cf. Niese in Herm. vol. XI p. 466 sqq.
2) Cf. Destinon l. l. p. 101.

Digitized by Google

incipit ab ipso libro XV, multo uberius atque accuratius expositam inveniebat apud Nicolaum, qui cum huius regis gratia floreret, singulari cura ac diligentia in opere suo eius memoriam coluisse putandus est. Hac ratione optime explicatur et quod belli Iudaici multis locis cum antiquitatum consentit narratio et quod rerum ordo in utroque opere plane est diversus. Simul autem intellegitur, qui factum sit, ut in antiquitatibus multo plenius quam in bello Iudaico omnia perscripserit Iosephus praesertim Herodis res domesticas[1]).

Sed redeamus ad libros XIII et XIV. In his Anonymum illum exscriptum esse a Iosepho supra exposuimus. Sed iam oritur quaestio, quibusnam ex fontibus ille sua hauserit.

Ac primum quidem ad librum XIII animum attendamus.

---

1) Sic etiam una res facillime expeditur, quae Destinonem vehementer vexavit (p. 113 adn. 1): A. I. XV 3, 5—7. 9 et XV 6, 5; 7, 1—4 leguntur duae narratiunculae, inter quas similitudo quaedam intercedit. Altero loco narratur Herodem, cum a. 35 a. Chr. ad Antonium in Aegyptum esset profecturus, Mariammen uxorem tradidisse Iosepho, Salomae sororis marito, ut illam interficeret, si quid in itinere sibi accidisset; quod iussum quia effutisset, ab Herode eum esse interfectum. Altero loco similiter Herodem egisse exponitur, cum a. 31 a. Chr. ad Octavianum ei iter esset faciendum. Mariammen cum eius matre Alexandrei inclusam in custodiam dat Iosepho quaestori et Soëmo Ituraeo, quibus idem mandat. Cum autem domum revertisset, de Soëmo, qui rem ad feminas detulerat, et de ipsa Mariamme supplicium sumi iussit. — In bello autem Iudaico I 22, 4 sq. altera narratiuncula plane desideratur et Mariammen statim post iter ad Antonium factum necatam esse narratur. Qua re quae posteriore loco in antiquitatibus traditur narratio, nihil aliud esse suspicatur Destinon nisi malam prioris repetitionem, quam ex alio nescioquo fonte inseruisse Iosephum, cum non animadverteret se bis eadem narrare. Quae sententia mihi videtur perversissima. Nam duae illae narratiunculae, ut sint similes, tamen etiam multis in rebus inter se differunt. In Iosephi certe nomine bis commemorato nihil est offensionis, quoniam altero loco est ὁ θεῖος Herodis, altero loco ὁ ταμίας. Fontis autem illius a Destinone ficti nusquam apparet nec vola nec vestigium. — Immo persuasum habeo in bello Iudaico illas narratiunculas in unum coaluisse sive Iosephi, id quod mihi quidem videtur veri simillimum, sive eius auctoris incuria, cuius historia usus est. In antiquitatibus autem Nicolaum secutus suo loco utramque recte tradidit Iosephus. —

Digitized by Google

Omissis autem rebus Iudaicis solum hoc quaeramus, quibus fontibus usus sit Anonymus in rebus Syriacis et Aegyptiacis enarrandis, quas non ex eodem fonte desumptas esse atque res Iudaicas manifestum est. Atque in Syriacarum quidem, quae his in libris continentur, rerum fontes iam inquisivit Mauricius Nussbaum [1]), cui omnibus fere in rebus astipulatur Destinon (p. 46 sqq.). Ille autem v. d. demonstrat Polybium esse fontem in A. I. XII 3, 1—XIII 4, 8 i. e. inde ab Antiocho Magno usque ad Alexandri Balae et Ptolemaei Philometoris mortem (a. 146 a. Chr.); quae vero de rebus Syriacis exponantur in A. I. XIII 4, 9—XIII 13 i. e. inde a Demetrii Nicatoris regni initio usque ad a. 95 a. Chr., ex Posidonio esse hausta.

Quae mihi quoque in universum recte disputata esse videntur, nisi quod, quae extremo loco Posidonio vindicat, in his ambiguum esse potest iudicium. Atque A. I. XIII 8, 2 sq., ubi, quo modo Hierosolyma ab Antiocho Sideta capta sint, enarratur, veri simillimum est redire eum ad Posidonium propterea, quod haec accurate consentiunt cum Diodori XXXIV fr. 1. Sed A. I. XIII 13, 4 sine causa idonea ad Posidonium rettulit Nussbaumius (p. 39 sq.). Itaque si iam in rebus paulo ante narratis alium ab Anonymo illo adhibitum esse fontem apparuerit, nihil obstabit, quin hunc quoque locum ei tribuamus.

Iam vero in cap. 12, ubi Ptolemaei Lathuri, Aegypti regis, expeditio adversus Iudaeos facta describitur, manifestum novi fontis deprehenditur vestigium. Nam in § 5 numerus Iudaeorum in pugna ad Iordanem fluvium commissa occisorum his verbis affertur: *τρισμυρίους γοῦν ἔφασαν αὐτῶν ἀποθανεῖν, Τιμαγένης δὲ τετρακισμυρίους εἴρηκε.* Quod ne credas ab ipso Iosepho esse adiectum! Is enim, si quid ex alio auctore inserit, plane alia ratione hoc solet indicare. Neque Anonymus ille in his rebus externis, quas non tractat nisi in transitu, ex compluribus fontibus materiam conquisivisse

1) 'Observationes in Flavii Iosephi antiquitat. XII 3—XIII 14' diss. Gotting. 1875.

Digitized by Google

putandus est. Quem igitur ab eo statuemus adhibitum esse fontem? An Posidonium? At is quidem non poterat laudare Timagenem, qui aetate scripsit aliquanto posterior. Atqui cognitum habemus scriptorem, qui Timagene frequentissime est usus. Nam loco, quo praeterea Timagenis mentionem facit Iosephus, diserte dicit, apud quem auctorem eum invenerit laudatum: XIII 11, 3 (fr. 33) *ὡς μαρτυρεῖ τοῦτο καὶ Στράβων ἐκ τοῦ Τιμαγένους ὀνόματος λέγων οὕτως κτλ.* Ipse vero Strabo Timagenem testem citat fr. 32, 11 et in geogr. XV 1, 57 p. 711. Atque omnino Strabonem in diversorum scriptorum memoriis colligendis multam collocasse operam iam supra demonstravimus p. 5 sqq. 215 sqq. Ad quem igitur potius haec referamus quam ad Strabonem? Quid? quod § 6 extr. cum eis, quae de Ptolemaei crudelitate exposuerit, consentire Strabonem ipse testatur Iosephus, cui non venit in mentem ex ipso illo scriptore fontem suum haec petivisse. At etiam Nicolaus Damascenus a Iosepho testis profertur. Sane quidem, sed mox apparebit in his certe Nicolaum ab Anonymo non esse adhibitum. Iam vero animum advertas, quam praeclare in Strabonem omnia quadrent.

In eiusdem capitis § 4 duplex de Alexandri militum numero traditur memoria, qua in re Strabonis agnoscitur diligentia[1]).

Sequenti statim capite (XIII 13, 1 sq.) narratur Cleopatram, Aegypti reginam, Chelciam et Ananiam Iudaeos universo praefecisse exercitui. Deinde Chelciae vitae exitus commemoratur. In § 2 autem quantam Ananias apud Cleopatram habuerit auctoritatem, exemplo illustratur. Quae omnia mirum in modum consentiunt cum eis, quae XIII 10, 4 (fr. 34) ex Strabonis hypomnematis historicis attulit Iosephus (cf. supra p. 227 sq.). Quid? Quod in § 1 Cleopatra Ptolemaei metu res pretiosissimas atque nepotes in Co insulam misisse dicitur, nonne haec ipsa narraverat Strabo, ut intellegitur ex testimonio,

1) *Συνήθροισε καὶ αὐτὸς περὶ πέντε μυριάδας τῶν ἐπιχωρίων, ὡς δ' ἔνιοι συγγραφεῖς εἰρήκασιν ὀκτώ.*

Digitized by Google

quod XIV 7, 2 (= fr. 55) ex Strabone Iosephus inseruit (cf. supra p. 228 et ib. adn. 1)?

Porro XIII 16, 4 agitur de Tigranis, Armeniae regis, bello Syriaco. Ptolemais oppidum ab eo obsidetur, cuius incolae iussu Cleopatrae Selenes, Syriae reginae, portas ei clauserant. Sed vix oppidum expugnavit, cum nuntius ad Tigranem affertur Lucullum devicto Mithridate depopulari Armeniam; quibus cognitis statim domum revertitur. De his quoque rebus in hypomnematis accurate exposuisse Strabonem, qui omnino in bellis Mithridaticis enarrandis singularem locavit operam, apparet ex fr. 86, 21 sqq. et 90, 3 sqq., ubi et Tigranis in Syriam expeditionis et Cleopatrae Selenes a Tigrane captae inicit mentionem.

Quae cum ita sint, quin Strabonis hypomnematis usus sit Anonymus, ubicumque in libri XIII capp. 12—16 exterarum gentium res attinguntur, eo minus dubito, quod etiam in libro XIV, ad quem iam accedamus, idem fons etiam apertius cognoscitur.

Atque initio quidem libri XIV (c. 1—2, 2) res Iudaicae exponuntur, quas unde petiverit Anonymus, hic non quaerimus. Sed c. 2, 3—6, 4, ubi uno tenore Pompei atque Gabinii res in Iudaea gestae describuntur, ex alio fonte fluxerunt. Qua in parte narrationem suam consentire cum Strabone et cum Nicolao Damasceno ipse Iosephus bis testatur: XIV 4, 3 de Iudaeorum, qui in templo Hierosolymitano a Pompeio obsidebantur, constantia ac religione et XIV 6, 4, ubi de tota hac parte affirmat haec: *περὶ δὲ τῆς Πομπηίου καὶ Γαβινίου στρατείας ἐπὶ Ἰουδαίους γράφει Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ οὐδὲν ἕτερος ἑτέρου καινότερον λέγων.* Quae verba si ad amussim exigimus, hoc dicit Iosephus: fontis sui, quem religiose exscripsit, narrationem cum Strabone et Nicolao ita consentire, ut nihil novi ex his auctoribus potuerit adicere. Itaque, ut doctrinam suam ostenderet, nomina saltem eorum protulit. Alterum igitur certe fontem secutus est Anonymus, sed utrum adhibuerit, Strabonem an Nicolaum, difficile videtur esse ad diiudicandum, cum ipse Iosephus dicat *οὐδὲν ἕτερον*

Digitized by Google

ἑτέρου καινότερον λέγειν. Verumtamen quoniam et in libro XIII vidimus Iosephum compluribus locis cum Strabone consentire et hic etiam minimis in rebus accurate eos inter se congruere videbimus, probabilius utique esse censeo ex Strabone hausisse Anonymum quam ex Nicolao, qui quid de his rebus narraverit, omnino ignoramus. Ceteroquin moneo, ne quis nimium illis Iosephi verbis tribuat, quasi nihil prorsus inter Strabonis ac Nicolai narrationem interfuerit.

Iam autem videamus, quae inter Iosephum et Strabonem conveniant. Qua in re non opus erit totos locos exscribere, sed breviter, quibus in rebus consentiant, indicabo, quoniam ipsos locos iam composui in fragmentis, quae velim inspicias.

Iosephus A. I. XIV 4, 1 sqq. = B. I. I 7, 1 sqq. multis in rebus congruit cum Strabonis fr. 124[a]. Uterque narrat templum Hierosolymitanum, quo Iudaei a Pompeio oppugnati confugerant, natura egregie fuisse munitum fossa vel potius voragine ingentis et altitudinis et latitudinis et praeterea muro lapideo admodum firmo. Deinde consentiunt de ratione, qua usus Pompeius templum expugnaverit, per eos dies, quibus Iudaei propter religionem ab omni opere solent abstinere, fossa completa machinisque admotis. De Iudaeorum autem religione, qui ne tum quidem, cum Romani iam irruentes omnia caede implerent, sacra facere destiterint, ipse Iosephus testem citat Strabonem. Sed longe gravissimum illud est, quod uterque tradit Hierosolyma capta esse τῇ τῆς νηστείας ἡμέρᾳ, id quod nusquam alias memoriae traditum est.

Porro conferas Iosephi locos A. I. XIV 4, 4 et B. I. I 7, 6 sq. cum Strabonis fr. 126, ubi mire consentientes narrant Pompeium ademptis oppidis quibusdam, quae antea a Iudaeis vi erant subacta, Hyrcanum praefecisse sacerdotio.

Iam venio ad locum satis memorabilem: A. I. XIV 4, 1 = B. I. I 6, 6, ubi Pompeium, antequam Hierosolyma peteret, apud Hierichuntem castra posuisse narrat, quasi praeteriens Iosephus monet illam regionem fertilem esse palmarum et balsami, quod quomodo ex arboribus paretur ab incolis, breviter exponit. Quae eisdem paene verbis etiam apud Strabonem

leguntur in fr. 125. Qui consensus, quo levior est ipsa res, in qua conspicitur, eo maioris mihi videtur momenti esse ad fontem agnoscendum.

Etiam de Nabataeis a Scauro et a Gabinio subactis (A. I. XIV 5, 1; 6, 4) Strabonem in hypomnematis historicis exposuisse colligitur ex fr. 127. Quas autem Gabinius suscepit expeditiones et in Parthos et in Aegyptum, ut Ptolemaeum in regnum restitueret, commemoratas a Iosepho A. I. XIV 6, 2 = B. I. I 8, 7, de his conferas Strabonis fr. 146.

Idcirco iure mihi videor statuere ad Strabonem redire Iosephi A. I. XIV 2, 3—6, 4 quaeque in bello Iudaico his respondent. Iam quaeritur, num etiam ultra hunc terminum Strabone usus sit Anonymus.

Certe post cap. 6 manifesto, ut ita dicam, incisa est narratio. Nam postquam Pompei et Gabinii expeditiones accurate descripsit, iam inde a cap. 7 rebus Romanis breviter tantummodo perstrictis multo diligentius ipsas res Iudaicas tractat. In ultima autem libri XIV parte tam manifestum Herodis eiusque patris Antipatri per totam narrationem conspicitur studium [1]), ut non possit dubitari, quin Nicolaum Damascenum secutus sit Anonymus [2]). Cum vero iam inde a cap. 7 narratio ita sit comparata, ut Antipatri virtus quam maxime eniteat, hic primum relictis aliis fontibus Anonymum totum se dedisse Nicolao veri est simillimum, ex quo etiam, quae de rebus Romanis breviter adnotat, haud dubie petivit.

Ad Strabonem igitur ultra cap. 6 nihil omnino mihi videtur redire apud Anonymum, id quod alia quoque ratione probatur. Nam in cap. 7 § 1 Anonymum secutus in transitu monet Iosephus Crassum ex templo Hierosolymitano duo milia talentum sustulisse et praeterea omne aurum, quod fuisset ad octo milia

---

1) Cf. A. I. XIV 9, 2 = B. I. I 10, 5. A. I. XIV 11, 4. 12, 1. 13, 1. 13, 8 sq. 14, 1. 15, 8.

2) Cf. Destinon l. l. p. 103 sqq. — Strabonem multo integrius atque incorruptius de Herode iudicasse apparet ex fr. 204 (*παραδὺς εἰς τὴν ἱερωσύνην*).

Digitized by Google

talentum [1]). Quod ne cui videatur incredibile, in § 2 ipse Iosephus duobus locis Strabonianis studet demonstrare, quantae Iudaeorum tum fuerint opes. Quid? Si ea ipsa, quae in § 1 traduntur, apud Strabonem invenisset scripta, nonne hoc potius Strabonis testimonio usus esset ad rei fidem augendam, quam duobus illis, quae longe sunt repetita et minus apta ad persuadendum? Qua re non est veri simile paragraphum primam fluxisse e Strabone.

Uno tamen loco libri XIV extremi Strabonem cognosco. Vidimus supra p. 240 verba *τῇ τῆς νηστείας ἡμέρᾳ*, quo die Hierosolyma a Pompeio expugnata esse feruntur A. I. XIV 4, 3, Strabonis maxime esse propria. Quem locum totum hic apponam: *καὶ γὰρ ἁλούσης τῆς πόλεως περὶ τρίτον μῆνα τῇ τῆς νηστείας ἡμέρᾳ κατὰ τὴν ἑνάτην καὶ ἑβδομηκοστὴν καὶ ἑκατοστὴν ὀλυμπιάδα ὑπατευόντων Γαΐου Ἀντωνίου καὶ Μάρκου Τυλλίου Κικέρωνος κτλ.* Quae si ex Strabone desumpta sunt, idem necessario statuendum est, ut iam Blochius recte monuit l. l. p. 105, de loco plane gemello A. I. XIV 16, 4, ubi eodem modo tempus significatur, quo Hierosolyma ab Herode ac Sossio capta sint a. 37 a. Chr., alterius loci habita ratione: *τοῦτο τὸ πάθος συνέβη τῇ Ἱεροσολυμιτῶν πόλει ὑπατεύοντος ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Ἀγρίππα καὶ Κανινίου Γάλλου ἐπὶ τῆς πεμπτῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος τῷ τρίτῳ μηνὶ τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας, ὥσπερ ἐκ περιτροπῆς τῆς γενομένης ἐπὶ Πομπηίου τοῖς Ἰουδαίοις συμφορᾶς· καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνου τῇ αὐτῇ ἑάλωσαν ἡμέρᾳ, μετὰ ἔτη εἴκοσι καὶ ἑπτά.* Cum autem hac in parte ad Nicolaum Damascenum, non ad Strabonem omnis redeat narratio, verba illa e Strabone hoc loco putanda sunt esse inserta aut ab Anonymo aut ab ipso Iosepho, cum antiquitates conscriberet (nam in bello Iudaico I 18, 3 haec verba omnino desiderantur). Et sane aut egregie fallor aut additamenti speciem haec verba prae se ferunt. Huc accedit, quod quae hic de expugnationis tempore traduntur,

1) Quae deinde narrantur de trabe aurea ab Eleazaro Crasso tradita, ab ipso Iosepho ex alio fonte addita sunt, ut docuerunt Niesius in Herm. vol. XI p. 470 et Destinon l. l. p. 105.

Digitized by Google

pugnant cum fontis praecipui narratione[1]). Nam secundum hoc Strabonis testimonium tertio mense urbs capta est[2]), in bello autem Iudaico legitur I 18, 2 *πέντε μησὶ διήνεγκαν τὴν πολιορκίαν* et V 9, 4 *ἐπὶ μῆνας ἓξ ἐπολιορκοῦντο.*

Haec sunt, quae apud Iosephum ex Strabonis hypomnematis historicis fluxisse mihi videntur.

Restat ut, quae inter Strabonem et Nicolaum Damascenum intercesserit ratio, disquiratur. Quos auctores in his rebus enarrandis mirum quantum inter se consensisse apparet et ex illis, quae supra p. 239 attulimus, Iosephi verbis et ex A. I. XIII 12, 6 et XIV 4, 3, ubi de eisdem rebus uterque testis citatur. Quam ob rem Arnoldus Schaefer[3]) aliique statuerunt Strabonem in hypomnematis historicis fonte usum esse Nicolao.

Atque in geographicis quidem semel Nicolaum laudat Strabo XV 1, 72 sq. p. 719/20, ubi Indorum ad Augustum legationem (a. 20 a. Chr.), quam ille ipse suis oculis viderat, ipsis eius verbis enarrat[4]). In hypomnematis autem historicis Nico-

1) Haec discrepantia sane tolleretur, si vera esset Blochii sententia, qua statuit (p. 105 et 106 adn. 1) tertium mensem et hoc loco et A. I. XIV 4, 3 non esse tertium obsidionis, sed tertium anni Attici mensem, Boëdromionem, qui Iudaeis sit Tischri, in quem incidat *ἡ τῆς νηστείας ἡμέρα* ('Versoehnungsfest'). Quae ratio omni caret probabilitate. Quis enim credat Strabonem in rebus Romanis enarrandis usum esse mensibus Atticis? Sed ut sit usus, certe non dixisset *τῷ τρίτῳ μηνί*, sed suo nomine mensem appellasset. Hierosolyma autem re vera tertio obsidionis mense a Pompeio esse expugnata duobus belli Iudaici locis diserte dicitur: I 7, 4 *τρίτῳ γὰρ μηνὶ τῆς πολιορκίας — — εἰσέπιπτον εἰς τὸ ἱερόν*, et V 9, 4 *τρισὶ γοῦν μησὶ πολιορκηθέντες κτλ.*: cf. Suid. s. v. *Πομπήιος*. Liv. ap. Eutr. VI 14 et ap. Oros. VI 6, 4.

2) Nisi forte verba *τῷ τρίτῳ μηνί* falso hic irrepserunt ex XIV 4, 3 aut Anonymi aut Iosephi culpa.

3) 'Abriss der Quellenkunde der griechischen und roemischen Geschichte' part. II p. 88.

4) Ne in geographicis quidem Nicolao usus esse videtur excepto ipso hoc loco, quem a Strabone, postquam totum hunc geographicorum librum iam confecit, hic in Indiae descriptionis fine ex Nicolao postea additum esse suspicari licet e verbis, quibus Nicolai narratio ad antecedentia agglutinatur: *προσθείη δ' ἄν τις τούτοις καὶ τὰ παρὰ τοῦ Δαμασκηνοῦ Νικολάου.* Tunc igitur primum Nicolai opus innotuit Straboni.

Digitized by Google

laum ab eo esse adhibitum propterea nego, quod eodem fere tempore uterque opus suum composuit. Nam Nicolaus ad scribendam historiam accessit inter annos 16, quo in Asia apud Agrippam versabatur [1]), et 12 a. Chr., quo cum Herode Romam profectus est [2]). Quo in opere peramplo, in quo centum quadraginta quattuor libris historia ab eo deducta erat usque ad annum circiter quartum a. Chr. n. [3]), per longum tempus desudavit Nicolaus [4]). Res autem, de quibus hic agitur, in posterioribus narratae erant libris, scilicet inter libros CX, ubi Luculli ex Asia reditus erat commemoratus, et CXIV, ubi de Crasso erat sermo. Itaque Strabonem, quem eodem fere tempore hypomnemata conscripsisse supra demonstravimus p. 12, non veri simile est ex Nicolao sua petivisse.

Quae cum ita sint, horum auctorum consensum ita explicandum esse arbitror, ut eosdem ab eis adhibitos esse fontes statuamus.

Indolis plane diversae et multo maioris quam Iosephus ingenii auctor est Plutarchus, cuius inter fontes fuit etiam Strabo, quem laudat in vitis Sullae c. 26 (fr. 65[a]), Luculli c. 28 (fr. 88), Caesaris c. 63 (fr. 187.) Qui scriptor cum in vitis, qua erat lectionis ubertate, ex multis fontibus, quidquid ad usum suum idoneum videbatur, collegisset neque fere sine arte inter se contexuisset, difficillimum esset, quae Straboni potissimum deberet, diiudicare, nisi alius auctor servatus esset, inter quem et Plutarchum certa quaedam intercedit ratio, Appianum dico, quem multis in partibus totum pendere ex Strabone videbimus.

Itaque simul quaerendum est:

---

1) Nicol. de vita sua fr. 3 (FHG III p. 350): cf. Ios. A. I. XVI 2, 2.
2) Nicol. de vita sua fr. 4. Ios. A. I. XVI 4, 1.
3) Cf. Mueller FHG III p. 344 sq. Destinon l. l. p. 99 sq.
4) Nicol. de vita sua fr. 4.

Digitized by Google

DE STRABONE APPIANI ET PLUTARCHI FONTE

I

De Appiani bellorum civilium libro II et de Plutarchi vitarum particulis quae huc pertinent

Appianum in bellorum civilium libro II et Plutarchum in Caesaris maxime ac Pompei vitis sat multis locis et in rebus narratis et in ipsis etiam verbis mirum in modum inter se congruere iam pridem viri docti animadverterunt omnesque in eo consenserunt, communem aliquem utriusque narrationi subesse fontem. Quem esse Asinium Pollionem post Wijnnii librum publici iuris factum [1]) inveteravit opinio, quam primus Paulus Bailleu [2]) accuratius definire et argumentis stabilire conatus est. Cuius viri docti cum omnes fere subscripsissent sententiae, Thoureto [3]) laudi dandum est, quod falsam eam esse princeps luculentissime demonstravit. Gravissimum autem argumentum inde repetit (p. 333 sq.), quod et Appianus II 82 et Plutarchus in vita Pomp. c. 72 et similiter in vit. Caes. c. 46 — quem locum miror Thouretum plane fugisse — uno eodemque narrationis loco de Pompeianorum in pugna Pharsalica occisorum numero testem citant Asinium Pollionem et ratione quidem prorsus simili:

App. b. c. II 82	Plut. Pomp. 72	Plut. Caes. 46
Ἐκ δὲ τῆς ἄλλης στρατιᾶς οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δισμυρίους ἐπὶ πενταχισχιλίοις, Ἀσί-	*Στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους φησὶ πεσεῖν Ἀσίνιος Πολλίων*	*Στρατιώτας δὲ μὴ πλείους ἑξακισχιλίων πεσεῖν* sc. *φησι Πολ-*

1) 'De fide et auctoritate Appiani in bellis Romanorum civilibus enarrandis exploratis fontibus, quibus usus esse videtur' Groning. 1855.

2) 'Quomodo Appianus in bell. civ. libr. II—V usus sit Asinii Pollionis historiis' diss. Gotting. 1874.

3) 'De Cicerone Asinio Pollione C. Oppio rerum Caesarianarum scriptoribus' in stud. Lips. vol. I 1878 p. 303 sqq.

Digitized by Google

νιος δὲ Πολλίων ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηίου.	*μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος.*	*λίων Ἀσίνιος.*

Unde efficitur neutrum ex ipso Asinio hausisse, sed in communi utriusque fonte illud Asinii testimonium iam exstitisse.

Qui nuper spretis, non refutatis Thoureti argumentis ad tritam illam ac pervulgatam rediit sententiam, qua *Asinium* fontem statuunt, Ottonem Basiner[1]) non opus est multis refellere, cum iam Iudeichius[2]) hoc munere strenue functus *sit*, qui Thoureti causam suscepit et egregie contra Basinerum defendit.

Sed Thouretus non modo negavit Asinio auctore usos esse Appianum et Plutarchum, verum etiam qualis *fuisset ille* fons, ex quo illi sua bauserunt, diligenter exploravit. Etenim ad Graecum scriptorem utriusque narrationem redire rectissime cognovit. Quod quin iure contenderit, nemini puto fore dubium, qui, quanta inter eorum narrationes intercedat similitudo, animum adverterit, quippe qui saepenumero easdem res eisdem propemodum verbis exponant. Et quamquam iam Paulus Bailleu l. l. p. 9 sqq. multos locos, ubi singularis inter Appianum et Plutarchum deprehenditur consensus, inter se comparavit, tamen, quoniam ille neque omnes attulit neque quos attulit integros exscripsit, operae pretium esse existimo omnes hos locos in unum colligere, ut in uno quasi conspectu ponantur. Ipsa autem verba Graeca cum propter magnam locorum multitudinem non possint apponi, locos saltem quam accuratissime significabo, ut facili negotio possint inveniri; in paginis autem et versibus numerandis sequor editiones Appiani Mendelssohnianam et Plutarchi Sintenisianam minorem:

---

1) 'De bello civili Caesariano' Quaestiones Caesarianae pars I. Dorpat. 1883.

2) 'Caesar im Orient' (Lipsiae 1885) p. 33 sqq.

Digitized by Google

App. 8 p. 694, 10 sq. 14 sq. = Plut. Caes. 11 p. 374, 9—11: Caesar ne in Hispaniam proficiscatur, a creditoribus impeditur.

App. 8 p. 694, 24—695, 9 = Plut. Caes. 13 p. 375, 19—29: Caesar dimisso triumpho consulatum petiturus urbem intrat.

App. 10 p. 696, 13—19 = Plut. Caes. 14 p. 376, 18—26: Caesar rogationes a Pompeio et Crasso collaudatas ad populum fert.

App. 12 p. 698, 14—16 = Plut. Caes. 14 p. 377, 12—16: Bibulus per reliquum consulatus sui tempus domi se continet.

App. 13 p. 699, 13—15 = Plut. Caes. 14 p. 377, 18—20: Caesari Gallia citerior ulteriorque in quinquennium cum quattuor legionibus datur.

App. 14 p. 699, 18—700, 2 = Plut. Caes. 14 p. 377, 1—12: Caesar nuptiis Pompeium ac Pisonem sibi devincit: Catonis dictum.

App. 14 p. 700, 3—11 = Plut. Caes. 14 p. 378, 3—7: Clodium tribunum plebis Caesar facit, ut Ciceronem evertat.

App. 17 p. 702, 11—13 = Plut. Caes. 21 p. 385, 22—24. Pomp. 51 p. 242, 17—20: De lictorum senatorumque, qui Lucam ad Caesarem convenerant, numero.

App. 19 p. 704, 11—15 = Plut. Caes. 28 p. 392, 12—15: De rei publicae statu corrupto ac depravato.

App. 20 p. 705, 2—11 = Plut. Caes. 28 p. 392, 21—27: Quasi *φάρμακον* a multis commendatur Pompei dictatura, quam ut adipiscatur, ille omnibus viribus contendit.

App. 23 p. 708, 1—9 = Plut. Caes. 28 p. 392, 27—393, 3: Pompeius Catone auctore consul sine collega creatur duasque accipit provincias.

App. 25 p. 711, 1—6 = Plut. Caes. 29 p. 394, 8—12. Pomp. 58 p. 250, 19—23: Caesar frustra a senatu petit, ut imperium sibi prorogetur; eius dictum.

App. 26 p. 711, 6—15 = Plut. Caes. 29 p. 393, 9—14: Marcellus civem Novi Comi, quod oppidum iure Latii Caesar donaverat, virgis verberatum ad Caesarem mittit.

App. 26 p. 712, 4—10 = Plut. Caes. 29 p. 393, 17—20. Pomp. 58 p. 250, 15—17: Paulum et Curionem Caesar largitione redimit.

App. 27 p. 713, 10—12 = Plut. Caes. 30 p. 394, 21—22: Curio tamquam athleta floribus obrutus a populo deducitur.

App. 29 p. 715, 14—16 = Plut. Caes. 29 p. 393, 25—27: Caesar legionem magnis pecuniis donatam Pompeio remittit.

App. 30 p. 716, 7—17 = Plut. Caes. 30 p. 394, 28—31. Pomp. 58 p. 251, 3—9: Senatus de Caesare et Pompeio sententiae.

App. 31 p. 716, 26—717, 5 = Plut. Pomp. 59 p. 251, 19—24: Claudius et Lentulus Pompeium patriam contra Caesarem defendere iubent.

App. 32 p. 717, 17—19 = Plut. Caes. 32 p. 395, 23—24. Pomp. 60 p. 352, 13—14: De Caesaris copiarum numero.

Digitized by Google

App. 32 p. 717, 25—718, 3 = Plut. Caes. 31 p. 395, 5—8: Pacis conditiones a Caesare propositae.

App. 33 p. 719, 3—16 = Plut. Caes. 31 p. 395, 16—21. Ant. 5 p. 351, 5—11: Antonius et Curio Cassiusque servorum vestibus induti Roma ad Caesarem fugiunt.

App. 35 p. 720, 11—721, 2 = Plut. Caes. 32 p. 396, 5—29. Pomp. 60 p. 252, 18—25: Quomodo Caesar Rubiconem transierit.

App. 36 p. 721, 9—11 = Plut. Caes. 33 p. 397, 27—28. Pomp. 61 p. 253, 24—25: Pompeium non sinunt sua uti sententia.

App. 37 p. 722, 6—8 = Plut. Caes. 33 p. 397, 21—26. Pomp. 60 p. 253, 4—8: Favonius Pompeium irridet.

App. 38 p. 723, 16—19 = Plut. Caes. 35 p. 399, 7—9: Pompeius consules cum exercitus parte Dyrrhachium praemittit.

App. 40 p. 725, 5 sq. = Plut. Pomp. 62 p. 254, 26: Pompeius Brundisium *διαταφρεύει*.

App. 40 p. 725, 22—726, 5 = Plut. Cat. min. 53 p. 87, 1—15: Cato Asinio Pollioni in Siciliam provinciam misso cedit.

App. 41 p. 726, 10—12 = Plut. Caes. 35 p. 399, 30—400, 4: Caesar aerarii claustra effringit Metello reluctanti mortem minatus.

App. 41 p. 726, 17—19 = Plut. Ant. 5 p. 351, 31—352, 1: Caesar Lepidum urbi Romae, Antonium Italiae praeficit.

App. 48 p. 733, 19—25. 734, 5—11 = Plut. Caes. 37 p. 400, 23—30: Caesaris dictatoris edicta: post undecim dies dictatura se abdicat consulesque facit semet ipsum et Servilium Isauricum.

App. 49 p. 734, 22—24 = Plut. Pomp. 64 p. 255, 27—30: Pompeius copias exercens ipse labores subit.

App. 49 p. 735, 7 sq. = Plut. Pomp. 64 p. 255, 25 sq.: Equitum VII milia in Pompei sunt exercitu.

App. 54 p. 739, 14—16 = Plut. Caes. 37 p. 400, 31 sq.: De numero copiarum, quas Caesar tempore brumali navibus imponit.

App. 57 p. 742, 13—743, 12 = Plut. Caes. 38 p. 401, 30—402, 17: Caesar solus navigio infirmo Brundisium traicere conatur.

App. 61 p. 746, 4—7 = Plut. Caes. 39 p. 402, 27—403, 5: Caesaris milites pane e radicibus quibusdam cocto vescuntur: Pompei dictum.

App. 61—62 p. 746, 19—748, 6 = Plut. Caes. 39 p. 403, 8—27. Pomp. 65 p. 257, 20—26: Proelii descriptio, in quo Caesaris exercitus paene deletur: Caesaris dictum.

App. 63 p. 748, 7 sq. = Plut. Pomp. 66 p. 257, 27—30: Pompeius victoriae nuntium omnibus regibus urbibusque mittit.

App. 64 p. 749, 19—23 = Plut. Caes. 41 p. 405, 15—20: Gomphis expugnatis Caesaris milites vino fiunt ebrii.

App. 65 p. 750, 7—15 = Plut. Pomp. 66 p. 258, 16—23: Afrani consilium a Pompeio repudiatum.

Digitized by Google

App. 67 p. 752, 11—16 = Plut. Caes. 41 p. 404, 31—405, 4. Pomp. 67 p. 259, 11—16: Pompeius a suis per ludibrium vocatur *βασιλεὺς βασιλέων* et Agamemno.

App. 68 p. 753, 9—11 = Plut. Caes. 43 p. 406, 26—29. Pomp. 68 p. 260, 27—30: Prodigium ante pugnam Pharsalicam factum: fax caelestis visa est.

App. 68 p. 753, 17 = Plut. Caes. 43 p. 406, 29—31. Pomp. 68 p. 260, 25 sq.: terror *πανικὸς* Pompêi copiis obicitur.

App. 69 p. 753, 20 sq. = Plut. Pomp. 68 p. 260, 19—22: Pompei somnium.

App. 69 p. 753, 27—754, 1 = Plut. Caes. 42 p. 405, 26—29. Pomp. 67 p. 260, 4—6: Pompeiani de Caesaris pontificatu inter se pugnant.

App. 70 p. 754, 25—755, 3 = Plut. Caes. 42 p. 406, 1—7. Pomp. 69 p. 262, 16—18: Caesaris et Pompei copiarum numerus.

App. 73 p. 757, 23 sq. = Plut. Pomp. 68 p. 261, 6—8: Caesaris dictum.

App. 76 p. 760, 17—761, 9 = Plut. Caes. 44 p. 407, 6—20 et 45 p. 408, 17—27. Pomp. 69 p. 261, 15—262, 2: Quomodo utraque acies instructa sit; Caesar suos equitum Pompeianorum ora ferire iubet.

App. 77 p. 761, 16—22 = Plut. Pomp. 70 p. 262, 25—29: Quibus in cogitationibus duces ante pugnam consertam sint versati.

App. 78 p. 763, 2—11 = Plut. Caes. 45 p. 408, 15—409, 2. Pomp. 71 p. 264, 3—22: Caesariani equitatus hostium impetum quo erant iussi modo repulsant.

App. 79 p. 763, 11—21 = Plut. Caes. 44 p. 407, 24—31. Pomp. 69 p. 262, 8—16: Pompei pugnae consilium a Caesare in epistolis vituperatum.

App. 81 p. 765, 8—12 = Plut. Caes. 45 p. 409, 2—7. Pomp. 72 p. 264, 23—265, 1: Pompeius mentis iam non compos in tabernaculum se recipit Aiacis similis.

App. 81 p. 766, 4—7 = Plut. Caes. 45 p. 409, 10—13. Pomp. 72 p. 265, 3—6: Pompei dictum eiusque fuga.

App. 82 p. 766, 22—25 = Plut. Pomp. 72 p. 265, 8—10. Caes. 46 p. 409, 23. 27 sq.: Asinii Pollionis de mortuorum ex Pompei castris numero testimonium.

App. 82 p. 767, 3—8 = Plut. Caes. 44 p. 407, 31—408, 11. Pomp. 71 p. 263, 19—27: De Crassinii virtute.

App. 85 p. 769, 14—17 = Plut. Pomp. 78 p. 271, 27—31: Pompeius citat versus quosdam Sophocleos.

App. 85 p. 769, 22—25 = Plut. Pomp. 79 p. 272, 1—5. 14 sq.: Pompeius salutat Septimium, a quo primam accipit plagam.

App. 87 p. 771, 16—20 = Plut. Cat. min. 57 p. 91, 11—15: Qua de causa Cato imperium recusaverit.

Digitized by Google

App. 91 p. 775, 19 sq. = Plut. Caes. 50 p. 413, 10—13: Caesaris dictum: 'Veni, vidi, vici.'

App. 93 p. 777, 24—778, 1 = Plut. Caes. 51 p. 413, 22 sq.: Caesar milites rebellantes castigat non milites, sed Quirites eos appellans.

App. 95 p. 779, 23—780, 3 = Plut. Caes. 52 p. 415, 5—7: Caesar aquiliferum fugientem retrahit in aciem.

App. 98 p. 781, 22 sq. = Plut. Cat. m. 58 p. 92, 30 sq.: Cladis apud Thapsum acceptae tertio die Uticam affertur nuntius.

App. 98—99 p. 782, 6—783, 19 = Plut. Cat. m. 67—68 p. 101, 5—102, 24; 70 p. 104, 6—20; 73 p. 105, 16 sq.: Catonis mors.

App. 99 p. 784, 5 sq. = Plut. Caes. 54 p. 416, 7 sq. Cat. 72 p. 105, 9—12: Caesaris de Catone mortuo dictum.

App. 99 p. 784, 6—8 = Plut. Caes. 54 p. 416, 16—23: Caesar contra Ciceronis Catonem scripsit Anticatonem.

App. 102 p. 786, 18—21 = Plut. Caes. 55 p. 417, 9—15: Caesar censu habito civium numerum dimidio minorem quam ante bellum civile invenit [1]).

App. 104 p. 788, 16—18 = Plut. Caes. 56 p. 417, 28—30: Caesaris de pugna ad Mundam commissa dictum.

App. 107 p. 791, 2—9 = Plut. Caes. 60 p. 421, 28—422, 3: Caesar senatui non assurgit [2]).

App. 108 p. 792, 1—4 = Plut. Caes. 60 p. 421, 24—27: Caesaris dictum: *οὐκ εἰμι βασιλεύς, ἀλλὰ Καῖσαρ.*

App. 109 p. 792, 24—793, 3 = Plut. Caes. 57 p. 419, 8—11: Caesaris de corporis stipatoribus dictum.

App. 110 p. 794, 1—3 = Plut. Caes. 60 p. 421, 19—23: Fama Romae divolgatur e libris Sibyllinis Parthos vinci non posse nisi a rege.

App. 112 p. 795, 11—18 = Plut. Caes. 62 p. 423, 30—424, 2. Brut. 7 p. 57, 1—14: Caesaris de Bruto Cassioque dictum.

App. 112 p. 795, 20—24 = Plut. Brut. 5 p. 55, 1—9: Brutus Caesaris ex Servilia filius fuisse dicitur, qua re is in pugna Pharsalica Bruto parcere iussit duces.

App. 112 p. 796, 4—9 = Plut. Brut. 9 p. 59, 9—15: Verba irritantia, quae Bruti antiqui statuis et Bruti praetoris tribunali ascribebantur

---

1) Hoc loco uterque in eundem incidit errorem a communi fonte haud dubie iam commissum, ut elucet ex Cass. Dione XLIII 21: cf. Thouret l. l. p. 337. Iudeich l. l. p. 34 sqq.

2) Notandum est, quod discrepant a memoria Liviana; nam pro rostris id accidisse tradunt, cum Cassius Dio XLIV 8, Livius per. 116, Suetonius Caes. 78 pro Veneris Genetricis aede Caesarem faciant sedentem: cf. Bailleu l. l. p. 23.

Digitized by Google

App. 113 p. 796, 11—797, 2 = Plut. Brut. 10 p. 59, 28—60, 13: Colloquium inter Brutum et Cassium habitum.

App. 114 p. 798, 12—16 = Plut. Brut. 18, p. 67, 5—13: Brutus Antonium una cum Caesare interfici non sinit.

App. 115 p. 798, 20—25 = Plut. Caes. 63 p. 425, 13—18: Caesaris de optimo mortis genere dictum.

App. 115 p. 799, 5—8 = Plut. Caes. 63—64 p. 426, 7 sqq. 25—27: Decimus Brutus Caesari suadet, ut ipse senatum dimittat.

App. 115 p. 799, 11 - 26 = Plut. Brut. 14—15 p. 63, 25—64, 23: Brutus et Cassius ante facinus perpetratum e nonnullorum dictis suspicantur rem esse proditam.

App. 116 p. 800, 1—6 = Plut. Caes. 64 p. 426, 28—427, 2: Servus Caesarem, quem ut caveret praemoniturus erat, domi non invenit.

App. 116 p. 800, 7—11 = Plut. Caes. 65 p. 427, 15—17: Artemidorus Cnidius Caesarem praemoniturus sero advenit.

App. 116 p. 800, 11—20 = Plut. Brut. 16 p. 65, 17—66, 3: Popilii Laenatis cum Caesare colloquium coniuratis suspectum.

App. 116 p. 800, 22—25 = Plut. Caes. 63 p. 425, 4 - 6: Caesaris victimae cor defuit, signum letale.

App. 117 p. 801, 10—802, 11 = Plut. Caes. 66 p. 428, 1—429, 6. Brut. 17 p. 66, 11 - 29: Quomodo Caesar sit interfectus.

App. 149 p. 832, 8—13 et 153 p. 838, 5—9 = Plut. Caes. 63 p. 425, 6—13: Caesar irridet vatem, a quo Idus Martias ut caveret admonitus erat.

App. 149 p. 832, 16 sq. = Plut. Caes. 69 p. 431, 6 sq.: Caesar duodesexagesimo aetatis anno moritur.

In hoc locorum numero invenies qui adeo inter se sint similes, ut eaedem narratiunculae apud utrumque scriptorem eadem dubiae fidei nota insignitae sint addito vocabulo *λέγεται* vel *φασίν*: cf. App. 25 extr. = Plut. Caes. 29 extr. Pomp. 58, ubi Appianus utitur verbo *φασί*, Plutarchus verbis *λέγεται* et *ἐλέχθη*; App. 95 extr. = Plut. Caes. 52 extr.; App. 112 = Plut. Caes. 62; App. 112 = Plut. Brut. 5, ubi apud utrumque narratio incohatur a vocabulo *λέγεται*.

Graecum autem statuendum esse fontem, qui locos, quos in unum congessi, evolverit atque inter se comparaverit, facile concedet. Duo exempla satis habeo attulisse maxime insignia propterea, quod ibi consentiunt in vocabulis haud ita communis monetae: alter locus, quem omnino praeteriit Paulus Bailleu, est de nuptiis, quibus Caesar Pompeium et Pisonem sibi devincit:

Digitized by Google

App. 14.	Plut. Caes. 14.
— βοῶντος Κάτωνος διαμαστροπεύεσθαι γάμοις τὴν ἡγεμονίαν.	*— μαρτυρομένου Κάτωνος καὶ βοῶντος οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι γάμοις διαμαστροπευομένης τῆς ἡγεμονίας.*

Altero loco agitur de plausu, quo populus prosequitur Curionem, qui de imperio et Caesari et Pompeio abrogando dixerat sententiam:

App. 27.	Plut. Caes. 30.
— καί ποτε καὶ παρέπεμψαν ἀνθοβολοῦντες ὥσπερ ἀθλήτην μεγάλου καὶ δυσχεροῦς ἀγῶνος.	*— οἱ δὲ καὶ στεφάνους ἐπ' αὐτὸν ὥσπερ ἀθλήτην ἀνθοβολοῦντες ἠφίεσαν.*

Porro Graecus auctor manifesto tenetur App. 81 init. = Plut. Pomp. 72 init., ubi Pompeius de rebus suis desperans comparatur cum Aiace medios inter hostes a Iove pavore perculso, qualem descripsit Homerus, cuius versus ipsos laudat Plutarchus[1]). An putemus apud Latinum nescioquem scriptorem tale quid invenisse Appianum et Plutarchum?

Ad eundum adducimur finem loco Plutarchi recte explicato, id quod primum contigit Thoureto l. l. p. 336 sqq.[2]). Plutarchus enim in Caes. c. 46 dicto quodam Caesaris commemorato sic pergit: *ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι.* Et deinde in eodem pergens enuntiato subnectit Asinii illud de Pompeianis occisis testimonium, quod idem apud Appianum legitur. Quod cum non ex ipso Asinio, sed ex communi fonte petiverit, ut supra vidimus p. 245 sq., eundem fontem etiam antecedentia, quae artissime cum his cohaerent, ei subministrasse consentaneum est, quae ab Appiano omissa sunt. Illud vero *ὑπ' αὐτοῦ* neque ad Caesarem neque ad Asinium Pollionem posse

1) Cf. Iudeich l. l. p. 37 sq., qui etiam nonnulla alia Graeci fontis indicia addidit.

2) Iudeich l. l. p. 36 sq. Thoureti sententiam merito tuetur.

Digitized by Google

referri, Thouretus argumentis minime ambiguis demonstravit. Itaque magna cum probabilitate ille quidem statuit totum hunc locum ex Graeco auctore a Plutarcho esse depromptum: qui cum sui excusandi causa dixisset *Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται*, Plutarchum in errorem inductum illud *ὑπ' ἐμοῦ* falso rettulisse ad Asinium Pollionem. Hac quidem ratione et omnes difficultates de medio tolluntur et optime confirmatur, quod iam antea cognoveramus, Graecum fuisse illum fontem, ex quo Appiani et Plutarchi manavit narratio.

Sed iam oritur quaestio, quisnam fuerit ille auctor Graecus, ad quam solvendam nihil omnino contulit Thouretus, nec mirum, quippe cui cum uno Asinio res esset. Videndum igitur erit, appareantne apud Appianum et Plutarchum certa quaedam indicia, quibus fons cognoscatur.

Sed priusquam ad hanc rem perquirendam aggrediamur, necesse erit circumspicere, quomodo omnino Appianus et Plutarchus fontibus suis uti soleant. — Atque Appianum quidem miserum fuisse compilatorem, qui unum semper sine proprio iudicio exprimeret auctorem, inter omnes iam constat. Plane alienum a se ille quidem iudicabat complures simul adire fontes et, quae illi narrarent, inter se perpendere et una narratione complecti. Quod optime intellegitur ex eis partibus, ubi Polybio usus est Appianus, quem neglegentissime quidem, sed tanta exscripsit constantia, ut alius fontis nusquam ullum appareat vestigium [1]).

Longe aliter de Plutarchi in fontibus adhibendis ratione iudicandum est. Nam vel consilium eius plane erat diversum, quippe qui non historiam, sed vitas singulorum virorum conscribere sibi proposuisset. Ad hos illustrandos omnia referebat atque, ut eorum virtutes ac mores maxime eniterent, singulas narratiunculas, in quibus inerat *δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας*, et facete dicta undique conquirebat [2]); qua in re magna litterarum scientia et plurima lectione adiuvabatur. Magna igitur

1) Cf. Nissen 'Kritische Untersuchungen ueber die Quellen der IV. und V. Dekade des Livius' (Berol. 1863) p. 114 sq.

2) Cf. Plut. Alex. 1.

Digitized by Google

in Plutarchi fontibus explorandis opus est cautione, ne sicubi fontis cuiusdam apud eum deprehenderimus indicium, ex eodem fonte etiam reliqua omnia hausta esse praepropere iudicemus.

Iam videamus, quid inde sequatur ad nostram quaestionem recte instituendam. Quoniam igitur Appianum et Plutarchum ex communi fonte Graeco hausisse satis constat, cuius vestigia haud obscura apud Appianum per capp. 8—117 sparsa agnovimus ita quidem, ut in unoquolibet fere horum capitum singularis inter Appiani et Plutarchi verba consensus inveniatur, praeter hunc ipsum fontem nullum alium hac in parte ab Appiano esse inspectum ex eius consuetudine confidenter licet affirmare, id quod ex eis, quae infra expositurus sum, spero fore etiam manifestius. — Contra de Plutarcho nihil poterit iudicari nisi hoc unum: usum esse eum illo fonte eis ipsis locis, ubi concinit cum Appiano; aliis locis certa quaedam accedant necesse est argumenta.

Quae cum ita sint, in communi illo fonte indagando ab Appiani potissimum capp. 8—117 proficiscendum erit.

Ac de parte quidem horum capitum, scilicet de Appiani capp. 81—91 et de Plutarchi vitarum Caesaris et Pompei capitibus eis, quibus idem tractatur tempus inde a Pompei post pugnam Pharsalicam fuga usque ad belli cum Pharnace gesti finem, iam Iudeichius l. l. p. 38—48 tam diligenter tamque prudenter disseruit, ut plane me habeat assentientem [1]). Neque mihi in animo est, quae ille vir doctus magna sagacitate exposuit, omnia hic repetere, sed ad eius librum delego, qui accuratius volunt scire. — Sed quid novi discimus ex Iudeichii commentatione? Coniecit nimirum ille v. d. in capitibus illis, quae ei erant tractanda, Appianum et Plutarchum hausisse e Strabonis hypomnematis historicis argumentis usus maxime hisce: Strabo ipse, inquit, a Plutarcho laudatur in Caes. c. 63 (= fr. 187); idem in Caes. c. 48 extr. narrat a Caesare Cleopatram arcessitam esse Alexandriam, id quod

1) De una re, de qua mihi non convenit cum Iudeichio, infra uberius dicam p. 262 sq.

Digitized by Google

nemo praeterea memoriae prodidit nisi Strabo, qui eadem fere habet verba in fr. 168, 3 sq.; Caesaris erga Graecos, imprimis eos, qui Asiam incolebant, benevolentia ab Appiano et Plutarcho compluribus locis cum voluptate quadam praedicatur; quod Appianus c. 89 init. Asiam appellat *τὴν μεγάλην χερρόνησον*, plane ex Strabonis est more.

Quae argumenta quamquam fortasse non sufficiunt ad rem probandam (neque hercle fieri potest, ut ex paucis illis capitibus res ad liquidum confessumque perducatur), tamen coniectando verum assecutum esse Iudeichium nos demonstrabimus tota illa, quam supra p. 254 circumscripsimus, parte diligenter explorata ac pervestigata.

Iam supra p. 245 sq. vidimus Asinium Pollionem et ab Appiano (c. 82) et a Plutarcho (Pomp. 72 Caes. 46) eodem narrationis loco laudari. Similiter etiam Caesarem (*ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, ut dicit Appianus) de eadem re testem citant App. c. 79 et Plut. Caes. 44. Pomp. 69. In communi igitur fonte et Asinius et Caesar adhibiti erant. Atque Asinius Pollio certe fuit inter Strabonis fontes, qui laudatur fr. 169, 5 et in geogr. IV 3, 3 p. 192. Caesaris autem de bello Gallico commentariis cum largissime usus sit Strabo (cf. fr. 149 et supra p. 216 sqq.), etiam reliqua Caesaris scripta ei fuisse nota veri est simillimum.

Omnino autem Strabo diligens si quis alius erat in auctoribus laudandis et plurimum operae studiique in hoc maxime locabat, ut varias scriptorum memorias quam plenissime colligeret (cf. supra p. 5 sqq. 215 sqq.) Quae Strabonis in materia congerenda diligentia etiam apud Appianum in capp. 8—117 multis locis apparet, nisi forte quis putat Appianum, auctorem neglegentissimum, tantae fuisse doctrinae tantaeque industriae, ut ipse ex tot fontibus materiam multo labore et sudore conquireret.

Age denuo consideremus locum illum Appiani (c. 82), ubi laudat Asinium Pollionem. Nam non solum huius scriptoris, sed etiam aliorum de militum in pugna Pharsalica caesorum numero profert memorias. Ceciderunt enim, inquit, Caesarianorum *τριάκοντα λοχαγοὶ καὶ ὁπλῖται διακόσιοι ἢ, ὡς ἑτέ-*

Digitized by Google

ροις δοκεῖ, χίλιοι καὶ διακόσιοι, Pompeianorum autem, praeter senatores et equites, *οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δισμυρίους ἐπὶ πενταχισχιλίοις, Ἀσίνιος δὲ Πολλίων — — ἑξαχισχιλίους ἀναγράφει κτλ.* Asinii testimonium etiam Plutarchum eisdem fere verbis exhibere (Pomp. 72. Caes. 46) vidimus p. 245 sq. Ut igitur hoc non ipse indagavit, sed ex communi fonte exscripsit Appianus, ita haud dubie etiam reliqua apud eundem auctorem iam collecta invenit. Neque mirandum est, quod Plutarchus ceteris omissis unum Asinii attulit testimonium, quippe cuius ut vitarum auctoris minime interesset, ut *omnia* exhauriret. Sed id potissimum elegit testimonium, cui ab auctore suo maxima tribuebatur fides.

Quod idem etiam ex alio loco prorsus simili licet cognoscere, quem integrum huc apponam, quod ibi Strabonis *in* diversis memoriis colligendis diligentia manifestissime conspicitur; agitur autem de Caesaris atque Pompei copiarum *numeris*: App. c. 70 *στρατιὰ δ' ἦν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, πολλῶν ἀμφίλογα εἰπόντων ἑπομένῳ μάλιστα Ῥωμαίοις τοῖς τὰ πιθανώτατα γράφουσι περὶ τῶν ἐξ Ἰταλίας ἀνδρῶν, οἷς δὴ καὶ μάλιστα θαρροῦντες τὰ συμμαχικὰ οὐκ ἀκριβοῦσιν οὐδὲ ἀναγράφουσιν ὡς ἀλλότρια καὶ ὀλίγην ἐν αὐτοῖς ἐς προσθήκην χώραν ἔχοντα, Καίσαρι μὲν ἐς δισχιλίους ἐπὶ δισμυρίοις, καὶ τούτων ἱππεῖς ἦσαν ἀμφὶ τοὺς χιλίους, Πομπηίῳ δὲ ὑπὲρ τὸ διπλάσιον, καὶ τούτων ἱππεῖς ἐς ἑπτακισχιλίους. Ὧδε μὲν τοῖς τὰ πιθανώτατα λέγουσι δοκεῖ μυριάδας ἑπτὰ ἀνδρῶν Ἰταλῶν συμπεσεῖν ἀλλήλοις ἐς μάχην· οἱ δ' ὀλιγωτέρους ἑξακισμυρίων φασίν, οἱ δ' ὑπερεπαίροντες τεσσαράκοντα μυριάδας γενέσθαι λέγουσιν. Καὶ τούτων οἱ μὲν ἡμιόλιον, οἱ δὲ ἐκ τριῶν νομίζουσιν ἀμφὶ τὰ δύο τῷ Πομπηίῳ γενέσθαι μέρη.* — Quid vero apud Plutarchum legitur (Caes. 42. Pomp. 69)? Ceteris nimirum omnibus neglectis ea sola narrat, quae Appiano teste tradiderant *οἱ τὰ πιθανώτατα λέγοντες*, in his autem egregie et paene mirifice concinit cum Appiano. Apparet igitur iam in communi fonte, quem esse Strabonem nunc puto patere, e diversis sententiis unam praeter ceteras ut maxime fide dignam fuisse notatam.

Digitized by Google

Complures a communi fonte adhibitos esse auctores intellegitur etiam ex Appiani c. 48, ubi narrat per undecim tantummodo dies Caesarem fuisse dictatorem, id quod apud Plutarchum quoque legitur (Caes. 37). Appianus autem addidit verba *ὥδε γάρ τισι δοκεῖ*.

Duplex memoria apud Appianum exstat praeterea c. 116 de prodigio, quo Caesaris mors portendebatur: *τῶν ἱερῶν ἦν τῷ Καίσαρι τὸ μὲν πρῶτον ἄνευ καρδίας ἦ, ὡς ἕτεροι λέγουσιν, ἡ κεφαλὴ τοῖς σπλάγχνοις ἔλειπεν*. Quod prodigium invenitur etiam apud Plutarchum (Caes. 63 = fr. 187), qui e Strabone se id desumpsisse disertis verbis profitetur [1]). Quae praeterea ex Strabone hoc loco ille attulit portenta, ab Appiano omissa sunt. En rursus habes Strabonem, ad quem undique viae nos ducunt.

Quid? quod aliis quoque locis, ubi Strabo et Appianus inter se possunt conferri, magnus inter eos reperitur consensus?

App. c. 23 et Strabo fr. 144 eodem modo narrant Cyprum insulam misso M. Catone a Romanis Ptolemaeo esse ereptam auctore P. Clodio Pulchro, qui Ptolemaeo graviter irasceretur, quod sibi a piratis capto, cum eum orasset, ut se redimeret, pretium vilissimum misisset. Quam rem tradidit quidem etiam Cassius Dio XXXVIII 30, sed paulo aliter, cum diceret nihil omnino fecisse Ptolemaeum, ut Clodium a piratis liberaret.

Porro concinit App. c. 103 cum Strabonis fr. 179, id quod eo est notabilius, quia inter se consentientes cum reliqua memoria discrepant. Nam uterque Caesarem Roma in Hispaniam Baeticam (teste quidem Strabone Obulconem) viginti septem diebus venisse tradit. Alium numerum habet Suetonius Caes. 56: ‘ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicensimo die per-

1) Quod eiusdem portenti mentionem faciunt etiam Cic. de div. I 52, 119. II 16, 36 sq., Val. Max. I 6, 13, Plin. N. H. XI 186, Suet. Caes. 77, Obseq. 67, hi tamen omnes una in re vehementer discrepant ab Appiani memoria, scilicet, quod id accidisse dicunt, quo die primum veste purpurea Caesar processisset et in sella aurea consedisset, cum hic factum memoret ipso die fatali, antequam Caesar curiam intrasset.

Digitized by Google

venit'. Orosius autem et in numero et in itineris termino differt, cum dicit VI 16, 6: 'septimo decimo quam egressus ab urbe fuerat die Saguntum pervenit.'

Deinde simili ratione narrant, quomodo Cato Marciam uxorem Hortensio tradiderit (App. c. 99 = Strab. fr. 158), cum Plutarchus Cat. min. 25, Thrasea Paeto usus, rem multo uberius et paulo aliter exponat.

Porro magna intercedit similitudo inter App. c. 84 et Strab. fr. 167[a], ubi exponunt, quo statu res Aegyptiacae fuerint, cum Pompeius ad Casium navem appulisset.

Denique conferas, quae uterque habet de Cn. Pompei, Magni filii, fuga (App. c. 105 = Strab. fr. 180) et de Amiso urbe a Pharnace obsessa (App. c. 91 = Strab. fr. 171).

Neque inutile videtur observare, quemadmodum uterque explicet ius Latii:

App. 26.	Strab. fr. 164.
Πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἀλπείων ὤκισε· ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον.	*(Νέμαυσος) ἔχουσα καὶ τὸ καλούμενον Λάτιον, ὥστε τοὺς ἀξιωθέντας ἀγορανομίας καὶ ταμιείας ἐν Νεμαύσῳ Ῥωμαίους ὑπάρχειν.*

Memorabilis est etiam ille inter App. c. 101 et Plut. Caes. c. 55 consensus, ubi in Caesaris triumpho Africano enarrando honorificam Iubae minoris iniciunt mentionem:

App.	Plut.
Ἔνθα καὶ Ἰόβα παῖς Ἰόβας ὁ συγγραφεὺς βρέφος ὢν ἔτι παρεγένετο.	*Τότε καὶ Ἰόβας υἱὸς ὢν ἐκείνου κομιδῇ νήπιος ἐν τῷ θριάμβῳ παρήχθη μακαριωτάτην ἁλοὺς ἅλωσιν, ἐκ βαρβάρου καὶ Νομάδος Ἑλλήνων τοῖς πολυμαθεστάτοις ἐναρίθμιος γενέσθαι συγγραφεῦσι.*

Etiam in his Strabo fons cognoscitur, quem studium singulare Iubae regi navasse inde apparet, quod vel in geographicis saepius eius mentionem facit et eius *πρὸς Ῥωμαίους εὔνοιάν*

Digitized by Google

τε καὶ φιλίαν laudat (VI 4, 2 p. 288) eiusque mortem bis commemorat (XVII 3, 7 p. 828. XVII 3, 9 p. 829).

Una praeterea res haec Appiani capita diligenter perscrutantem non potest fugere, quae ad fontem eius investigandum haud parvi est momenti. Nonnullis enim locis mira quaedam in eo comparet doctrina, quae ex Romano certe non fluxit auctore. Nam Graecas enarrat fabulas, quibus πόλεων κτίσεις explicantur, et urbes mariaque unde nomen acceperint exponit.

Sed exemplo res fiet planior! Agedum inspiciamus Appiani c. 39! Toto hoc capite agitur de Dyrrhachio, quod oppidum non idem esse atque Epidamnum uberrime docet: Epidamnum regem urbem prope mare condidisse, quam suo nomine ornasset; cui urbi Dyrrhachum, eius nepotem, navale addidisse de eo appellatum Dyrrhachium. Qui cum a fratribus bello peteretur, Herculem ei auxilium tulisse; quam ob rem Herculem magis quam Dyrrhachum ab incolis conditorem perhiberi. In ea vero pugna Ionium, Dyrrhachi filium, ab Hercule imprudenti interfectum et in mare proiectum huic mari nomen indidisse. Aliquanto post Dyrrhachinos a Brigibus e Phrygia reversis, deinde a Taulantiis et postremo a Liburnis eiectos Corcyraeis in auxilium vocatis patriam recuperasse: his cum Corcyraei admixti essent coloni, ab eis Dyrrhachium navale, quod nomen videretur ominosum, Epidamnum esse appellatum, quo nomine etiam a Thucydide significari. Sed pristinum nomen praevaluisse et tum certe Dyrrhachium esse nominatum [1]).

Cuius loci indoles talis est, ut ad nullum auctorem aptius possit referri quam ad Strabonem. Namque ad πόλεων κτίσεις et μετονομασίας Strabo intentum si quis alius habet animum et omnino singularum urbium historiam inde a primordiis usque ad suam aetatem solet persequi, ut ex eius geographicis luculentissime apparet. Quibus rebus cum tantopere delectaretur, etiam in historicis hypomnematis, et in his

1) Cass. Dio XLI 49, qui de eiusdem oppidi nomine quaestionem instituit, plane aliter rem enarrat.

Digitized by Google

vel magis, singularem curam atque operam in eis posuisse Strabonem consentaneum est. Singulae autem quaedam res, quas Appianus hoc loco commemorat, etiam apud Strabonem inveniuntur. Atque totius capitis quasi summa legitur VII 5, 8 p. 316 *Ἐπίδαμνος, Κερκυραίων κτίσμα, ἡ νῦν Δυρράχιον* — — *λεγομένη*. Ibidem § 9 p. 317 mare Ionium ab Ionio quodam Illyrio nomen traxisse tradit Theopompum testem laudans. Taulantios et Brygos [1]) prope Epidamnum habitantes commemorat VII 7, 8 p. 326. Thucydides autem, qui apud Appianum testis profertur, a Strabone multis geographicorum locis laudatur.

Eandem Strabonis doctrinam agnosco in Appiani c. 20 extr., ubi dicit Lanuvium, quod CL stadia a Roma abesset, a Diomede post Troiam excisam per maria errante primam in Italia conditam esse urbem. Nam fabulas illas, quibus Graecorum duces Troia redeuntes in omnibus litoribus urbes condidisse perhibentur, Strabo bene noverat [2]).

Denique huc adiungam Appiani locum satis memorabilem in c. 102, ubi fori Caesaris apud Romanos usum explicat simili Persarum instituto; nam eos quoque foro uti ad ius et dicendum et discendum. Quae hausta esse ex auctore, qui populorum mores atque instituta accurate cognoverat, manifestum est. Ipsum autem Strabonem in hypomnematis historicis singulorum populorum *νόμιμα* diligenter descripsisse eius ipsius testimonio scimus (cf. fr. 7).

Gravissimum vero argumentum, quo sententia nostra praeclare confirmatur, praebent Appiani capp. 149–154. Cap. 149 incipit ab his verbis: *οὕτω μὲν δὴ Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν* — — *ἀνὴρ ἐπιτυχέστατος ἐς πάντα καὶ δαιμόνιος καὶ μεγαλοπράγμων καὶ εἰκότως ἐξομοιούμενος Ἀλεξάνδρῳ*. Iam in eis, quae secuntur, capitibus comparationem inter Caesarem et Alexandrum instituit accuratissimam; unde apparet

1) Quos eosdem esse atque Briges demonstravit Zippel 'Die roemische Herrschaft in Illyrien' (Lips. 1877) p. 11 sq.

2) Diomedis per Italiam errores urbesque nonnullas ab eo illic conditas commemorat Strabo in geogr. VI 3, 9 p. 283/4.

Digitized by Google

Appiani auctorem non solum Caesaris, sed etiam Alexandri Magni historiae fuisse peritissimum; nam mores eius ac res gestas singulas scite cum Caesaris componit. Quid igitur? Nonne Strabonem de Alexandri rebus scimus scripsisse hypomnemata diligentissime composita? Neque ullum praeterea rerum scriptorem, quo quidem uti potuerit Appianus, et Caesaris et Alexandri res gestas memoriae prodidisse compertum habemus. Itaque dubium esse non potest, quin Appianus totam hanc comparationem debeat Straboni [1]), id quod iam Luedeckius acute demonstravit [2]).

Quodsi haec certe Appiani capita e Strabonis hypomnematis fluxerunt, hinc rursus antecedentibus nova lux affulget. Nam quae hic de Caesare profert, maximam partem iam antea eisdem fere verbis narravit Appianus. Si igitur haec e Strabone manaverunt, procul dubio idem statuendum est de eis, quae cum his ad verbum congruunt. Sic c. 150 eisdem verbis atque c. 57 narratur Caesarem solum navigium conscendisse, c. 150 = c. 90 Caesarem Alexandriae nando mortis periculum effugisse, c. 152 = c. 104 de Caesaris in Hispania cum Pompeio bellum gerentis audacia, c. 153 = c. 116 et c. 149 de vaticiniis a Caesare spretis.

Quae cum ita sint, Strabonem Appiani in capp. 8—117 et 149—154 ac Plutarchi, ubi cum illo consentit, fuisse fontem satis demonstrasse mihi videor.

Quos vero Strabo ipse in hac hypomnematorum parte adhibuerit auctores et quid cuique debeat, vix potest accuratius cognosci. Iam vidimus laudatum esse ab eo Caesarem, laudatum etiam Asinium Pollionem (p. 255). Ex hoc auctore certe multa Strabo in suum usus convertit. Itaque

1) Strabo quam fuerit propensus ad Caesarem et Alexandrum inter se comparandos, cognoscitur etiam ex geogr. XIII 1, 27 p. 594/5, ubi utriusque viri erga Ilienses benevolentiam commemorat, Alexandri ut Aeacidae, Caesaris ut ab Aenea oriundi (cf. App. c. 151). Et Caesar ab eo dicitur *φιλαλέξανδρος ὤν* (fr. 166, 5) et paulo ante *ζηλώσας ἅμα καὶ Ἀλέξανδρον* (fr. 166, 2 sq.).

2) 'De fontibus quibus usus Arrianus Anabasin composuit' in stud. Lips. vol. XI 1888 p. 49.

Digitized by Google

ubicumque in rebus gestis enarratis ipse Asinius Pollio agens aut consilii particeps introducitur, ubi eius potissimum virtus enitet, velut in Appiani c. 40 et 45 sq. et in Plutarchi Caes. c. 32 et 52, ibi Strabonem usum esse Asinio magna cum probabilitate statuemus: cf. Bailleu l. l. p. 27 et 29.

Iam vero Iudeichius l. l. p. 47 suspicatus est etiam Livium a Strabone esse adhibitum, qua in re frustra esse mihi videtur ille vir doctissimus. Livii enim neque in geographicis neque in hypomnematorum fragmentis apparet nec vola nec vestigium. Neque causae, quibus Iudeichius (p. 39 sq.) commotus est, ut hic Livio usum esse Strabonem statueret, sufficere mihi videntur ad id demonstrandum. Nam quod Appianus in paucis quibusdam rebus cum Livii memoria consentit ceteroquin ab ea plane dissentiens, hoc profecto non mirandum est facillimeque ita licet explicari, ut Strabonem fontem, ex quo Livius hausit, hic illic adiisse putemus. Plutarchum autem quod nonnumquam propius ad Livii narrationem accedere videmus, causa in promptu est: nam ille quidem praeter Strabonem ipso Livio, ut infra exponemus p. 263 sq., usus est fonte, ex quo eum etiam illis locis, ubi imprimis Strabonem sequitur, multa addidisse, multo plura, quam videtur Iudeichio, persuasum habeo. At in cogitationibus quibusdam, inquit Iudeichius, similitudo inter Appianum Liviumque conspicitur, quas, etiamsi fortasse in fonte repperit Livius, tamen vix inde deprompsit. Sed in altero, quod attulit, exemplo (App. c. 85 = Lucan. Phars. VIII 572 sqq.), ubi uterque narrat Pompeium miratum esse, quod non ipse Ptolemaeus ad se veniret, cur negemus ex fonte, qui Straboni quoque erat notus, Livium id hausisse, non intellego. Neque magis altero exemplo Iudeichii sententia commendatur. Nam quae App. c. 86 et Cass. Dio XLII 5, 1 sqq. Pompei morte enarrata de eius fortuna ac rebus gestis praedicant, tam trita sunt, ut ne necesse quidem sit statuere ex communi hic Strabonem et Livium hausisse fonte.

At propter temporum rationes omnino non veri est simile Livio in hypomnematis historicis usum esse Strabonem. Nam etiamsi belli civilis libros CIX — CXVI ante opus absolutum

Digitized by Google

a Livio separatim esse editos concedimus, tamen non multo ante Augusti mortem (a. 14 p. Chr.) publici iuris facti esse possunt, quoniam librum CXXI post excessum Augusti editum esse scimus ex huius libri periochae titulo [1]). Strabo autem, cum annis 18 p. Chr. sqq. iam libris geographicis conscribendis fuisset occupatus [2]), illo quo Livius belli civilis libros edidit tempore hypomnemata historica si non ad finem perducta, at certe paene absoluta habuisse censendus est. Aliquantum enim temporis inter duo haec opera maxima intercessisse consentaneum est.

Plutarchum, ubicumque cum Appiani narratione concinit, ad Strabonis hypomnemata vidimus redire. Ubi plura habet quam Appianus, eorum quoque haud pauca e Strabone deprompta esse perquam veri simile est. Nam Strabonem ab Appiano non omni ex parte accurate esse expressum, sed uberrimam eius narrationem non modo coartatam atque contractam, verum etiam saepius mutilatam esse ab illo auctore intellegitur ex universa Appiani ratione [3]). Quid vero Plutarchus debeat Straboni, quid aliunde desumptum adiecerit, plerumque diiudicari nequit, nisi certis indiciis origo Straboniana cognoscitur velut illis locis, quos Iudeichius Straboni vindicavit, quamquam vel hic haud scio an Plutarchus aliena quaedam intermiscuerit. Etenim versamur in scriptore omni doctrina ac litterarum studiis erudito, qui non sicut Appianus unum semper sequatur auctorem, sed qui in fontibus adhibendis suo utatur iudicio.

Inter Plutarchi autem auctores certe praeter Strabonem numerandus est Livius, quem ipse bis laudat. — In Caes. c. 63 enarrato Calpurniae somnio alteram eiusdem rei memoriam affert, scilicet Livii. Alteram narrationem a Livio discrepantem unde petiverit, utrum ex Strabone, an ex alio fonte, nescio. In Caes. autem c. 47 duo narrat prodigia ad pugnae

1) *Ex libro CXXI qui editus post excessum Augusti dicitur.*

2) Cf. Niese in Herm. vol. XIII p. 33—36.

3) Cf. Nissen 'Kritische Untersuchungen ueber die Quellen der IV. und V. Dekade des Livius' p. 115. Iudeich l. l. p. 48.

Digitized by Google

Pharsalicae exitum spectantia, quorum alterius testem profert Livium. Sed alterum quoque ex Livio depromptum esse a Plutarcho recte iam perspexit Peterus [1]), nimirum quod haec omina eodem ordine inter se coniuncta etiam a Cassio Dione XLI 61 et ab Obsequente 65 traduntur. Hic locus aptus si quis alius est ad Plutarchi scribendi rationem dispiciendam. Nam postquam Strabonem secutus pugnam Pharsalicam narravit et, quae ille collegerat omina, exposuit in c. 43, iam in c. 47 quasi appendicis loco, quae in altero fonte invenerat prodigia, addit. — Alterius autem ominis narratio incipit a verbo *ἱστορεῖται*, et omnino eiusmodi vocabulis velut *λέγεται*, *λέγουσι*, *φασὶ* Plutarchum uti solere, quoties ex Livio aliquid inserit, recte monuit Iudeichius l. l. p. 42 et 45. Quo indicio fretus in Plutarchi Caes. 48 sq. et Pomp. 74—80 nonnulla ad Livium redire aliqua cum probabilitate ille v. d. statuit (p. 45—47 et 42—45).

Etiam in vita Catonis minoris Plutarchum usum esse Strabone inde iure videtur effici, quod multis locis (c. 57. 67—73) consentit cum Appiano, ut supra vidimus p. 249 sq. Praeterea Plutarchus in huius vitae c. 56 aliquatenus concinit cum Strabonis fr. 177 de Catonis circa Syrtim itinere, id quod iam a Iudeichio animadversum est l. l. p. 49 et 176 adn. 1. Psylli bestiarum morsus venenatos sanantes, quorum mentionem facit Plutarchus, Straboni quoque bene noti sunt: cf. XVII 1, 44 p. 814. XIII 1, 14 p. 588. Et quod in eodem capite Catonem post cladem Pharsalicam sedentem consuevisse dicit coenare, etiam ab Appiano traditur c. 98, ubi Strabonem exscripsit (cf. Plut. Cat. min. 67).

At inter omnes fere viros doctos convenit unum in tota hac vita a Plutarcho adhibitum esse fontem, Thraseam Paetum, qui Munatii Planci libellum de Catone compositum exscripserat, ut ipse profitetur Plutarchus in Cat. m. 25 et 37 [2]). Quodsi saepenumero magna inter Appiani Plutarchique narrationes

1) 'Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Roemer' p. 123 sq.
2) Cf. Peter l. l. p. 66 sqq.

Digitized by Google

deprehenditur concordia, id, simodo vera est illa sententia, non aliter poterit explicari nisi ita, ut ipsum quoque Strabonem, Appiani fontem, ex Munatio Planco hausisse ponamus[1]), ut hoc sit fontium stemma:

In hanc quominus abeam sententiam, hac maxime impedior causa, quod duobus diversis interpositis fontibus non credo tantam inter Appianum ac Plutarchum intercedere potuisse similitudinem. Huc accedit, quod uno loco (Plut. Cat. 51) certissime potest demonstrari ipsum Strabonem etiam in hac vita adiisse Plutarchum. Nam illius capitis (51) initium ad Tanusium redire apparet ex vit. Caes. c. 22, ubi de eadem re Tanusium laudat[2]). Hunc vero auctorem Plutarchum non habuisse cognitum nisi e Strabone infra p. 285 sqq. accuratius docebo. — Itaque mihi non est dubium, quin etiam illis vitae Catonis locis, ubi cum Appiano concinit, Strabonem secutus sit Plutarchus.

Prorsus idem iudico de vitae Bruti locis cum Appiano congruentibus, qui in capp. 5—17 inveniuntur (cf. p. 250 sq.). Wichmannus quidem[3]) Plutarchum hac in parte Empylo maxime usum esse arbitratus Appiani Plutarchique consensum ita studet explicare, ut alia ex Asinio utrumque petiisse statuat, alia Plutarchum habere ex Empylo, Appianum ex Asinio, cuius auctor fuerit Empylus. Atque Asinium quidem non esse fontem abunde iam demonstratum est. Iste vero Empylus num omnino ab ipso Plutarcho adhibitus sit, ex uno illo loco, ubi

1) Hanc fere sententiam sibi informavit Bailleu l. l. p. 26.

2) Ubi tandem Peterus (l. l. p. 67) in vita Catonis Tanusium invenerit laudatum, scire velim.

3) 'De Plutarchi in vitis Bruti et Antonii fontibus' (diss. Bonn. 1874) p. 9 sq. et 17 sq.

Digitized by Google

commemoratur (Brut. c. 2), cognosci nequit; et sit licet adhibitus, quo tandem iure unicum illum in his capitibus Plutarchi fuisse fontem contendit Wichmannus? Vides, opinor, quam infirma sit Wichmanni ratiocinatio. — Quoniam autem multi vitae Bruti loci, qui cum Appiano conveniunt, eisdem fere verbis etiam in vita Caesaris leguntur et quoniam ibi certe Strabonem communem Appiani et Plutarchi fontem esse probavimus, etiam in vita Bruti haec ex Strabone esse petita satis probabiliter mihi videor statuere.

Sed redeamus, si placet, ad Appianum. Capita 8—117 et 149—154 tota atque integra ad Strabonis hypomnemata historica rettulimus. Una tamen res videtur esse excipienda, scilicet orationes Caesari et Pompeio tributae, quas Appianus data occasione narrationi inserit capp. 43. 47. 50 sq. 53. 72 sqq. Supra enim p. 7 iam negavimus Strabonem orationes perpolitas exhibuisse. Ipse igitur Appianus illas orationes composuisse putandus est, id quod ingenio eius plane conveniens ac congruens est. Nam omnes isti compilatores ut materiae congerendae et rerum memoriae diligenter perscrutandae minime erant curiosi, ita speciosa ac nitida narratione laudem et gloriam quaerebant. Ac maxime quidem splendidis orationibus narrationi insertis artem suam ostentabant. Qua re fit, ut fere nihil novi ex declamationibus illis discamus, id quod in Appiani quoque cadit orationes, in quibus paulo aliis verbis solet repetere, quae iam antea dixerat. Unum exemplum instar omnium afferam: in c. 69 narrat Pompeium amicorum insolentiam indignatum tacuisse: *κατεσιώπα — — ὥσπερ οὐ στρατηγῶν ἔτι, ἀλλὰ στρατηγούμενος.* Eadem sententia bis redit in orationibus ab Appiano insertis; nam c. 72 Pompeium facit dicentem: *ὑμεῖς, ὦ συστρατιῶται, στρατηγεῖτε τοῦ πόνου μᾶλλον ἢ στρατεύεσθε,* et c. 74 eadem iactat Caesar: (*Πομπήιον*), *ὃν ἐγὼ πυνθάνομαι δεδιότα καὶ ἄκοντα χωρεῖν ἐπὶ τὸ ἔργον — καὶ οὐδὲ στρατηγοῦντα ἔτι μᾶλλον ἢ στρατηγούμενον.*

Exceptis igitur his orationibus capp. 8—117 et 149—154 e Strabonis hypomnematis historicis manaverunt. In eis quae restant capitibus, 2—7 et 118—148, Strabonianae originis

Digitized by Google

nullum certum potui invenire indicium. Et hercle mirum est, quam facili negotio hae particulae salvo rerum conexu a reliquis possint seiungi. Nam capp. 2—7, in quibus coniuratio Catilinaria tractatur, quamquam inter se optime cohaerent, tamen plane ex abrupto incohantur verbis *Γάϊος δὲ Κατιλίνας κτλ.*, cum in cap. 1 Appianus de Caesaris et Pompei inimicitiis se dicturum esse indicaverit. Item capitis 8 initium cum eis, quae antecedunt, minime cohaeret. Immo hoc caput, quod incipit a verbis *ὁ δὲ Καῖσαρ στρατηγὸς ἐς Ἰβηρίαν αἱρεθεὶς ἐπὶ μέν τι πρὸς τῶν χρηστῶν διεκρατεῖτο ἐν Ῥώμῃ*, commode se applicat ad cap. 1 finem, ubi Caesaris mores depinguntur eiusque liberalitas commemoratur, quae tanta fuerit *ὡς ἀγορανομῶν ἔτι καὶ στρατηγῶν εἶναι κατάχρεως.*

Manifestior etiam res est in capp. 117 sqq. Postquam enim c. 117, quomodo Caesar interfectus esset, Appianus exposuit, optime potuit pergere c. 149: *οὕτω μὲν δὴ Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν ἐν ἡμέραις αἷς καλοῦσιν Εἰδοῖς Μαρτίαις κτλ.* Haec egregie adnectuntur mortis descriptioni, et hic quidem bene locum habet praeclara illa inter Caesarem et Alexandrum comparatio (c. 149—154), quae interiectis tot capitibus (118—148), in quibus res post Caesaris mortem usque ad coniuratorum fugam gestae enarrantur, minus apta videtur.

Itaque suspicio non abest, quin ex alio fonte narrationi ex Straboni desumptae haec inseruerit Appianus. Quod quominus statuamus, nihil certe obstat. Quamquam enim ex compluribus fontibus narrationem contexere ab Appiani ingenio alienum iudicavimus, tamen si duo ei in promptu erant auctores, alterum ducem secutus ex altero maiores particulas potuit decerpere locoque idoneo infercire. Hanc ad rem non magna opus erat arte. Et profecto harum particularum alia est indoles atque earum quae Straboni debentur.

Appiani de Catilinae coniuratione narrationem (c. 2—7) e Sallustio et ex Ciceronis hypomnemate esse consutam luculenter docuit Carolus Buresch [1]). Ille vero, qui Sallustii atque

1) 'Die Quellen zu den vorhandenen Berichten von der Catilinarischen Verschwoerung' in commentat. Ribbeck. p. 229 sqq.

Digitized by Google

Ciceronis narrationes contaminavit, Sallustii verbis non recte intellectis tam foedos commisit errores et rerum ordinem adeo perturbavit [1]), ut neglegentissimus auctor habendus sit. Quae cum ita sint, de Strabone cogitari omnino nequit. Utrum vero ignoto alicui Appiani fonti crimen sit impingendum, an ipse semel praeter suam consuetudinem duorum fontium confundendorum fecerit periculum, diiudicari nequit. Quodsi hoc factum esse putamus, hinc quoque cognoscitur, quam miser Appianus fuerit historicus.

Etiam cap. 118—148 a Strabone videntur esse aliena. Nam longe maxima horum capitum pars impleta est orationibus, quarum parcissimum fuisse Strabonem demonstravimus. Sed cohibeo indicium, cum res non satis liqueat.

II

De Appiani bellorum civilium libro IV et de Plutarchi vita Bruti

Misso interim libro III statim accedamus ad Appiani bell. civ. librum IV.

Qui liber in duas magnas divisa est partes, quae ab Appiano clare distinguuntur, quarum in altera (c. 2—51) agitur de Octaviani Antonii Lepidi triumviratu atque de misera proscriptione ab eis instaurata, in altera (c. 57—138) de Bruti Cassiique rebus post Caesaris necem usque ad lugubrem eorum exitum gestis. Inter quas partes media collocata sunt capp. 53—56, quibus bellum cum Cornificio in Africa a Statio gestum describitur.

Atque cum id imprimis hoc libro spectet Appianus, ut Brutus et Cassius quo pacto perierint, enarret (cf. cap. 1 init.), primum de parte extrema, de capp. 57—138, quaestionem instituamus; quorum indoles cum earum libri II partium, quas Straboni vindicavimus, perquam sit similis ac paene gemina, in his quoque e Strabonis hypomnematis Appianum hausisse spero me esse persuasurum.

---

1) Cf. Buresch l. l. p. 232.

Digitized by Google

Atque Graecum certe ab Appiano adhibitum esse auctorem vel inde apparet, quod Plutarchus in vita Bruti multis locis mirum quantum cum Appiano conspirat, non solum in rebus, sed in ipsis adeo verbis; qui loci cum fere omnes collecti sint in Wichmanni dissertatione [1]), ubi nonnullos etiam exscriptos invenies, et cum postea de singulis accuratius nobis sit dicendum, hic enumerare supersedeo. Multa insuper accedunt indicia, quae mox proferam. Sed vel ea de causa reicienda est Pauli Bailleu coniectura, qua Asinium Pollionem omnem materiam Appiano etiam hic praebuisse statuit, quamquam ne minimum quidem huius auctoris vestigium potest indagari.

Cum Strabone autem consentit Appianus, ubicumque inter se possunt comparari.

Appianus cap. 58 sq. narrat, quomodo Caecilius Bassus a Statio Murco et a M. Crispo sit obsessus. Conferendum est Strabonis fr. 191, qui quamquam multo plura habet quam Appianus, tamen in rebus gravioribus cum eo conspirat. Congruenter enim tradunt cum duobus tantum legionibus Bassum a duobus maximis exercitibus obsessum diu restitisse, donec ultro se dedidisset. Quod autem Strabonis narrationem tantopere contraxit Appianus et tam multa praeteriit, profecto non mirabimur in auctore tam indiligenti [2]). Quid? quod ne oppidi quidem, in quo Bassus obsidebatur, scilicet Apameae, ei libuit commemorare nomen?

Porro quae profert Appianus c. 60—62 de Dolabellae misera sorte, qui Laodiceae a Cassio oppugnatus, oppido capto militi cervices dedit, accuratissime consentiunt cum Strabonis fr. 193. Uterque dicit magnum ex hac obsessione Laodiceam oppidum accepisse damnum: Strab. *ἐλύπησε δ' οὐ μετρίως Δολοβέλλας καταφυγὼν εἰς αὐτὴν — — συνδιαφθείρας ἑαυτῷ καὶ τῆς πόλεως πολλὰ μέρη*; App. c. 62 extr. (*Κάσσιος*) *τὴν πόλιν περιήνεγκεν ἐς ἔσχατον κακοῦ*. Qui consensus eo est notabilior, quod plane contrarium legitur apud Cassium

1) 'De Plutarchi in vitis Bruti et Antoni fontibus' (Bonn. 1874) p. 36—39.

2) Cf. Nissen 'Krit. Untersuchungen etc.' p. 115.

Digitized by Google

Dionem XLVII 30 extr.: *οὐ μέντοι οὐδ' οἱ Λαοδικεῖς κακόν τι πλὴν συντελείας χρημάτων ἔπαθον.*

Cap. 84 sq. Appianus exponit, quo pacto Sextus Pompeius ex Hispania profectus Siciliam insulam in suam redegerit potestatem, quae res breviter tangitur a Strabone in fr. 197. Quo in bello Rhegium, quod oppidum Octavianus in suas traxisset partes, magni fuisse momenti uterque monet, App. c. 86 init. et Strab. fr. 197[d].

Multo gravior alius videtur esse inter utrumque auctorem consensus. Appianus in c. 105, ubi de Philippis disserit, pristinum huius oppidi affert nomen, quod erat *Κρηνίδες*, cuius nominis originem explicat hunc in modum: *κρῆναι γάρ εἰσι περὶ τῷ λόφῳ ναμάτων πολλαί.* Idem testatur Strabo in fr. 198, ubi etiam cladis a Bruto et Cassio hac in regione acceptae facit mentionem: *οἱ δὲ Φίλιπποι Κρηνίδες ἐκαλοῦντο πρότερον· ηὐξήθη δὲ μετὰ τὴν περὶ Βροῦτον καὶ Κάσσιον ἧτταν.* Maxime autem Straboni convenit, quod hic apud Appianum in Graeci nominis etymon inquiritur; nam nominibus explicandis et derivandis Strabo in geographicis sexcentis locis navavit operam.

Luculentum eiusdem rei exemplum praebet Appiani cap. 105 extr., ubi Zygactes flumen unde nomen habeat exponitur sic: *ἐν ᾧ τοῦ θεοῦ* (sc. *Ἄιδου*) *περῶντος τὸ ἅρμα τὸν ζυγὸν ἄξαι λέγουσι καὶ τῷ ποταμῷ γενέσθαι τὸ ὄνομα.* Hic tam manifesto Strabonis doctrina cognoscitur, ut ex eo quin tota Appiani fluxerit narratio, nullus dubitem. An vero in Romano auctore, veluti in Asinio Pollione, talia putas invenisse Appianum?

Appiani capp. 105—106 gravissimi omnino sunt momenti ad eius fontem cognoscendum. Etenim bellum Philippense narraturus accuratam illius regionis hic proponit descriptionem. Ipsius oppidi in colle praerupto situs et quae circumiacent loca dilucide describuntur: a septentrione esse saltus, a meridie paludem usque ad mare pertinentem, ad orientem versus Sapaeorum et Corpilorum fauces, versus occidentem latum patere campum ad Murcinum usque Drabiscumque oppida et ad Stry-

Digitized by Google

monem fluvium declivem; haud procul Philippis alium esse tumulum, *ὃν Διονυσίου λέγουσιν, ἐν ᾧ καὶ τὰ χρύσεια ἐστι τὰ Ἄσυλα καλούμενα* (c. 106); paulo longius duos abesse colles, inter quos quasi per portam transitus sit ex Asia in Europam et ex Europa in Asiam proficiscentibus; quos praeterfluere amnem, cuius nominis duas Appianus profert formas: *ὃν Γάγγαν τινές, οἱ δὲ Γαγγίτην λέγουσι.* — Quae loca quantum inter se distent, diligentissime Appianus adnotat stadiorum usus ratione, nec minus quam sex intervalla in duobus his capitibus hac ratione computantur.

Magnam igitur rerum geographicarum habuisse putandus est notitiam, quicumque haec conscripsit. Fuitne ea in Appiano? Immo vero hic earum rerum plane erat ignarus atque rudis [1]). Ex fonte igitur hanc petivit doctrinam. Quam quis potuit melius ei subministrare quam Strabo, quem pro suo ingenio etiam in opere historico magnam in res geographicas impendisse curam per se intellegitur?

Porro egregie convenit cum Strabonis consuetudine, quod Appianus hoc loco cum rerum geographicarum scientia coniungit insignem veterum illius oppidi rerum notitiam [2]). Pristinum enim nomen Crenides mutatum esse docet in Datum, Philippos autem appellatum esse a Philippo, Macedonum rege, qui hunc locum opportunum communivisset adversus Thraces.

Quid? quod etiam res mythologicae, quas Strabo habet in deliciis, ab Appiano hic proferuntur. Nam in campo fertili, quod ad occasum versus patet, Proserpinam, cum flores legeret,

1) Cf. Hannak 'Appian und seine Quellen' (Wien 1869) p. 10. Nonnulla afferam exempla, quorum partem debeo Hannakio. — Hisp. 5. 28. 31. 65. Hannib. 2: Gades oppidum situm esse putat in septentrionali Africae ora. — Hisp. 6: Iberum flumen in Atlanticum, qui dicitur, Oceanum influere tradit. — Hisp. 7: Saguntum inter Pyrenaeum saltum et Iberum flumen esse situm. — Hisp. 12. 19. 72: Saguntum oppidum eversum ab Hannibale ab eodem denuo esse exstructum et appellatum Carthaginem Novam. — B. c. I 39: Lirim et Liternum unum eundemque esse fluvium. — ib. I 109: Padi et Rhodani fontes haud multum inter se distare.

2) Conferas quae diximus supra p. 259.

Digitized by Google

raptam esse tradit a Plutone; quem, cum Zygactem amnem traiceret, currus iugum fregisse.

Ex omnibus igitur his valde fit probabile Strabonis hypomnemata historica Appiani fuisse fontem. Atque hercle dolendum est, quod non tulit aetatem ea potissimum septimi geographicorum libri pars, in qua Macedoniam Strabo descripserat, quam si integram haberemus, certe plura cum Appiano congruere videremus.

Quae vero hic apud Appianum rerum geographicarum et singulorum oppidorum historiae veteris enitet notitia, etiam alias in hac, de qua agitur, libri IV parte saepe comparet. Sic in cap. 88 dicit Appianus Lysimachiam et Cardiam oppida Cherronesi Thraciae isthmum intercipere velut portas. In cap. 102 autem orae circa Serrium promunturium iacentis historiam, sicut Strabonis est mos, ab antiquissimis temporibus usque ad Bruti Cassiique aetatem persequitur; quam regionem fertilissimam diu incultam fuisse, cum Thraces maris imperiti oram vitassent ob metum incursionum: deinde cum ab aliis Graecis, tum a Chalcidensibus occupatam floruisse, quoad Philippus eiectis incolis eam vastasset, ut nihil nisi templorum ruinae superessent. Etiam hoc animum advertas, quam bene de Rhodiorum rebus Appianus se praebeat instructum c. 66—73: duae in urbe sunt factiones, nobiles, qui bellum cum Cassio detrectant, et plebs ab Alexandro et Mnasea concitata, quae pugnandi cupiditate flagrat; Alexander prytanis creatur, *ἥπερ ἐστὶν ἀρχὴ παρ᾽ αὐτοῖς μάλιστα αὐτοκράτωρ*; Archelaus ad Cassium, cuius olim fuerat praeceptor, legatus mittitur. Commemoratur etiam Rhodios olim Demetrii et Mithridatis classibus fortiter restitisse.

Gravissima vero sunt, quae Appianus c. 76—80 in Xanthi excidio enarrando profert. Atque locorum peritum fuisse eius auctorem inde apparet, quod Sarpedonium in urbe commemoratur (c. 78 et 79) et vetus Oenandensium in Xanthios odium. Sed inspiciamus cap. 80 extr. Postquam narravit Xanthios oppido capto suos omnes interfecisse et succensis rogis, quos in domibus suis exstruxissent, se ipsos voluntaria morte intere-

Digitized by Google

misse, sic pergit: *Ξάνθιοι μὲν δὴ τρίτον ὑπὸ σφῶν αὐτῶν ἀπώλλυντο ἐλευθερίας οὕνεκα. Καὶ γὰρ ἐπὶ Ἅρπάγου τοῦ Μήδου Κύρῳ τῷ μεγάλῳ στρατηγοῦντος ὧδε σφᾶς ἀντὶ δουλοσύνης διέφθειραν — — καὶ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλίππου φασὶν ὅμοια παθεῖν οὐχ ὑποστάντας οὐδὲ Ἀλεξάνδρῳ μετὰ τοσῆσδε γῆς ἀρχὴν ὑπακοῦσαι.* Item Strabo, si qua urbs eandem saepius accepit calamitatem, similiter solet indicare velut in fr. 84, ubi de Sinope dicit haec: *τοιαύτη δὲ οὖσα δὶς ὅμως ἑάλω, πρότερον μὲν τοῦ Φαρνάκου παρὰ δόξαν αἰφνιδίως ἐπιπεσόντος, ὕστερον δὲ ὑπὸ Λευκόλλου*, et de Amiso cf. fr. 171. Adde quod hoc loco ex Alexandri Magni historia rei cuiusdam mentio inicitur, quam quis melius potuit Appiano tradere quam Strabo, qui de Alexandri quoque rebus gestis hypomnemata ipse composuerat doctrinae plena?

Neque desunt diversae eiusdem rei relationes, quo indicio etiam in Appiani bell. civ. libro II Strabonem fontem agnovimus (cf. supra p. 255 sqq.). Atque unius quidem loci iam facta est mentio p. 271 in cap. 106, ubi fluvius commemoratur, *ὃν Γάγγαν τινές, οἱ δὲ Γαγγίτην λέγουσι.* Deinde in cap. 101 de duabus aquilis, quae argenteas Romanorum aquilas insederunt, diversa a scriptoribus dicit tradi: *ἐκόλαπτον αὐτοὺς ἢ ὡς ἑτέροις δοκεῖ περιέσχεπον.* De Cassii autem morte in cap. 113 duplicem vel potius triplicem exhibet memoriam: nam nonnullos ait prodidisse Cassium, ubi Brutum victis hostibus castra eorum diripere comperisset, ut ignominiam effugeret, Pindaro armigero auxiliante in gladium incubuisse; *καί τισιν οὕτως ἀποθανεῖν δοκεῖ Κάσσιον. Ἕτεροι δὲ αὐτὸν οἴονται* Bruti equitibus, ut victoriam nuntiarent, advolantibus hostes eos esse ratum ultro iugulandum se tradidisse Pindaro, ne in hostium manus perveniret. Pindarum autem nusquam postea esse visum; *διὸ καὶ νομίζουσί τινες οὔπω κεκελευσμένον ἐργάσασθαι.*

Denique satis est memorabile, quod Appianus ut librum II, sic etiam librum IV concludit quasi epilogo, quo Bruti Cassiique res gestas breviter complectitur (c. 132—134), ab eisdem fere verbis exorsus, quibus II 149 de Caesare utitur (cf. p. 260):

Digitized by Google

ὧδε μὲν δὴ Κάσσιος καὶ Βροῦτος ἐθνησκέτην, ἄνδρε Ῥωμαίων εὐγενεστάτω τε καὶ περιφανεστάτω κτλ. Atque ut illic comparationem inter Caesarem et Alexandrum instituit, ita hic inter Brutum et Cassium. Utroque autem loco multus est in prodigiis enarrandis. Quodsi illam comparationem absque dubio e Strabone hausit Appianus, eundem fontem etiam hic propter rerum similitudinem summa cum probabilitate statuemus.

Si vero omnia, quae adhuc collegimus, comprehenderimus indicia, nemini iam credo fore dubium, quin Appiani libri IV capp. 57—138 e Strabonis hypomnematis fluxerint.

Age nunc consideremus, qui factum sit, ut Plutarchus in vita Bruti tam accurate multis locis cum Appiani narratione consentiat.

Ac rarus quidem consensus in rebus ante bellum Philippense gestis. Unus tamen locus memoratu valde dignus mihi videtur, Plut. Brut. 31 extr., ubi de Xanthiorum interitu sermo est. Atque quae Plutarchus de oppidi expugnatione refert, ab Appiani memoria discrepare recte monuit Wichmannus l. l. p. 32 sq. Nam quae habet Appianus, desiderantur apud Plutarchum, et quae a Plutarcho traduntur, frustra quaerimus in Appiano. Ubi vero de eadem re loquuntur, diversa referunt. Nam Plutarcho teste ignis ab operibus Romanorum incensis vento in domos pulsus oppidi incendium excitat, Appianus ab ipsis incolis de salute desperantibus oppidum dicit esse incensum. E Strabone igitur haec certe non hausit Plutarchus. Eo magis mirandum est, quod cap. 31 extr. subito plane consentit cum Appiano (c. 80). Eundem enim Xanthiorum superstitum exhibet numerum CL et Xanthi pristinae, cum a Persis oppugnaretur, eversionis inicit mentionem. Ex alio autem quam reliqua haec a se deprompta esse fonte ipse sat manifesto indicat addito vocabulo *φασί*. Itaque persuasum habeo Plutarchi cap. 31 inde a verbis *φασὶ δέ* usque ad finem redire ad Strabonem.

Sed multo saepius multoque accuratius Plutarchus congruit cum Appiano in bello Philippensi describendo (App. c. 101—135 = Plut. Brut. 36—53). Neque tamen potest negari non minus

Digitized by Google

saepe eorum narrationes inter se discrepare, ut demonstravit Wichmannus l. l. p. 40 sqq. Quae res inter se contrariae qua ratione sint explicandae, iam oritur quaestio subdifficilis.

Ac duos quidem hac in parte Plutarchus laudat auctores, Messalam et Volumnium, qui cum Bruto Cassioque familiaritate coniuncti his pugnis ipsi interfuerant. Atque mirum utique videtur, quod duobus locis, ubi Messala et Volumnius a Plutarcho testes proferuntur, Appianus et in re prorsus consentit et formulis utitur, e quibus apparet, eum in fonte suo, i. e. apud Strabonem, eosdem auctores invenisse laudatos.

Plut. c. 45. init. militum in pugna Philippensi priore occisorum numeri Messalam citat auctorem his verbis: *Μεσσάλας φησὶν οἴεσθαι* (sc. *πεσεῖν*) *κτλ.* Eosdem Appianus c. 112 extr. exhibet numeros haec praeponens verba: *τὸν δ' ἀριθμὸν τῶν ἀποθανόντων ἐλάζουσι κτλ.*

Plut. 51 init. Volumnium laudat, qui testetur Brutum post pugnam commissam citasse versum illum Euripideum: *Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν.* Idem plane cum ipso adeo versu legitur apud Appianum c. 130, qui totam narrationem incipit a vocabulo *φασίν.*

Accedit locus tertius Plut. c. 48, ubi hic ex Volumnio tria profert prodigia, quorum postremum etiam ab Appiano c. 128 narratur.

Iam quaeritur, unde has Messalae atque Volumnii narrationes petiverit Plutarchus. Atque quoniam illos auctores laudat eisdem narrationis locis, quibus etiam Appianus eos in fonte suo inveniebat laudatos, secundum notissimam illam legem statuendum erit Plutarchum non eos ipsos inspexisse, sed deprompsisse haec testimonia ex eodem quo Appianus fonte, i. e. ex Strabone. Sed legem illam ceteroqui rectissimam hic non valere certis argumentis demonstrabo.

Etenim praeter locum supra laudatum Messala bis testis citatur a Plutarcho: c. 40 Cassii dictum ab eo traditum commemorat et c. 42 Messalam dicit victoriam adiudicasse Bruto, quod is tres aquilas multaque hostium signa cepisset, hostes

Digitized by Google

vero nullum. De his rebus nihil legitur apud Appianum. Sed dixerit fortasse quispiam Appiani silentium non ita magni esse momenti; nam fieri potuisse, ut haec, quamquam a Strabone fuissent tradita, omitterentur ab Appiano, qui est sane auctor minime diligens.

At una res vehementer obstat. Illud enim Cassii dictum, quod Plutarchus c. 40 ex Messala affert, spectat ad ea, quae in capite antecedenti narrata sunt, neque omnino intellegi potest sine eis. Nam antea invito Cassio, Bruti potissimum opera et consilio decretum erat, ut postridie pugna cum hostibus committeretur. Qua re sollicitudine affectus Cassius illa verba perhibetur dixisse. Iam vero si cum hac narratione Strabonianam conferimus memoriam, qualem tradidit Appianus c. 109 sqq., toto caelo eam videmus distare. Hic enim dicit pugnae illius committendae omnino non rationem initam esse neque a Bruto neque a Cassio, sed Antonii impetu invitis imperatoribus tamquam casu eam esse ortam. Strabo igitur illud Messalae testimonium omnino non potuit afferre, quod in eius narrationem nullo pacto quadrat. Quae cum ita sint, Plutarchus hoc certe testimonium non potuit haurire e Strabone, sed ipsum Messalam inspexisse putandus est, ex quo et Cassii dictum et narrationem illam a Strabone discrepantem, cum qua arte cohaeret illud dictum, desumpsit. Idem de reliquis locis, ubi Messalam laudat, statui par est.

Quodsi iam constat Plutarchum Messalam ipsum adiisse, quid praeterea ab illo auctore mutuatus sit, est indagandum. En loci, quibus Messalam secutus esse videtur Plutarchus:

Cap. 40 integrum ex Messala fluxisse veri est simillimum. Nam initio capitis diserte laudatur et in fine honorifica de eo fit mentio, cum in dextro cornu cum praestantissima exercitus parte a Cassio eum esse collocatum Plutarchus enarret. Quae media intercedit pars, expletur colloquio inter Brutum et Cassium, antequam pugnam cum hostibus consererent, habito, cuius arbiter haud dubie erat Messala, quippe qui cum utroque imperatore, imprimis autem cum Cassio amicitia fuisset

Digitized by Google

coniunctus [1]). Horum omnium apud Appianum exstat nec vola nec vestigium; nec mirum, quoniam eius auctor negabat pugnandi consilium a Bruto et Cassio antea esse captum.

Cap. 45 totum Messalae videtur tribuendum, qui in primo capite testis citatur et cuius in lepida illa de punita captivorum insolentia narratione partes sunt praecipuae. Omnino eiusmodi narratiunculae ad Messalae, qui ipse his rebus interfuit, bene videntur quadrare commentariorum indolem. Appianus autem ne de his quidem rebus quidquam tradit.

Eadem de causa cap. 53 initium ad Messalam est referendum, quod hic quoque Messala primas agit partes. Dicitur enim Stratonem adduxisse ad Octavianum et lacrimans his eum commendasse verbis: *οὗτός ἐστιν, ὦ Καῖσαρ, ὁ ἀνὴρ ὁ τῷ ἐμῷ Βρούτῳ τὴν τελευταίαν ὑπουργήσας χάριν.* Quod si iure contendimus, etiam in cap. 52 extr. verba *οἱ δέ φασιν κτλ.* Messalae sunt attribuenda [2]) propterea, quod hoc loco Stratonem Bruto mortem oppetenti operam suam commodasse narratur. — Appianus, qui cetera omnino non tradit, hac in re a Plutarcho paulum dissentit: nam dicit (c. 131) Brutum a Stratone gladio esse transfixum, Plutarchus autem Brutum ipsum in gladium, quod a Stratone teneretur, incubuisse.

Volumnium a Plutarcho in c. 48 auctorem laudari supra vidimus p. 275: praeterea cap. 51 et cap. 52 praeter ultima verba *οἱ δέ φασιν κτλ.*, quae ex Messala hausisse Plutarchum probavimus, ad Volumnium redire mihi persuasum est. Nam c. 51 init. diserte laudatur et in narratione sequenti Volumnius tam saepe commemoratur et ita ad eum omnia referuntur, ut is ipse necessario auctor sit statuendus. Volumnium autem, sicut Messalam, ab ipso Plutarcho fontem esse adhibitum, cum per se satis sit veri simile, etiam hinc apparet, quod Appianus harum rerum nusquam facit mentionem. Et hercle ne conveniunt quidem cum Strabonis narratione. Secundum

1) Cf. Plut. Brut. 40 init., 53 init. Vell. II 71, 1: *Messala, fulgentissimus iuvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati.*

2) Cf. Peter 'Plutarchs Quellen in d. Biogr. d. Roem.' p. 139. Wichmann l. l. p. 46 sq.

Digitized by Google

hanc enim (App. c. 131) Brutus cum quattuor fere legionibus e pugna evaserat neque spem bonam abiecerat, priusquam a suis destitueretur. Plutarchus autem cum paucis tantummodo amicis Brutum dicit effugisse et statim ab initio mortem cupide expetivisse.

Haec sola apud Plutarchum magna cum probabilitate ad Messalam et ad Volumnium referuntur. Ex eis autem, quae huc usque exposuimus, luculentissime apparet Plutarchum, ubicumque illos auctores secutus est, a Strabonis memoria, quam praebet Appianus, toto caelo discrepare duobus exceptis locis (Plut. 45 = App. 112 et Plut. 51 = App. 130), ubi tamen Messalam et Volumnium nominatim a Strabone fuisse laudatos ex Appiani verbis intellegitur (cf. p. 275) [1]). Unde hoc certissime licet concludere Strabonem in bello Philippensi describendo nec Messalae nec Volumnii commentarios elegisse, quibus potissimum sequeretur, sed narrationi aliunde petitae singulas res ex illis decerptas hic illic inseruisse.

Quae Plutarchus debeat Messalae et Volumnio, supra accurate, quoad eius fieri potest, definire studuimus. Cetera unde sumpserit Plutarchus, si certa desunt indicia, nos nescire confitendum est, praesertim in auctore tantae lectionis, quantae fuit Plutarchus. Itaque praepropere iudicasse putandi sunt Peterus l. l. p. 137 sqq. et Wichmannus l. l. p. 43 sqq., qui Plutarchum in capp. 38—53, ubi non Volumnium secutus sit, omnia censent debere Messalae, et Appianum, ubicumque cum Plutarcho consentiat, ipsum quoque hausisse ex Messala, quae sententia omni caret fundamento. Immo iam animadvertimus

1) Etiam in cap. 128 (= Plut. c. 48: cf. p. 275) haud scio an Volumnium apud Strabonem laudatum invenerit Appianus. — Ceterum haud ita mirum est, quod duobus illis locis et Strabo et Plutarchus suo quisque Marte auctores suos attulerunt: nam altero loco (Plut. 45 = App. 112) militum caesorum numerus profertur, qua in re omnino scriptores fontis auctoritatem solent afferre, et hic praesertim auctor erat nominandus, quod eum numerum computatione effecerat ipse Messala. Altero autem loco (Plut. 51 = App. 130) agitur de versu a Bruto recitato, qua in re Volumnii eo magis mentio erat facienda, quod is coram ex ipso Bruto affirmaverat se audivisse et hunc versum et alterum, cuius esset oblitus: cf. Plut. l. l.

Digitized by Google

Plutarchum, ubi re vera Messalam et Volumnium exscripsit, non consentire, sed plerumque valde dissentire cum Appiano.

Accedit illud etiam, quod nonnulli loci, ubi Plutarchus et Appianus concinunt, propter argumentum haud commode ad Messalae auctoritatem referuntur.

Appianus c. 110 extr. et Plutarchus c. 41 extr. congruenter narrant Octavianum non fuisse in castris, cum tristi amici somnio perterritus esset, et uterque hac de re ipsius Octaviani *ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν* testimonium affert, unde patet in communi fonte id iam exstitisse. Appianus autem ut reliqua omnia, sic etiam hoc testimonium debet Straboni, qui haud dubie ipse Octaviani commentarios adiit, cum etiam Caesaris commentarios in bello Gallico enarrando adhibuisset (cf. p. 216 sqq.). Quid igitur? Nonne etiam Plutarchum, quem aliis quoque locis in hac vita Strabone usum esse vidimus p. 265 sq. et p. 274, ad eundem atque Appianum fontem hic redire consentaneum est? Cur idem testimonium ex diversis fontibus derivemus?

Item alio loco, ubi cum Appiano mirum in modum consentit Plutarchus, spero me probaturum non Messalam, sed Strabonem eius fuisse fontem. Plut. c. 48 init. narrat nocte ea, quae ultimam pugnam antecedebat, iterum Bruto apparuisse malum eius genium, quae res pertinet ad cap. 36, ubi primum eum se obtulisse Bruto, cum ex Asia in Europam esset transgressurus, Plutarchus tradit [1]). Eadem res eisdem fere verbis legitur in vita Caesaris c. 69. Appianus autem (c. 134) non modo in re, sed etiam in ipsis verbis adeo cum Plutarcho consentit, ut eisdem quibus Plutarchus usus vocabulis dubiam reddat memoriam: nam in priore visu describendo utitur oratione obliqua, quae pendet a vocabulo *φασί*, Plut. c. 36 init. verbo *λέγεται*, in altero visu apponit *φασὶν* sicut Plut. c. 48. In communi igitur fonte haec res ut *λεγόμενον* iam erat notata, id quod in Messalam minime convenit; qui cum familiarissime

1) Quod Plut. c. 36 ad Bibulum redire dicit Wichmannus l. l. p. 34, mera est lariolatio. Hoc caput et cap. 48 init. ex eodem hausta esse fonte liquet.

Digitized by Google

uteretur Bruto et Cassio (v. p. 277 adn. 1), rem aut certo habuit compertam, aut si erat falsa, omnino non narravit. Omnia autem plana sunt, si e Strabone hanc narrationem deprompsisse Plutarchum existimamus.

Quae si recte disputavimus, etiam ceteris locis, ubi consensus inter Appianum, qui ipse certe omnia sua debet Straboni, et Plutarchum deprehenditur, Strabonem multo maiore cum probabilitate Plutarchi fontem statuemus quam Messalam. Duos tantum locos, qui ad exemplum illorum, quos supra p. 275 recensuimus, comparati sunt, aut ad Messalam aut ad Volumnium redire fortasse licet conicere.

Plut. c. 46 init. et App. c. 118 extr. similiter narrant Brutum esse pollicitum militibus Thessalonicam et Lacedaemonem urbes diripiendas se daturum. Quae ex fonte secundario petita esse a Strabone patet ex verbis, quibus Appianus narrationem incipit, *δοκεῖ δέ τισι*. Plutarchus autem rem simpliciter refert et Brutum, quantum fieri potest, culpa studet liberare.

Idem poterit cogitari simili loco, ubi Appianus (c. 113) duas de morte Cassii profert relationes, quarum altera, quae incipit a verbis *ἕτεροι δὲ αὐτὸν οἴονται*, eisdem fere verbis legitur etiam apud Plutarchum in c. 43 et haec quidem sola. Itaque licet suspicari Appiani verbis *ἕτεροι δὲ* significari aut Messalam aut Volumnium, quo ipso hic usum esse Plutarchum.

Haec quamquam pro certo affirmari non posse bene intellego, tamen aliquam certe habent probabilitatem. Omnibus autem reliquis locis, ubi Plutarchus cum Appiano consentit, ex eodem quo ille auctore hauserit, id est e Strabone.

Sic Straboni debet Plutarchus totum cap. 50, ubi cum Appiano (c. 129) accuratissime conspirans lepidam illam de Lucilii fidelitate tradit narratiunculam, quae ita apud Plutarchum orationi inserta est, ut salvo rerum conexu facillime possit a reliquis separari [1]) et ad alium fontem referri.

---

1) Nam plane ex abrupto incipit a verbis: *ἦν δέ τις Λουκίλλιος ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐν τοῖς ἑταίροις κτλ.*

Digitized by Google

Praeterea multa prodigia, in quibus enarrandis mire consentit cum Appiano, Plutarchum existimo sumpsisse e Strabonis hypomnematis, qui omnino prodigia et omina diligenter videtur collegisse [1]). Haec igitur prodigia Strabonem et Appiano et Plutarcho praebuisse dico:

Plut. c. 37 extr. et App. c. 101 extr. narrant duas aquilas argenteas signiferorum aquilas insedisse et exercitum esse comitatas, sed pridie, quam pugna committeretur, avolasse.

Plut. c. 39 et App. c. 134 quattuor prodigia, quibus Cassius praemonetur, eodem plane proferunt ordine. Quae res eo est memorabilior, quod omen secundo loco ab utroque recensitum, si tempus spectamus, antecedit illud, quod primo loco commemoratur [2]). Cassius Dio XLVII 10 et Obsequens 70 eadem afferunt prodigia, sed ordine plane diverso, qualem in communi suo fonte, quem constat fuisse Livium, invenerunt.

Plut. c. 48 nihil est nisi prodigiorum congeries. Ac primum quidem prodigium, quod etiam apud Appianum legitur in c. 134, iam supra p. 279 sq. ad Strabonem rettulimus. Quod vero in capite extremo narrat Aethiopa exeunti exercitui obviam factum a militibus esse occisum, idem in Appiani capite laudato statim subsequitur prodigium illud antea commemoratum. Itaque non est dubium, quin hoc quoque ostentum e Strabone petitum sit a Plutarcho. Quae autem media interposuit prodigia, ex Volumnio se inseruisse ipse apertis verbis profitetur.

In eodem capite (134) Appianus Strabonem secutus Brutum tradit diem natalem celebrantem sine ulla causa versum pronuntiasse ominosum: *ἀλλά με μοῖρ᾽ ὁλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός*. Quae cum simillime enarret Plutarchus c. 24, qui ipsum adeo hunc versum eadem affert forma, etiam eum hic Strabone esse usum conieceris, quamquam quo errore factum

---

1) Cf. Strab. fr. 187 et quae App. b. c. II 152 sq. narrantur prodigia, quae ad Strabonem rettulimus.

2) Cf. Plutarchi verba, quibus secundi prodigii descriptionem incipit, *λέγεται δὲ καὶ πρότερον κτλ.*

Digitized by Google

sit, ut Appianus Sami, Plutarchus Carysti rem accidisse dicat, nescio. —

Appiani libri IV alteram partem (c. 57—138) adhuc solam tractavi, quam e Strabonis hypomnematis fluxisse docui. — Altera pars, quae clare distincta est, complectitur capp. 2—51 (v. p. 268), in quibus agitur de altero, qui dicitur, triumviratu et de proscriptionibus. Quae unde hausta sint, in dubio est relinquendum, cum certis indiciis destituti simus. Neque hoc potest diiudicari, capp. 52—56, quibus bellum a Statio in Africa gestum enarratur, utrum ad Strabonem, an ad aliqm quendam fontem redeant.

Memoratu autem videtur dignum, quod in c. 57, inde a quo capite certe Strabone usus est Appianus, narratio ab eo incipit temporis vestigio, ad quod in libri II particulis eis, quas certo iudicio ad Strabonem rettulimus, erat deducta, nimirum a morte Caesaris.

III

De Appiani bellorum civilium libro III

Appiani librum tertium supra transeundum putavimus non sine causa: nam si quaerimus, quosnam in his rebus conscribendis Appianus adhibuerit auctores, tantis hanc quaestionem videmus involutam tenebris, ut vix certi quidquam possit erui.

Nos, qui id unum agimus, ut Strabo ubi apud Appianum fons lateat investigemus, etiam in hoc libro uno certe loco hunc auctorem agnoscimus. Si enim libri IV cap. 58 sq. iure ad Strabonem rettulimus (v. p. 269), necessario statuendum est etiam libri III capp. 77—78 ex eodem fluxisse fonte; nam quae illo loco de Caecilii Bassi obsidione exponit Appianus, hic eisdem paene verbis, sed etiam accuratius enarrata legimus. Atque ex eis ipsis, quae hic accuratiora profert Appianus, etiam evidentius Strabo fons cognoscitur. Duas enim in c. 77 Appianus de Caecilio Basso affert relationes et alterius insuper auctorem nominatim citat. Quis non agnoscit Strabonis, quam

Digitized by Google

iam saepius laudavimus, in fontibus adhibendis diligentiam? Atque secundum alteram quidem relationem, quam IV 58 solam praebet Appianus, nulla Caecilii culpa factum est, ut Sextus interficeretur. Iam sic pergit Appianus: *ὧδε μέν τισι περὶ τοῦ Βάσσου δοκεῖ· Λίβωνι δ' ὅτι — — διέφθειρέ τινας τοῦ τέλους, καὶ διεχρήσαντο τὸν Σέξτον καὶ τῷ Βάσσῳ σφᾶς ἐνεχείρισαν.* — Perizonius, quem secutus est Peterus hist. Rom. rell. p. CCCLXVI, *Λίβωνι*, quod nomen in omnibus Appiani libris manuscriptis traditur, mutare voluit in *Λιβίῳ* nulla alia commotus causa nisi, quod apud Livium hanc ipsam exstitisse memoriam e perioch. 114 et e Cass. Dione XLVII 26 sq. cognoscitur. Sed ut hoc taceam non veri esse simile notissimum Livii nomen corruptum esse in obscurum Libonis, non est omnino, cur librorum lectionem sollicitemus. Neque enim quidquam obstat, quominus in L. Scribonii Libonis annalibus rem fuisse narratam credamus, ut ipse Peterus l. l. p. CCCLXV extr. concedit, ubi de illo historico accurate disputat. Strabonem autem, cui Appianus haec debet, Livio omnino non esse usum supra docui p. 262 sq.

Haec igitur capita cum ad Strabonem magna cum probabilitate referantur, tamen de reliqua huius libri parte nihil inde licet concludere. Facillime enim a finitimis capitibus possunt separari ac disiungi, cum sicut excursus narrationi sint inclusa. Nam c. 77 ab his incipit verbis: *τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ περί τε Συρίαν καὶ Μακεδονίαν τοιάδε ἐγίγνετο κτλ.* et c. 80 init., unde egressus est, eo revertitur Appianus eisdem fere verbis: *τοιαῦτα μὲν δὴ καὶ τὰ περὶ Συρίαν καὶ Μακεδονίαν ἦν· ἐν δὲ τῇ Ἰταλίᾳ κτλ.*

Similiter res se habet in c. 26, ubi Appianus narrat, quo modo Trebonius Smyrnae a Dolabella sit interfectus, quam rem etiam a Strabone in hypomnematis fuisse descriptam apparet e fr. 192. Sed hoc quoque loco, si Appianus fortasse Strabonem adhibuit, idcirco non necesse est etiam, quae antecedunt vel quae secuntur, eidem auctori vindicare. Nam hoc quoque caput ita insertum est narrationi, ut nullo negotio possit eximi (*ὧδε μὲν εἶχε τὰ ἐν Ῥώμῃ. — Κάσσιος δὲ καὶ Βροῦτος κτλ.*)

Digitized by Google

Haec habui, quae de libro III proferrem: reliquam huius libri partem longe maximam ipsam quoque e Strabonis hypomnematis fluxisse, cum certa desint indicia, neque affirmari potest neque negari.

Eadem de causa etiam de quinto bellorum civilium libro cohibeo iudicium, quamquam uno certe loco manifesta Strabonianae originis indicia deprehenduntur. Nam quod in cap. 144 Sextum Pompeium a ducibus Antonianis captum Mileti interfectum esse narrat Appianus, hoc nusquam praeterea legitur nisi in Strabonis fr. 230, ubi velim inspicias, quae dixi in adnot. crit. ad v. 4. — Huc accedit, quod magnam in hoc capite diversissimarum de Pompei morte relationum Appianus praebet congeriem [1]). Haec igitur quin Straboni debeat Appianus, nullus dubito. In reliquis autem quatenus hoc auctore usus sit, nos nescire fatendum est.

Neque certiora de Appiani bellorum civilium libro I licet affirmare. Multi quidem viri docti nonnullas Appiani particulas ad Posidonium redire suspicati sunt — et exstant sane quaedam Graeci fontis in hoc libro indicia — et facilis esset coniectura Strabonem Posidonii memoriam subministrasse Appiano [2]). Sed res mihi tam dubia tamque impedita videtur, ut satius esse existimem haec omittere, ne certa incertis miscentes rem obscuremus.

---

1) *Τίτιος δὲ — — Πομπήιον ἐν Μιλήτῳ κατέκανεν εἴτε δι' αὐτοῦ — — εἴτε καὶ ἐπιστείλαντος Ἀντωνίου. Εἰσὶ δ' οἱ Πλάγκον, οὐκ Ἀντώνιον λέγοντες ἐπιστεῖλαι. — — Καὶ Πλάγκον δὲ γράψαι νομίζουσιν οἱ μὲν συνειδότος Ἀντωνίου — — οἱ δὲ αὐτὸν ἐφ' ἑαυτοῦ Πλάγκον.*

2) Sic nuperrime Benedictus Niese in Herm. vol. XXIII 1888 p. 413 adn. 2 Appiani c. 7 sq. et Plutarchi Tib. Gracch. c. 8 e Posidonio fluxisse statuit ita quidem, ut illi fortasse haurirent ex hypomnematis Strabonis, qui ipse adiisset Posidonium.

Digitized by Google

IV

De Appiani libro Gallico et de Plutarchi vit. Caes. c. 15–27

Appiani *Κελτικὴ* quamquam temporum iniuria maximam partem amissa est, tamen vel ex perpaucis, quae servata sunt, excerptis cognoscitur similem inter hunc Appiani librum et Plutarchi Caes. capp. 15—27 intercessisse rationem atque inter bell. civ. libr. II et IV et Plutarchi vitas Caesaris, Pompei, aliorum. Nam in paucis illis fragmentis, quae sunt de Caesaris expeditionibus Gallicis, tam accurate cum Plutarcho consentit, ut quin communis ab utroque fons sit adhibitus, dubitari nequeat. Et quoniam illic e Strabonis hypomnematis eos hausisse demonstravimus, suspicio non abest, quin hic quoque eundem auctorem adierint. Quae suspicio, si singula perscrutamur, egregie confirmatur.

Inter locos illos, quibus consensus inter Appianum et Plutarchum deprehenditur, unus ad fontem indagandum gravissimi est momenti, App. Gall. 18 = Plut. Caes. 22, ubi non solum in rebus et verbis mirum quantum concinunt, verum etiam eosdem auctores de eisdem rebus laudant. Agitur autem de ingenti Usipetum et Tencterorum caede, quam fecerat Caesar. De qua ipsum Caesarem *ἐν ταῖς ἐφημερίσι*, ut dicit Plutarchus, vel — quae sunt Appiani verba — *ἐν ταῖς ἰδίαις ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων*[1]) haec memoriae tradidisse: illos missis legatis per indutias octingentis equitibus suum equitatum aggressos in fugam vertisse; itaque cum iterum legatos ad se misissent, his retentis in illos exercitum se duxisse, cum tam perfidos se praebuissent. Contra hanc Caesaris sententiam uterque profert testimonium Tanusii[2]), qui narret Catonem in senatu sententiam dixisse deden-

1) Haec lectio, quam omnes Appiani libri exhibent, non est sollicitanda. Neque de alio nescioquo Caesaris opere cogites, sed referas ad belli Gallici commentarios (IV 11—13), qui etiam apud Symmachum et Sidonium Apollinarem et in nonnullis libris manuscriptis dicuntur *ephemerides*: cf. Nipperdey 'Quaest. Caesarianae' (quas praemisit editioni Lips. 1847) p. 5.

2) Appianus nomine, sicut solet, omisso dicit *τῶν τις συγγραφέων*.

Digitized by Google

dum esse barbaris Caesarem, quippe qui sancta foedera nefarie violasset. —

Quis igitur fuit ille auctor, qui haec testimonia et Appiano et Plutarcho praebuit? Atque uno iam loco, ubi Caesar et apud Appianum et apud Plutarchum laudatus invenitur, Strabonem communem fuisse fontem vidimus p. 255, qui omnino in bellis Gallicis enarrandis Caesarem fontem secutus est v. p. 216 sqq.

Tanusius autem quis fuit? Ac Sonnenburgius [1]) quidem luculentissime demonstravit Tanusii Gemini annales non eosdem esse atque 'annales Volusi' a Catullo irrisos, id quod vulgo credebatur. Tanusius autem hic nusquam praeterea commemoratur nisi apud Suetonium et in Senecae epistula quadam et — apud Strabonem. Tanusii enim nomen in fr. 72, 1 rectissime ex optimo codice Vaticano F restituit Niesius [2]) pro Gabinii, quae lectio deteriorum codicum nititur auctoritate et vel hanc ob causam est reicienda. Sed accedit, quod Gabinius historicus prorsus est ignotus [3]). Quid igitur? Nonne veri est simillimum etiam illud Tanusii testimonium, quod

---

1) 'Der Historiker Tanusius Geminus und die annales Volusi' in 'Historische Untersuchungen A. Schaefer gewidmet' (Bonn. 1882) p. 158 sqq.

2) In mus. Rhen. vol. XXXVIII p. 601.

3) Cum hoc Strabonis fragmento quoniam accuratissime conveniunt quae Plutarchus Sertor. c. 9 § 5 exponit de Antaei ossibus a Sertorio effossis, necessario statuendum est haec quoque redire ad Tanusium. Sed ut illo vitae Caesaris loco non ipse Plutarchus Tanusium adiit, sic etiam hic e Strabonis hypomnematis Tanusii verba eum desumpsisse consentaneum est, id quod Niesius l. l. p. 601 sq. acute cognovit. Cum his artissime cohaerent, quae in §§ 6—7 adicit Plutarchus: *Τιγγενεῖται δὲ μυθολογοῦσιν Ἀνταίου τελευτήσαντος τὴν γυναῖκα Τίγγην Ἡρακλεῖ συνελθεῖν. Σόφακα δ' ἐξ αὐτῶν γενόμενον βασιλεῦσαι τῆς χώρας καὶ πόλιν ἐπώνυμον τῆς μητρὸς ἀποδεῖξαι, Σόφακος δὲ παῖδα γενέσθαι Διόδωρον — — Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀναχείσθω τῇ Ἰόβα χάριτι τοῦ πάντων ἱστορικωτάτου βασιλέων· ἐκεῖνον γὰρ ἱστοροῦσι τοὺς προγόνους Διοδώρου καὶ Σόφακος ἀπογόνους εἶναι.* Quae utrum Tanusio an Straboni an ipsi Plutarcho tribuenda sint, dubium videtur. Ac Niesius quidem magis eo inclinat, ut haec quoque Tanusii esse arbitretur, quamquam etiam Strabonem auctorem esse posse concedit. At Tanusium Iubae tempora vidisse non est, cur

Digitized by Google

Appiano commune est cum Plutarcho, a Strabone his esse subministratum, praesertim cum Tanusius a paucis tantum scriptoribus adhibitus esse videatur?

Haec omnia si nobiscum reputaverimus et si insuper consideraverimus tam accuratam diversorum fontium collationem Strabonis maxime esse propriam, vix hercle poterit dubitari, quin Strabo communis Appiani et Plutarchi fuerit fons.

Ad alium vero finem pervenit Thouretus in dissertatione iam saepius laudata (in stud. Lips. vol I p. 350 sqq.). Hic enim v. d. C. Oppio fonte usos esse Appianum et Plutarchum suspicatur. Sed si accuratius eius argumenta perpenderimus, satis infirma ea esse intellegemus.

Ac maxime quidem nititur (p. 355 sq.) Plut. Caes. cap. 17, ubi semel Oppius testis laudatur et deinde duae secuntur narratiunculae, quarum altera teste Suetonio ex Oppio hausta est, altera eidem sine dubio tribuenda est auctori, quippe in qua primas partes agat Oppius. Haec sane rectissima sunt. Neque tamen inde licet concludere etiam in sequentibus capitibus ex Oppio sua hausisse Plutarchum, immo plane contrarium. Nam ex alio fonte vel ex aliis fontibus narrationi inserta esse capp. 16—17 manifestum est, in quibus militum erga Caesarem studium ac benevolentia et ipsius Caesaris virtus singulis exemplis undique collectis illustrantur. Iam cap. 18 verbis *ἀλλὰ γὰρ* redit ad propositum et ad fontem primarium. Aptissime autem cap. 18 se applicat ad cap. 15, ubi de Caesaris bellis Gallicis in universum dixerat; nam hoc capite ad primum bellum accuratius enarrandum accedit.

Quae praeterea Thouretus attulit indicia (p. 357 sq.) levioris

statuamus: immo ex eius fragmentorum argumentis superioribus temporibus videtur assignandus. Contra in Strabonem haec eximie quadrant, qui quanti lubam aestimaverit, iam supra exposuimus p. 258 sq. Itaque quin haec non minus quam antecedentia Straboni debeat Plutarchus, non dubito. — Etiam quae in cap. 8 Plutarchus de beatorum insulis exponit, ex Graeco derivata sunt auctore et mire concinunt cum Strab. geogr. I 1, 4 sq. p. 213 et III 2, 13 p. 224, qui affert ipsos illos Homeri versus (*δ* 563 sqq.), quos prosa oratione Plutarchus in insulis illis describendis expressit. Qua re haec quoque ad Strabonem mihi videntur referenda.

Digitized by Google

sunt momenti et per se nihil valent. De communi Appiani et Plutarchi fonte inde certe nihil colligendum est.

Porro non possum adduci, ut credam Oppium, Caesaris amicum familiarissimum, illud Tanusii testimonium Caesaris odio plenum in opus suum recepisse, quo nihil aliud agebat, nisi ut Caesaris gloriae ac famae serviret. Nam quod Thouretus opinatur Oppium hac re voluisse irridere Catonem et ironiam quandam in his verbis latere putat, hanc nusquam video ironiam. Immo Tanusii testimonium ipsius Caesaris relationi in aequo ponitur. Et si omnino Catonem perstringere volebat Oppius, quid erat, cur tam religiose Tanusium testem citaret?

Itaque refutata Thoureti sententia teneo meam, qua Strabonem pro communi fonte habeo. Atque Appianus quidem pro sua consuetudine in Caesaris bellis Gallicis describendis unum Strabonem secutus esse putandus est, Plutarchus, ubicumque cum Appiano consentit.

Qui consensus eo notabilior est, quod non solum in rebus ex Caesaris commentariis depromptis, sed etiam in rebus alioquin ignotis concinunt. Iam supra autem p. 217 sqq. demonstravi Strabonem in bellis Gallicis enarrandis praeter Caesarem etiam aliis scriptoribus usum esse, unde haec res optime explicatur. Iam breviter recensebo locos, ubi Plutarchus et Appianus consentientes conspiciuntur.

Non leguntur apud Caesarem, quae congruenter narrant Plut. c. 15 extr. et App. fr. 1, 2 Caesarem decem illis annis, per quos Galliam provinciam administravit, expugnasse plus quam DCCC urbes, gentes subegisse CCCC (apud Plutarchum legitur CCC), cum CCCC hostium *μυριάσι* (apud Plutarchum CCC) manum conseruisse, quarum C in acie occidisset, totidem cepisset. Quod in Plutarchi codicibus bis legitur *τριακόσια*, cum Appianus habeat *τετρακόσια* [1]), librariorum procul dubio

1) Etiam b. c. II 150 Appianus affirmat CCCC Gallorum gentes a Caesare esse perdomitas. Quo loco cum Strabonem adhibitum esse ab Appiano iam demonstratum sit, vide quam praeclare sententia nostra hac re confirmetur.

Digitized by Google

incuria factum est [1]). Omnino constat nihil saepius nihilque foedius a librariis corruptum esse quam numeros, qua re ne numerorum differentiis nimium tribuamus, cavendum est. Ceteroqui numerum ab Appiano traditum verum esse patet, quod idem alio loco exstat [2]).

Deinde conferas, quae de bello cum Helvetiis gesto narrant Plut. c. 18 et App. fr. 1, 3 et 15: etiam numerum eorum, qui arma ferre poterant, eundem tradunt (Plut. *εἴκοσι μυριάδας μιᾶς δέουσαι*, App. *ἀμφὶ τὰς εἴκοσι μυριάδας*). Cum Plutarchi narratione plane consentit Strabo in fr. 151, si numeros non respicis, de quibus quid iudicem, supra exposui p. 218.

Plut. c. 19 = App. fr. 16—17: Ariovistum a Caesare consule amicum populi Romani appellatum esse: cf. Caes. b. G. I 35.

Plut. c. 19 extr. = App. fr. 1, 3: ex Ariovisti exercitu LXXX milia hominum esse occisa. Cum autem in Caesaris commentariis Germanorum, qui in pugna perierunt, numerus omnino non traditus sit, ex alio fonte Strabonem eum petivisse appareret, id quod Plutarchi verbis comprobatur, qui addito vocabulo *λέγουσι* hanc memoriam aliunde esse derivatam significat.

Plut. c. 20 = App. fr. 1, 4: Appianus dicit, cum Belgae flumen transituri essent, tantam eorum caedem fecisse Caesarem, *ὡς τὸν ποταμὸν γεφυρωθέντα τοῖς σώμασι περᾶσαι*. Plutarchus rem auxit et amplificavit, cum ex uno flumine *λίμνας καὶ ποταμοὺς βαθεῖς* effinxisset. Sed vel sic communis error subest [3]); nam teste Caesare (b. G. II 10) non Romani hoc modo flumen transgressi sunt, sed Belgae per corpora suorum transire conabantur. Qui error utrum iam a Strabone sit admissus, an fortasse ambiguis Strabonis verbis uterque in eundem errorem adductus sit, diiudicari nequit.

Plut. c. 20 = App. fr. 1, 4: de pugna cum Nerviis commissa mire conspirant: cf. Caes. b. G. II 28.

---

1) Cf. Peter 'Die Quellen Plutarchs in d. Biogr. d. Roem.' p. 126.
2) Conferas supra p. 288 adn. 1.
3) Cf. Thouret l. l. p. 352.

Digitized by Google

Plut. c. 22 = App. fr. 1, 4 et 18: Usipetum et Tencterorum CCCC milia esse occisa, qui numerus non invenitur apud Caesarem; nam is universam tantum illarum gentium summam commemorat (b. G. IV 15).

Hi sunt loci, quibus Plutarchus cum Appiani fragmentis congruit, cuius liber si integer nobis esset servatus, certe multo plura possent afferri. Reliquam quoque Plutarchi belli Gallici narrationem (c. 18—27) maximam partem e Strabone haustam esse veri simillimum est. Etiam hic Plutarchus partim consentit cum Caesaris commentariis, partim ab eius memoria abhorret vel plura tradit, ut exposuit Thouretus l. l. p. 352—355. Verum certiora de his non possunt affirmari.

V

De Appiani Mithridaticis et de vitis Sullae, Luculli, Pompei Plutarcheis Mithridatica enarrantibus

Reliquum est, ut de Strabone Appiani et Plutarchi in bellis Mithridaticis enarrandis fonte dicam. Nam inter Plutarchi certe auctores hic quoque Strabonem esse numerandum inde intellegitur, quod et in Sullae et in Luculli vita ab eo laudatur (vide fr. 65[a] et 88). Neque hoc potest quemquam fugere inter Appiani et Plutarchi bellorum Mithridaticorum narrationes singularem quandam intercedere necessitudinem.

Ipsa autem bella Mithridatica insigni cura atque diligentia a Strabone in historicis hypomnematis fuisse descripta vel inde apparet, quod nihil saepius in Strabonis geographicis commemoratur quam haec bella, ad quae pertinent fr. 41—67 et 78—140. Itaque eximium his potissimum rebus Strabo videtur tribuisse studium, id quod profecto non est mirandum, quoniam patria eius erat Amasia, Ponti urbs nobilissima, quae biennio ante, quam natus est Strabo, etiam in ipsius Mithridatis fuerat ditione. Haec est causa, quod morum institutorumque Ponticorum tam peritum se praestat et quod res Mithridaticas tam accurate exponit. Sed accedit aliud multo gravius:

Digitized by Google

nimirum gentis illius, ex qua orta erat Strabonis mater, fortuna artissime coniuncta erat cum ipsius Mithridatis variis casibus, ut ipse Strabo identidem narrat. Nam Dorylaus, *ὃς ἦν πρόπαππος τῆς μητρὸς ἡμῶν*, ut dicit Strabo fr. 43, 32, erat *ἀνὴρ ταχτικὸς* et Mithridatis Euergetae amicus. Alter autem Dorylaus, tactici fratris filius, qui una cum Mithridate Eupatore erat educatus, cum tota eius gente summis a Mithridate honoribus affectus ipse quidem Comanorum factus est sacerdos, qui honor regii erat instar [1]). Cum autem patefactum esset eum regnum sollicitare, ut ad Romanos deficeret, et ipse et propinqui eius honoribus deiecti sunt (fr. 43). Similiter Strabonis avus (*ὁ πάππος ἡμῶν ὁ πρὸς μητρός*) regi iratus ad Romanos transiit et quindecim castella Lucullo prodidit (fr. 93). Postremo autem Moaphernes (*ὁ θεῖος τῆς μητρὸς ἡμῶν*) denuo Mithridatem habuit propitium adeo, ut ab eo Colchidi praeficeretur (fr. 93. 46[d]). Quae cum ita sint, iam puerum Strabonem multa de Mithridate ex matre audiisse et, cum postea opus historicum pararet, ad huius maxime regis fortunas describendas singulare studium attulisse consentaneum est.

Haec igitur Strabonis bellorum Mithridaticorum historia quatenus Appiani libro, qui inscribitur *Μιθριδάτειος*, et Plutarchi vitis supra commemoratis subsit, nunc accuratius expositurus sum. Atque iuvabit utique proficisci **ab Appiano**, quippe qui scriptores, quibus utitur, neglegenter quidem, sed constantius, ut iam saepius vidimus, transscripserit quam Plutarchus, qui semper fere e compluribus auctoribus propria usus arte narrationem solet contexere.

Ac statim in primis Appiani capitibus (1—9) tam manifesta Strabonianae originis exstant indicia, ut iam ante nos vir doctissimus Franclinus Arnold [2]) haec ipsa Appiani capita e Strabonis hypomnematis hausta esse docuerit. Quibus in capitibus Appianus Bithyniae (c. 1—7) et Cappadociae Ponticique (c. 8—9) ante Mithridatis Eupatoris aetatem historiam

1) Cf. fr. 134, 8 sq.

2) 'Untersuchungen ueber Theophanes v. Mytilene u. Posidonius v. Apamea' in Fleckeisenii annal. vol. suppl. XIII p. 146 sq.

Digitized by Google

breviter enarrat. Similem autem *προπαρασκευὴν* Strabonem quoque bellorum Mithridaticorum descriptioni praemisisse colligitur e fr. 41—42. Ipsa vero haec fragmenta et ea, quae de eisdem rebus habet Appianus, praeclare et paene mirandum in modum concinunt.

Sic quod Appianus c. 9 narrat Mithridatis, qui postea *Κτίστης* cognominabatur, fugam regnique Pontici occupationem somnio indicatam esse Antigono, hoc idem legitur in Strabonis fr. 41. Quod somnium eisdem fere verbis quibus Appianus exponit Plutarchus in vita Demetrii c. 4. Qui cum in priore huius vitae parte usus sit imprimis Hieronymi Cardiani historiis[1]) et cum in Hieronymi fr. 3 Mithridatis fugae fiat mentio, vix poterit dubitari, quin etiam illam de Antigoni somnio narratiunculam Hieronymo debeat Plutarchus. Neque alio auctore Strabo hic videtur esse usus, cui quam notus fuerit Hieronymus apparet ex geographicis, ubi ter eum laudat[2]). *Quid?* quod Appianus c. 8 eundem hunc Hieronymum praeter morem suum testem profert? Neque solam Hieronymi affert memoriam, verum etiam aliam plane contrariam. Iam vero identidem monuimus neminem in diversis memoriis congerendis diligentiorem fuisse quam Strabonem. Adde quod ipsa res, de qua hic agitur apud Appianum, ad Alexandri Magni spectat res gestas, quas in peculiari opere copiosissime exposuerat Strabo. Dicit enim Appianus Alexandrum sibi videri (*μοὶ δοκεῖ*) Cappadociae civitates stipendiarias fecisse, cum contra Dareum proficisceretur, et Amisum, Ponti urbem Atticae originis, libertate donasse: Hieronymi autem sententia Alexandrum ne attigisse quidem illas gentes, sed Ciliciae et Pamphyliae oram secutum contra Dareum profectum esse.

Porro Appianus c. 9 mirum quantum consentit cum Strabonis fr. 42. Uterque enim narrat Mithridatem illum *Κτίστην*, postquam Antigonum effugisset, castellum quoddam occupasse,

1) Cf. Brueckner 'De usu qui Hieronymi historiarum fuerit apud posterioris aevi scriptores' in Zeitschrift f. Altertumswissensch. 1842 p. 262 sqq.

2) Vide Hieron. fr. 5. 11. 12 apud Muellerum FHG vol. II p. 453 sqq.

Digitized by Google

unde totam Cappadociam et Pontum expugnasset: a quo ortos reliquos Mithridates continua serie regnasse usque ad Eupatorem.

Accedunt alia eiusdem fontis in his Appiani capitibus indicia. Etenim quae in capp. 2—7 de Prusiae, Bithyniae regis, rebus gestis narrat, magnam partem fere ad verbum consentiunt cum Polybio [1]). Ut vero Hieronymum non ipse inspexit Appianus, ita haud dubie ne Polybio quidem ipso usus est, praesertim cum in c. 7 extr. etiam de Nicomede II et de Nicomede III Philopatore ageret, de quibus nihil poterat invenire apud Polybium. Quoniam igitur nihilo minus vel in minimis convenit cum Polybio, hausisse statuendus est e scriptore Graeco, qui Polybii historias continuavit. Itaque hinc quoque ad Strabonem fontem ducimur.

Quid? Nonne statim primum Appiani caput Strabonis redolet doctrinam? Etenim de Bithyniae nominis origine tres diversae scriptorum sententiae sollemnibus illis formulis [2]) proferuntur, qua in re Appianus plane ex more Straboniano ab Homeri carminibus orditur: docet nimirum Thraces, qui cum Rheso Troiam venissent, rege per Diomedem interfecto, ut narratum esset apud Homerum, ad Ponti ostium fugisse et occupata Bebrycia hanc terram appellasse Bithyniam. Adde quod ipse Strabo in geographicis (XII 3, 3 p. 541) similiter exponit Bebryces, qui antiquitus illam regionem tenuissent, eiectos esse a Bithynis Thracibus, qui suum nomen terrae indidissent.

Quodsi Appiani libri Mithridatici prooemium certissime e Strabone fluxit, iam per se veri est simillimum etiam ipsam bellorum descriptionem ex eodem auctore ab Appiano esse petitam; potius mirum esset, si res aliter se haberet. Atque

1) App. 2 = Pol. XXX 19 (Hultsch); App. 3 = Pol. XXXII 27. XXXIII 9. 12—13; App. 6 = Pol. XXXVII 6: cf. Iordan 'De fontibus Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis' (diss. Gotting. 1872) p. 24 sqq., qui locos exscripsit.

2) *Θρᾷκας Ἕλληνες ἡγοῦνται — — οἱ μὲν — — οἱ δὲ κτλ. Ὧδε μὲν ἔνιοι νομίζουσιν· ἕτεροι δὲ κτλ.*

Digitized by Google

Graecum certe fontem per totum librum Appiani subesse narrationi iam Arnoldus l. l. p. 80 sq. 116 recte demonstravit e Graecis quibusdam artis vocabulis, quae ex Latino scriptore non possunt esse recepta. Exempla autem ab illo v. d. ex Appiano allata facili negotio possunt augeri. Idem inde quoque necessario sequitur, quod Appianus saepius in ipsis adeo vocabulis cum Plutarcho consentit, quae res non aliter licet explicari nisi ita, ut ex communi utrumque fonte et illo quidem Graeco hausisse statuamus. Sed comparatis inter se et Appiani narratione et Strabonis fragmentis, quae pertinent ad bella Mithridatica, tam mirus inter eos deprehenditur consensus, ut dubitari non possit, quin ipsa Strabonis hypomnemata unicus Appiani fuerit fons.

Atque unum maxime ex magna locorum copia eligam consensum, qui mihi videtur esse inter gravissimos. Appianus c. 67 et 102 Achaeos Ponticos dicit esse ortos ab Achaeis, qui Troia deleta in patriam redituri tempestatibus ad illam oram delati essent. Prorsus eadem traduntur in Strabonis fr. 78, ubi postquam de Orchomeno, Boeotiae urbe, exposuit, sic pergit: *ἱστοροῦσι δὲ τοὺς ἐν τῷ Πόντῳ καλουμένους Ἀχαιοὺς ἀποίκους Ὀρχομενίων εἶναι τῶν μετὰ Ἰαλμένου πλανηθέντων ἐκεῖσε μετὰ τὴν τῆς Τροίας ἅλωσιν. Καὶ περὶ Κάρυστον δ' ἦν τις Ὀρχομενός. Εὖ γὰρ τὴν τοιαύτην ὕλην ὑποβεβλήκασιν ἡμῖν οἱ τὰ περὶ τῶν νεῶν συγγράψαντες κτλ.* Quibus verbis Apollodori in Homeri navium catalogum a Strabone significari commentarium demonstravit Benedictus Niese [1]). Nec solum quae de duabus Orchomenis affert, sed etiam quae de Achaeorum origine dicit, huic Apollodoro debet Strabo, ut idem Niesius l. l. recte docuit. Apollodori autem libro illo praeter Strabonem etiam alios, qui quidem ut Appiani fontes in censum possunt venire, usos esse rerum scriptores vix credibile est. Itaque hic Strabonem adhibitum esse ab Appiano necessario est statuendum [2]).

1) In mus. Rhen. vol. XXXII p. 274.

2) Strabo fr. 103 b alium fontem secutus Achaeos Ponticos dicit originem ducere a Phthiotis Achaeis, qui cum Iasone illuc venerint. In

Digitized by Google

Reliquos locos, ubi Appianus et Strabo inter se consentientes inveniuntur, quam brevissime hic recenseam ceterum relegans ad Strabonis fragmenta a me collecta, ubi et Strabonis et Appiani locos invenis exscriptos. De eis tantummodo rebus accuratius disseram, quaecumque aliqua de causa memoratu sunt dignae.

Ac primum quidem agitur de bello Mithridatico primo.

App. c. 18 et 20 = Strab. fr. 48: de pugna ad Amniam flumen commissa. Uterque diserte dicit non ipsum Mithridatem huic pugnae interfuisse, sed per duces eius Nicomedem esse devictum, ut cum paucis tantum ex hostium manibus evaderet. Quo facto Mithridatem uno impetu et Bithyniam et totam Asiam usque ad Lyciam occupasse.

App. c. 23 extr. = fr. 55: de thesauris, quos Cleopatra in Coo insula deposuerat, a Mithridate asportatis, cuius rei apud nullum alium auctorem exstat mentio [1]). Ab Appiano autem illi Cleopatrae thesauri commemorantur praeterea in c. 115 et 117.

App. c. 28 = fr. 56: de Delo insula per Mithridatis duces devastata. Hoc loco Appiani verba egregie explicantur et illustrantur ipso Strabonis fragmento. Nam quod Appianus narrat Archelaum, Mithridatis legatum, vi et armis subegisse Delum insulam *ἀφισταμένην ἀπὸ Ἀθηναίων*, hoc aliunde non notum est. Ac Niesius [2]) quidem Appiani verba studet explicare e Posidonii fr. 41, ubi haec fere narrantur: Athenionem [3]), qui belli Mithridatici initio Athenis tyrannidem occupaverat, multis civibus interfectis, quorum fortunas diripuisset, etiam thesauros Deliacos appetivisse. Quos ut Athenas transportaret,

historico igitur opere duas de hac re videtur protulisse memorias, quarum alteram tantum servavit Appianus.

1) Nam Iosephus A. I. XIII 13, 1 ad Strabonem redit: vide supra p. 238 sq.

2) In mus. Rhen. vol. XLII p. 576 sq.

3) Hunc non, ut vulgo credebatur, eundem esse atque Aristionem, qui a Strabone et Appiano commemoratur, rectissime exposuit Niesius l. l. p. 574 sqq.

Digitized by Google

missum esse Apellicontem, quem tamen ab Orbio, Romanorum legato, qui noctu navibus ad insulam accessisset, oppressum copiis deletis vix ipsum se servasse. At haec non poterat dici Deliorum defectio! Iam vero comparato Strabonis loco statim Appiani verbis nova lux affulgebit. Apud hunc enim l. l. leguntur haec: *ἐπελθόντες δ' οἱ τοῦ Μιθριδάτου στρατηγοὶ καὶ ὁ ἀποστήσας τύραννος αὐτὴν* (sc. *τὴν Δῆλον*) *διελυμήναντο πάντα.* Ad vocabulum *ἀποστήσας* autem ex eis, quae antecedunt, nihil aliud licet supplere nisi *ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων.* Itaque necessario statuendum est, ut Athenis Athenionem et Aristionem, Trallibus Cratippi filios (Strab. fr. 52), ita etiam Deli post illam Apellicontis expeditionem inter turbas bello Mithridatico concitatas tyrannum quendam exstitisse, qui insulam ab Atheniensibus abalienasset. Hic, ut Athenio et ut omnino erat tyrannorum, viris strenuis de medio sublatis et civium divitum bonis direptis putandus est *διαλυμήνασθαι πάντα,* ut ait Strabo. Nec minus postea insulam afflixerunt Mithridatis legati, qui tyranno illo exstincto eam vastam ac desertam Atheniensibus reddiderunt.

App. c. 30 = fr. 57 [b]: Uterque auctor narrat longos muros, quibus urbs cum Piraeo erat coniuncta, deiectos esse a Sulla. Qui consensus eo est notabilior, quod res non ita est, ut dicunt. Nam muri illi iam anno 200 a. Chr. n. erant semiruti [1]). Itaque hi Sullae non erant diruendi, sed eorum ruinis ac lapidibus dispersis usus est ad aggerem exstruendum. Nonnulli etiam praeterea in hoc Appiani capite deprehenduntur errores. Etenim Piraei murorum altitudinem dicit fuisse quadraginta fere cubitorum et ipsos hos muros a Pericle esse aedificatos. Apparet igitur fontem minus bonum his in rebus enarrandis adhibitum esse a Strabone [2]).

---

1) Liv. XXXI 26: cf. Arnold l. l. p. 137.

2) Ceterum quam ignari vel potius quam neglegentes fuerint harum rerum vel ipsi Athenienses intellegitur ex Andocid. III 4 et Aeschin. II 172, qui et Piraei muros et *τὸ μακρὸν τεῖχος τὸ βόρειον* exstructos esse docent per indutias quinque annorum factas a Cimone a. 450/49!

Digitized by Google

App. c. 33 = fr. 58: Lucullum a Sulla Athenas obsidente missum esse in Aegyptum et Cyrenen.

App. c. 39 = fr. 57ª: accuratissime congruunt Sullam Aristionem tyrannum supplicio affecisse, ceteris autem Atheniensibus veniam dedisse narrantes.

App. c. 45 = fr. 59: de pugna ad Chaeroneam commissa. Uterque diserte monet ex infinita militum Ponticorum multitudine vix paucos navibus Chalcidem effugisse.

App. c. 51—53 = fr. 62: Flaccum in Bithynia occisum esse a Fimbria, et quomodo Ilium oppidum a Fimbria sit captum.

App. c. 59 sq. = fr. 62: Fimbria a Sulla interimitur.

App. c. 61 = fr. 62. 63: Ilium et Magnesia ad Sipylum sita libertate a Sulla donantur.

Iam videamus, quibus in rebus Appianus et Strabo consentiant in enarrando bello a Lucullo cum Mithridate gesto.

Ac de Appiani c. 67, ubi de Achaeorum Ponticorum origine disserit secutus Strabonem, iam supra diximus p. 294. In eodem capite[1]) plane congruenter cum Strabonis fr. 89ᵇ tradit Mazacenos Cappadoces a Tigrane, cum Cappadociam incursionibus depopularetur, e suis sedibus abductos esse in Mesopotamiam et ex his maxime ab eo conditam esse Tigranocerta urbem. Atque hic quoque notatu est dignum, quod praeter Strabonem et Appianum nullus alius auctor hanc rem memoriae prodidit.

App. c. 69 = fr. 79: de campis Themiscyriis ad Thermodontem fluvium sitis, Amazonum olim sede.

App. c. 72—76 = fr. 80: Cyzici urbis obsidio simillime ab utroque narratur, quamquam apparet Appianum Strabonis narrationem accuratissimam valde contraxisse multaque plane omisisse. Atque ad hoc maxime animum advertas, quod uterque dicit Mithridatem terra marique Cyzicum oppugnasse et postea etiam Dindymum occupasse montem urbi imminentem,

1) Conferas etiam App. c. 115.

Digitized by Google

qua in re conspicitur Strabonis locorum peritia. Etiam cuniculi a Mithridate contra urbem et a Cyzicenis contra Mithridatis aggerem acti et ab Appiano [1]) et a Strabone [2]) commemorantur, nec minus fames, qua maxima exercitus Pontici pars periit et qua ipse ab urbe depulsus est.

App. c. 78 = fr. 135: de Eupatoria a Mithridate condita atque cognominata.

App. c. 83 = fr. 84: de Sinopa a Lucullo expugnata Appianus mirum quantum cum Strabone congruit. Atque ipsam quidem urbis obsidionem paucissimis verbis Appianus decidit: eo diligentius autem fabulas a Strabone prolatas exponit. Apud utrumque magni momenti est Autolyci statua, quam Lucullus visu nocturno commotus secum aufert. Hunc Autolycum inter Herculis [3]) contra Amazones proficiscentis fuisse comites et tempestate in illam oram deiectum Sinopam urbem condidisse. Qua re divinos ei apud incolas haberi honores eiusque in urbe esse oraculum. Qui consensus profecto tam egregius est, ut nihil veri similius sit quam ipsum Strabonem ab Appiano esse adhibitum.

App. c. 78 et 83 = fr. 83: de Amiso urbe a Lucullo obsessa. Uterque hoc loco monet Amisum Atheniensium fuisse coloniam, quam rem apud Theopompum invenit Strabo, ut ipse testatur. Adde quod hic, ut in c. 8, Appianus narrat Amisum, quae urbs in regum Persarum venerat potestatem, ab Alexandro Magno libertate esse donatam.

Tertio loco dicendum est de bello piratico et de bello Mithridatico a Pompeio gesto.

---

1) Cf. c. 75 et 76.

2) Cf. fr. 50, 19 sq.

3) Sic Appianus et Plutarchus unum eundemque auctorem, i. e. Strabonem, secuti perhibent. Quodsi Strabo in geographicis non Herculis, sed Iasonis comitem dicit Autolycum, aut per errorem lapsus est aut alteram hic attulit relationem (sicut de Achaeis Ponticis diversis locis diversa tradidit: vide fr. 103 b et c et supra p. 294 adn. 2) aut diversas fabulas confudit: nam Autolycus ille postea a Sinopa urbe cum Iasone dicitur in Graeciam rediisse: cf. Apoll. Rhod. II 955 sqq. cum scholio.

Digitized by Google

App. c. 96 et 115 = fr. 97: de piratarum reliquiis a Pompeio partim Solis, quae ab eo appellata est Pompeiopolis, partim Dymae aliisque in oppidis collocatis.

App. c. 101 = fr. 106: Appianus hoc loco tres de Iberum ad Caucasum habitantium nomine profert sententias, quarum duae etiam apud Strabonem inveniuntur: nam colonos eos esse Iberum occidentalium dicit fr. 106[b]; sed in fr. 106[a] extr. eos suspicatur *ὁμωνύμως τοῖς ἑσπερίοις καλεῖσθαι ἀπὸ τῶν ἑκατέρωθι χρυσείων.*

App. c. 102 = fr. 103: de Mithridatis per Heniochorum et Achaeorum fines fuga; quod de Achaeorum origine eadem tradunt, de hac re iam supra p. 294 monuimus. Sed hoc quoque notandum, quod uterque Dioscuros cum Argonautis has regiones adiisse narrat.

App. c. 103 = fr. 106[a]: hoc loco Appianus fere ad verbum transscripsit, quae Strabo dixit de Caucasi fluminibus aurum deferentibus, unde ortam esse pellis aureae fabulam.

App. c. 103 = fr. 108: Cyrus flumen ab utroque eodem modo describitur, quem amnem multis exceptis fluviis duodecim ostiis in mare Caspium exire[1]). At una in re a Strabone vehementer videtur discrepare Appianus, nimirum quod Araxem in ipsum Cyrum tradit influere, cum Strabo eum dicat haud procul a Cyro in mare Caspium erumpere. Quae discrepantia quomodo sit explicanda, elucebit comparato Plutarcho. Qui auctor in vita Pompei c. 33 ut Strabo in mare Caspium Araxem facit influentem. In c. 34 autem primum quidem narrat ut Appianus Araxem in Cyrum infundi, sed statim addit haec: *οἱ δὲ οὔ φασι τούτῳ συμφέρεσθαι τὸν Ἀράξην, ἀλλὰ καθ' ἑαυτόν, ἐγγὺς δὲ ποιεῖσθαι τὴν ἐκβολὴν εἰς ταὐτὸ πέλαγος.* Iam vero Plutarchus his locis adeo consentit et cum

1) Quanta Appianus in excerpendo usus sit neglegentia, hic locus egregie si quis alius demonstrat: nam e Strabonis ostiis caecis et limosis ille effecit *δώδεκα στόματα πλωτά*, quod Strabo de fluviis in Cyrum influentibus praedicaverat, eo male translato ad duodecim ostia: cf. Ioann. Neumann in Fleckeisenii annal. vol. suppl. XIII p. 346 adn. 240; Guil. Fabricius 'Theophanes v. Mytil. u. Q. Dellius etc.' p. 188.

Digitized by Google

Appiano et cum Strabone, ut e Strabone eum hausisse necessario sit statuendum. Itaque veri simillimum est ipsum Strabonem in amplo opere historico duas de Araxe attulisse memorias, quarum alteram solam in geographica recepit, fortasse eam, quae ei videbatur verior. Sic omnia facillime explicantur. — Aliter de hac re indicavit Neumannus l. l. et, qui eum sequitur, Fabricius. Neumannus Theophanem et Strabonis et Appiani et Plutarchi communem esse fontem arbitratus sic fere ratiocinatur. Theophanem, quippe qui ipse illas regiones adisset et Cyrum haud longe ab eius ostio cum Pompeio transgressus esse videretur, non, ut Plutarchum, rem in dubio relinquere potuisse, sed quae ipse oculis suis vidisset, ea haud dubie memoriae tradidisse. Quoniam vero Plutarchus loco priore id unum doceat Araxem in mare Caspium effundi, valde probabile esse Theophanem huius sententiae esse auctorem. Plutarchum autem et Appianum hic suo utrumque Marte ex auctoribus recentioribus fontem suum correxisse [1]). — Quam sententiam plane a vero abhorrere facile est ad demonstrandum. Nihil enim minus videtur credibile quam duos scriptores eodem narrationis loco sua sponte a fontis, quem ceteroquin usque quaque secuntur, recessisse memoria, praesertim cum constet, quam ignarus rerum maxime geographicarum fuerit Appianus. — Itaque teneo meam sententiam. Neque quidquam impedit, quominus iam Theophanem statuamus tradidisse in Cyrum influere Araxem; Strabo autem ex fonte vetustiore, ut solet, alteram in hypomnematis historicis addidit de Araxis cursu memoriam et hanc etiam potiorem, ut videtur, habuit quam Theophanis. Neque plus valuisse apud Strabonem Theophanis auctoritatem quam aliorum auctorum apparet ex geogr. XI 5, 1 p. 503/4 = fr. 111.

App. c. 104 = fr. 105: Tigranem a Pompeio sex milibus

1) Constat enim Araxem olim re vera in mare Caspium se effundisse, postea cursu mutato in Cyrum flumen influxisse, in quod usque ad hunc diem defertur. Ac Theophanis quidem aetate in mare exiisse Araxem statuit Neumannus, mutatum esse alveum certe ante Plinii tempora (cf. N. H. VI 26).

Digitized by Google

talentum multatum statim magnas militibus largitum esse pecunias. Quid cuique donaverit, hoc mire inter utrumque auctorem convenit.

App. c. 105 = fr. 101: de Nicopoli urbe in Armenia minore a Pompeio condita.

App. c. 105 = fr. 129: Cappadocum regi Castabala aliaque Ciliciae oppida a Pompeio esse data.

App. c. 112 Mithridatem narrat LXVIII vel LXIX annos vixisse, regnasse annos LVII. Pervenit igitur ad regnum undecim annos natus, id quod egregie convenit cum Strabonis fr. 43, 18, cum omnes ceteri scriptores dissentiant [1]). Totum autem hoc Appiani caput omnino originem Strabonianam aperte prodit. Enarrato enim Mithridatis vitae exitu hic eius res gestas quasi uno in conspectu ponit moresque eius describit similiter atque in bell. civ. libr. II et IV fine Caesaris et Bruti Cassiique vitarum imagines expressit, ubi Strabone eum usum esse supra demonstravimus p. 260 sq. et 273 sq.

Porro mirandum est, quam accurate Appianus in capp. 114 sq. exponat, quo modo Pompeius Asiam constituerit, quibus regibus singula regna dederit, quas urbes ipse condiderit. Quid? Nonne his agnoscitur Strabo, cui ut ex Ponte oriundo hae res maxime erant cordi? Atque quantam ille his potissimum rebus navaverit operam, vel ex geographicis apparet, ubi multus est in eis, quae Pompeius in Asia novavit, enarrandis. Sic inter Appianum et Strabonem conveniunt haec:

App. c. 105 = fr. 129: Ariobarzani Castabala aliaque Ciliciae oppida donantur.

App. c. 114 = fr. 128: Antiocho Commageno Seleucia Mesopotamiae a Pompeio datur.

App. c. 114 = fr. 131: de Galatia inter tetrarchas a Pompeio distributa, quorum unus erat Deiotarus.

App. c. 114 = fr. 134: Archelaum Pompeius praeficit Comanorum sacerdotio, quae dignitas post regiam erat summa.

1) Memno c. 30 *τὴν ἀρχὴν τρισκαιδεκαετὴς παραλαβών*; Livius apud Eutr. VI 12 et Oros. VI 5, 7 dicit eum vixisse annos LXXII, regnasse LX.

Digitized by Google

App. c. 115 = fr. 101: Nicopolis in Armenia minore a Pompeio conditur.

App. c. 115 = fr. 135: Eupatoria a Mithridate condita amplificatur a Pompeio et appellatur Magnopolis [1]).

App. c. 115 = fr. 89[b]: Mazaca oppidum bello devastatum restituitur.

App. c. 115 = fr. 97: Soli, Ciliciae urbs, a Pompeio appellatur Pompeiopolis.

In duobus ultimis capitibus (120 sq.) Appianus quasi appendicis loco rerum Ponticarum per sequentia tempora historiam breviter exponit. Neque quidquam fere hac in parte legitur apud Appianum, quod non apud Strabonem quoque eodem modo inveniatur narratum. Haec enim velim inter se conferas:

App. c. 120 = fr. 171: de Amiso urbe a Pharnace expugnata.

App. c. 120 = fr. 175[a]: Pharnaces rex ab Asandro interficitur.

App. c. 121 = fr. 175[a]: Mithridates Pergamenus a Caesare rex Borpori constituitur.

App. c. 121 = fr. 169: de Mithridate Pergameno Caesaris in bello Alexandrino socio.

App. c. 121 = fr. 116: Pontus Romanorum est provincia coniuncta cum Bithynia.

App. c. 121 = fr. 174: Lycomedes Comanorum fit sacerdos.

App. c. 121 = fr. 38: Cyrene Ptolemaei Apionis testamento populo Romano obvenit.

Quodsi, quae hucusque disputavimus breviter complectimur, hoc iam constat Appiani prooemium certe fluxisse e

---

1) Una in re videntur paulum inter se differre: nam Strabo dicit urbem a Mithridate conditam fuisse semiperfectam (ἡμιτελῆ), Appianus ab ipso Mithridate, cum Romanos recepisset, eam esse deletam. Fortasse utrumque verum est: urbs nondum perfecta erat, cum a Romanis caperetur (cf. App. c. 78); Mithridates autem regno recuperato eam non modo non perfecit, sed etiam incolis iratus partem eius destruit. Strabo in geographicis res historicas saepe parum accurate narrat.

Digitized by Google

Strabonis hypomnematis, per totum autem libellum praeclarum atque saepe etiam singularem inter utrumque auctorem esse consensum. Si praeterea recordamur, quomodo alioquin Appianus fontibus uti consuerit, iam pro certo licet affirmare Strabonis hypomnemata unicum Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis fuisse fontem. Quae sententia multis rebus egregie confirmatur.

Iam saepius monuimus Strabonem, utpote qui peculiare opus de Alexandri Magni rebus gestis summa diligentia condidisset, etiam in historicis hypomnematis, ut est consentaneum, haud raro oblata occasione earum rerum iniecisse mentionem. Quod hic quoque, ubi Strabone usus est Appianus, videmus factum in c. 8 et c. 83, in quibus sermo est de Amiso urbe ab Alexandro in libertatem restituta, ut iam supra memoravimus. Huc accedunt duo loci, quibus insignis rerum ad Alexandrum pertinentium apparet notitia. Nam in c. 20 narratur Mithridatem, cum Phrygiam invaderet, devertisse *ἐς τὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου πανδοκεῖον αἰσιούμενον ἄρα, ἔνθαπερ Ἀλέξανδρος ἀνεπαύσατο, καὶ Μιθριδάτην σταθμεῦσαι.* Alter locus est in c. 89, ubi haec dicit Appianus: Mithridatem, dum Romanos fugientes persequeretur, a centurione graviter vulneratum a suis ex acie esse ablatum; qua re sollicitus cum exercitus Ponticus trepidaret, Timotheum medicum, ut animis sollicitudinem eximeret, cohibito sanguine sublimem eis regem ostendisse, *οἷόν τι καὶ Μακεδόσιν ἐν Ἰνδοῖς ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου δεδιόσιν ὁ Ἀλέξανδρος αὐτὸν ἐπὶ νεὼς θεραπευόμενον ἐπέδειξεν* [1]).

Porro Strabonem in hypomnematis historicis, cum res imprimis memorabiles ei erant exponendae, interdum addidisse, quanam olympiade ea, quae modo narravit, essent facta, vidimus supra p. 242: cf. fr. 124, 27. Idem mos in Appiani Mithridaticis conspicuus est. Nam in c. 17 extr. totius belli initium cum gravitate quadam indicatur his verbis: *τοσαύτη μὲν ἦν ἑκατέροις ἡ παρασκευή, ὅτε πρῶτον ἦεσαν ἐς ἀλλήλους Ῥωμαῖοι*

1) De qua re cf. Arrian. anab. VI 13. Plut. Alex. 63.

Digitized by Google

τε καὶ Μιθριδάτης ἀμφὶ τὰς ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα τρεῖς ὀλυμπιάδας. Et in c. 53 extr., ut Strabo apud Iosephum A. l. XIV 16, 4 de Hierosolymis iterum captis, ita Appianus Ilii per Fimbriam excidio enarrato dicit haec: *τάδε μὲν δὴ Φιμβρίας ἐς Ἴλιον εἰργάζετο ληγούσης ἄρτι τῆς τρίτης ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος. Καί τινες ἡγοῦνται τὸ πάθος αὐτῇ τόδε μετὰ Ἀγαμέμνονα χιλίοις καὶ πεντήκοντα*[1]) *ἔτεσι γενέσθαι μάλιστα.*

Manifesto etiam Strabo fons agnoscitur eo c. 76 extremi loco, ubi Appianus narrat Cyzicenos a Lucullo obsidione liberatos gratos ei se praestitisse *ἀγῶνά τε αὐτῷ θέμενοι μέχρι νῦν τελοῦσι τὰ Λευκόλλεια καλούμενα.* Mira ac paene inaudita hercle haec in Appiano diligentia! Haud dubie igitur e viris rerum Asiaticarum peritis percontatus est, num ludi illi sollemnes etiamtum celebrarentur. Credat Iudaeus Apella! Nam ut taceam hoc plane ab Appiani consuetudine abhorrere, omnino non credibile est ludos illos usque ad Appiani tempora permansisse. Libertatem enim, quam fortitudine sua in bello Mithridatico Lucullo auctore acceperant et quae iam ab Augusto eis per quinquennium erat adempta[2]), plane amiserunt Cyziceni per Tiberium a. 24 p. Chr. n.[3]). Atque una cum libertate etiam ludos illos interiisse consentaneum est. Itaque verba illa *μέχρι νῦν τελοῦσι* ab Appiano e fonte suo descripta sunt. Atque hic auctor statuendus est scripsisse aliquanto post bella Mithridatica et res Asiaticas bene habuisse cognitas. Quid? Nonne haec optime cadunt in Strabonem? Quid? Si ex ipso Strabone locum afferam plane gemellum? Nam perlegas velim, quae narrat Strabo XI 8, 4 p. 512: *ἀπέδειξάν τε* (sc. *οἱ Πέρσαι*) *πανήγυριν κατ' ἔτος ἱερὰν τὰ Σάκαια, ἣν μέχρι νῦν ἐπιτελοῦσιν οἱ τὰ Ζῆλα ἔχοντες*, unde apparet eum talibus rebus intentum habuisse animum.

---

1) Numerus hic utrum recte se habeat an vitium traxerit, diiudicari nequit: cf. Iordan l. l. p. 50 adn. 3.

2) Cf. Cass. Dio LIV 7. 23.

3) Cf. Cass. Dio LVII 24. Suet. Tib. 37. Tac. ann. IV 36.

Digitized by Google

Haec insignis rerum Asiaticarum notitia per totum Appiani librum enitet. Quae ad quem potius referenda est auctorem quam ad Strabonem, qui ipse ex Ponto oriundus et loca et mores et instituta illorum populorum pariter cognita habebat? Sic in c. 19 singula loca accuratissime commemorantur: Mithridates Scorobam montem ascendit, *ὃ τέλος ἐστὶ Βιθυνῶν καὶ τῆς Ποντικῆς ἀρχῆς*; Manius a Mithridatis legatis vincitur *ἀμφὶ τὸ πρῶτον Πάχιον χωρίον*; Cassius et Nicomedes castra movent *ἐς Λεόντων κεφαλήν, ὃ τῆς Φρυγίας ἐστὶν ὀχυρώτατον χωρίον*. In c. 26 sq. rerum Rhodiarum se praebet gnarissimum: nam mentionem facit montis cuiusdam, in quo fuerit Iovis Atabyrii templum, de qua re conferas Strabonem XIV 2, 12 p. 655, praeterea Isidis in Rhodo urbe templi et Latonae Patarensis lucus. In c. 61—63 urbium Asiaticarum miseriae, in quas bello Mithridatico inciderant, magna cura et non sine dolore quodam enarrantur. In c. 64 extr. Comana oppidum breviter describitur: cf. Strab. fr. 134[a]. Gravissimi momenti est etiam locus in c. 66, ubi accuratissime Appianus exponit de sacris sollemnibus a Mithridate in Cappadocia Iovi *Στρατίῳ* factis, quorum ritus confert cum regum Persarum sacrificiis, quae Pasargadis fiant[1]). Quae vero hic profert Appianus multis in rebus egregie consentiunt cum eis, quae Strabo de Persarum sacris narrat XV 3, 13 sq. p. 732/3. In § 15 autem Strabo diserte dicit etiam in Cappadocia esse *πολλὰ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά*, quae ipse suis oculis viderit. In c. 70 ineunte eiusdem Iovis sacrum commemoratur et praeterea Neptuni, cui Mithridates quadrigas equorum alborum in mare demittit. Porro in c. 77 narratur Lemni etiamtum superfuisse Philoctetae calamitatis monumenta, aram huius herois et serpentem aëneum et arcum thoracemque fasciis revinctum. In c. 84 Tigranocerta urbs a Tigrane condita satis accurate describitur. Denique quae Appianus c. 107 init. et c. 108 init. dicit de Panticapaeo et Phanagoria emporiis, congruunt cum Strabone XI 2, 10 p. 495.

1) *Οἷόν τι καὶ ἐν Πασαργάδαις ἐστὶ τοῖς Περσῶν βασιλεῦσι θυσίας γένος.*

Digitized by Google

Etiam fabulas et *αἴτια* plane ut Strabo saepenumero profert Appianus, velut in c. 75, ubi eam rem, quod Cyziceni Proserpinam imprimis colunt, inde explicat, quod Cyzicus urbs in dotem huic deae data sit a Iove. In c. 78 Themiscyram urbem ad Thermodontem sitam illud nomen accepisse docet ab una ex Amazonibus. In c. 101 Dioscuriadem oppidum ex Colchorum sententia conditum esse dicit a Dioscuris, Argonautarum comitibus, et Bosporum nomen traxisse ab Ione, quae a Iunone in bovem mutata fretum illud transnasset. In c. 102, ubi de Achaeis Ponticis cum Strabone consentit, alias praeterea res fabulosas de eis narrat explicare studens, cur illi Graecos illuc delatos immolare soleant.

Strabo, ut supra exposui p. 291, certis de causis singularem curam et studium haud mediocre in ipsum Mithridatem regem contulit. Itaque mirum non est, quod etiam apud Appianum, qui totus pendet e Strabone, insigne Mithridatis studium deprehenditur. Nam Mithridatis potissimum res accuratissime exponuntur, multo accuratius quam Romanorum, et multa de ipso Mithridate narrantur, quae apud nullum alium auctorem leguntur.

Statim hoc notandum est, quod apud Appianum magna diligentia Mithridatis duces semper nominatim appellantur [1]), apud reliquos scriptores vix commemorantur. Praeterea nonnullas res afferam imprimis memorabiles. In c. 21 narrat Mithridatem Stratonicea oppido expugnato Monimam, Philopoemenis filiam, inter uxores recepisse. In c. 46—48 fuse exponitur, quomodo Mithridates Galatarum tetrarchas necaverit et Chios castigaverit, quomodo Zenobius ab Ephesiis interfectus sit, denique quomodo Mithridates coniurationem oppresserit, qua in re hoc maxime notandum est, quod coniuratorum

1) Cap. 17 extr. Neoptolemus, Archelaus, Arcathias, Dorylaus, Craterus; 18 sq. eidem et Nemanes; 27 Pelopidas, Archelaus; 29 Metrophanes; 32 Dromichaetes; 41 Arcathias; 46 Eumachus, Zenobius; 49 Dorylaus, Diogenes, Archelai filius; 65 Gordius; 70 Taxiles, Hermocrates; 75 Eumachus; 76 sq. Varius, Alexander Paphlago, Dionysius; 78 Diocles; 79 Phoenix; 84 Mithrobarzanes, Mancaeus.

Digitized by Google

nomina et, quae cuiusque fuerit patria, curiose indicatur. In c. 66 extr. describitur convivium, quod Mithridates altero bello finito omnibus cum Ponticis tum Romanis praebuit, cum certaminibus coniunctum praemio eis proposito, qui vel bibacitate vel edacitate vel dicacitate vel cantu vel aliis eiusmodi artibus vincerent [1]). In c. 69 magnus invenitur index populorum, quicumque Mithridati copias miserunt. In c. 79 praeter consilium interficiendi Luculli ab Olcaba Scytha initum narratur hunc, ubi ad Mithridatem rediisset, alium Scytham, nomine Sobadacum, Mithridati suspectum reddidisse. Alia coniuratio in Mithridatis caput facta, cuius princeps erat Attidius quidam, senator Romanus, enarratur in c. 90. In c. 88 traditur regem saucium curatum esse ab Agaris, quae erat gens Scythica, *ἰοῖς ὄφεων ἐς τὰς θεραπείας χρώμενοι καὶ ἐπὶ τῷδε ἀεὶ βασιλεῖ συνόντες*, et in capite sequenti regis medicus nomine Timotheus commemoratur. Porro animum advertas, quanta diligentia in c. 104 Mithridatis nepotum, filiorum Tigranis, descriptae sint sortes variae. Non minus accurate Mithridatis e regno suo fuga et, quae vel fugiens molitus sit, in c. 101 sq. exponuntur. Maxime autem in c. 107—111 illud Mithridatis studium conspicuum est, in quibus uberrime agitur de ultimis Mithridatis casibus et de eius vitae exitu: hoc unum moneo, quam diligenter in c. 108 Mithridatis filii filiaeque enumerentur, quorum vel aetas memoriae traditur. Hoc quoque notabile est, quam saepe et in ipsis his capitibus et in antecedentibus eunuchorum fiat mentio, qui plurimum apud Mithridatem valebant, id quod aegre ferebant Pontici [2]). Sic in c. 76 inter Mithridatis legatos commemoratur Dionysius eunuchus, cuius mors in c. 77 enarratur. Bacchus eunuchus mittitur ad regis sorores, uxores pelicesque interficiendas (c. 82). Mithridates cum morbo faciei ulceroso laboret, a tribus eunuchis curatur (c. 107 extr.). Castor Phanagorensis Tryphonem, regis eunuchum, a quo

1) Hoc quoque notandum, quod Appianus dicit Mithridatem hos agonas instituisse *ὥσπερ εἰώθει*.

2) Cf. App. c. 108 *ἀεὶ πρὸς εὐνούχους κρατοῦντας τοῦ Μιθριδάτου πεπολεμωμένοι*.

Digitized by Google

contumeliam acceperat, occidit (c. 108). Mithridates filias ad Scytharum reges mittit per eunuchos, qui a militibus Ponticis interimuntur (c. 108).

Sic omnia optime videmus convenire in Strabonem, quem unicum Appiani in libro Mithridatico conscribendo fuisse fontem tot argumentis certissimis atque indiciis minime fallacibus collectis pro certo licet affirmare. Neque opus est sententias ab aliis viris doctis prolatas multis refellere velut Reinhardi Iordan [1]), qui Appianum nullum alium auctorem adhibuisse nisi Livium studuit probare locis quibusdam, quibus Appiani Liviique memoria congruit, in unum collectis, sed plane neglectis discrepantiis. Quam sententiam iam Franclinus Arnold l. l. p. 79 sqq. in universum recte redarguit.

Ipse autem hic vir doctus partem veri iam cognovit, cum Appiani fontes inter Graecos scriptores esse quaerendos rectissime demonstrasset. Sed quos ipse statuit Appiani fontes, hos ab ipso Appiano inspectos esse praefracte nego.

Atque in tertio bello Mithridatico enarrando, quod primum Lucullo, deinde Pompeio duce gestum est, omnia ex Theophane hausisse Appianum existimat. Unde hoc conclusit Arnoldus? Nimirum inde, quod Appianus multis in rebus consentit cum Strabonis geographicis, quem putat hac in parte omnia fere petivisse ex Theophane. At hanc sententiam non esse veram iam supra exposui p. 219 sqq. Nam multas res historicas ex hypomnematis suis historicis desumpsit, ubi praeter Theophanem etiam aliis usus est rerum scriptoribus.

Certissime autem potest demonstrari Theophanem ipsum neque ab Appiano neque a Plutarcho esse adhibitum, sed eorum narrationes redire ad Strabonem, qui ipse cum alios fontes, tum Theophanem adiit. Atque luculentissime hoc apparet e loco, quo maxime nititur ipse Arnoldus. Nimirum in c. 103 extr. Appianus narrat pugnae a Pompeio cum Albanis factae etiam Amazones interfuisse; multas enim post proelium

1) In dissertatione iam saepius laudata, quae inscribitur 'De fontibus Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis' Gotting. 1872.

Digitized by Google

inventas esse mulieres non minoribus quam viros oneratas vulneribus. Eandem rem memoriae tradidit Plutarchus in vitae Pompei c. 35, neque potest dubitari, quin ex eodem fonte fluxerit utriusque auctoris narratio [1]). In eodem fonte uterque etiam de Amazonum sedibus nonnulla invenit, quae misere mutilata apud Appianum accuratius exponuntur a Plutarcho. Iam vero recte animadvertit Arnoldus p. 84, quae Plutarchus de Amazonum sedibus proferat, accuratissime consentire cum Theophanis verbis a Strabone in fr. 111 allatis. Itaque Theophanem Plutarchi et Appiani fontem esse statuit: cautius debebat dicere: Theophanem aut alium auctorem, qui Theophanem adhibuit. Post verba autem illa, quae concinunt cum Theophanis fragmento, sic pergit Plutarchus: *καὶ τούτοις* (sc. cum accolis suis) *ἔτους ἑκάστου δύο μῆνας εἰς ταὐτὸ φοιτῶσαι περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν ὁμιλοῦσιν, εἶτα καθ' αὑτὰς ἀπαλλαγεῖσαι βιοτεύουσιν.* Quid? Etiamne haec hausta sunt ex Theophane? Haud vidi magis. Etenim Strabo l. l., sicut eius est mos, non uno contentus fonte Theophanis sententiae opponit Metrodori Scepsii et Hypsicratis, qui Amazonas Gargarensium vicinas esse tradiderint, et ex Metrodoro et Hypsicrate, non ex Theophane, consuetudinem illam, quae Amazonibus cum finitimis suis intercesserit, describit eisdem fere quibus Plutarchus verbis usus. Necessario igitur sequitur Plutarchum non ipsum Theophanem adhibuisse, sed Strabonis hypomnemata, ubi et Theophanis et Metrodori Hypsicratisque memorias invenit allatas, quas ipse conflavit et inter se confudit. Qua ratione etiam error, quem commisit Plutarchus, optime explicatur. Nam Amazonas dicit Albanis auxilio venisse *ἀπὸ τῶν περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν ὀρῶν καταβάσας* et cum finitimis eas conventus habere *περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμόν*. At gentes illae et ipsae Amazones in Caucaso monte habitabant; Thermodon autem flumen, quod Themiscyram

1) Quod Plutarchus peltas Amazonicas et cothurnos reperta esse dicit, non ipsa Amazonum corpora, sicut Appianus testatur, hinc, ut ex multis aliis exemplis, cognoscitur, quam incuriose et parum diligenter Appianus fontem expresserit.

Digitized by Google

praeterfluit, longe distat. Nimirum Plutarchus duas res inter se confudit; nam Strabo l. l. § 2 Metrodorum et Hypsicratem secutus narrat Gargarenses olim cum Amazonibus habitasse Themiscyrae ad Thermodontem flumen, deinde cum eis in Caucasum montem commigrasse et ibi per duos menses cum eis quotannis prolis procreandae causa consuescere. Haec duo loca, ubi diversis temporibus illarum gentium erant sedes, Plutarchus commiscuit.

Sed multis praeterea rebus demonstratur Theophanem non esse Appiani neque Plutarchi fontem. — Appianus c. 101 et Plutarchus Pomp. c. 32 castellum illud, in quod Mithridates fugiens primum devertit, non *Συνορίαν* appellant, quae nominis forma Theophanis erat propria teste Strabone in fr. 101, sed *Σινορίαν*, sicut Strabo l. l.[1]). — Porro Arnoldus p. 83 scite suspicatur Plutarchi (Pomp. c. 46) verbis *ὡς μὲν οἱ κατὰ πάντα τῷ Ἀλεξάνδρῳ παραβάλλοντες αὐτὸν* (sc. *τὸν Πομπήιον*) *καὶ προσβιβάζοντες ἀξιοῦσι* significari ipsum Theophanem. Atqui neque apud Appianum neque apud Plutarchum praeter paucos illos locos ab Arnoldo l. l. allatos hoc studium, quo Theophanes erat insignis, usquam manifesto conspicitur. Hauserunt igitur non ex ipso Theophane, sed e Strabone, qui sane usus est Theophane, sed qui huius auctoris vitia bene perspexerat et nonnumquam etiam notabat, ut ex illis Plutarchi verbis elucet.

Valde memorabilis est etiam Appiani locus in c. 104, ubi narrat Tigranem regem, cum ad Pompeium proficisceretur, ut in eius potestatem se permitteret, honorifice ab eo esse exceptum, qui tribunos et praefectos equitum honoris causa regi obviam misisset. Deinde pergit: *εἰσὶ δ' οἳ λέγουσιν ὑπὸ ῥαβδούχοις αὐτὸν ἀχθῆναι μετάπεμπτον ὑπὸ τοῦ Πομπηίου γενόμενον.* Quid? Theophanes, qui semper erat inter Pompei comites et quem ille in consilia omnia adhibebat, ignorabat, quomodo Tigranes a Pompeio esset exceptus? Qua re quid

1) Formae *Σινόρηγα*, quam habet Appianus, et *Σίνωρα*, quae legitur apud Plutarchum, corruptae sunt ex vera scriptura *Σινορίαν*.

Digitized by Google

potest dici absurdius? Theophanes absque dubio unam tantummodo tradidit narrationem, Strabo autem, qui diligentissimus erat in diversis memoriis congerendis, alteram ex alio fonte addidit.

Denique ordinem a Pompeio in Asia constitutum, quem Appianus ultimis capitibus exponit, a Theophane omnino non esse enarratum iam supra p. 222 probavi.

Quod vero etiam in bello, quod Lucullus cum Mithridate gessit, Theophanem Appiani fontem esse Arnoldus contendit, haec vana est ariolatio, ut iam Fabricius [1]) recte demonstravit. Nam Theophanes semper inter Pompei rerum scriptores recensetur et Luculli res gestas, si omnino eas commemoravit, in praefatione breviter tantum perstrinxisse putandus est.

In primo autem bello Mithridatico enarrando duos Arnoldus statuit Appianum adiisse fontes: Posidonium, ex quo longe plurima fluxerint; praeterea agnoscere sibi videtur auctorem Romanum, qui usus sit Sullae commentariis, annalium scriptore (fortasse Claudio Quadrigario), aliis: hunc esse Livium, qui etiam Posidonii narrationem partim subministraverit. Livii autem memoriam Appiano traditam esse per Strabonem [2]).

Ac statim hoc moneo non esse, quod Appianum praeter Strabonem etiam ipso Posidonio usum esse statuamus, quoniam Strabo in hypomnematis haud dubie Posidonium maxime secutus est. In summa igitur fere convenit res inter me et Arnoldum; in singulis rebus magnopere ab eo dissentio. Etenim quod Livii memoriam per Strabonem in Appianum putat manasse, hoc prorsus nego; nam supra p. 262 sq. probavi Livium a Strabone omnino non esse adhibitum. Immo ipse Strabo ex diversis fontibus summa diligentia omnem materiam congessit. Quos fontes ultimos in singulis rebus investigare perdifficile est ac ne Arnoldo quidem hoc puto contigisse, qui singula Appiani capita inter diversos fontes distribuit.

---

1) 'Theophanes v. Mytil. u. Q. Dellius' p. 5 sqq.
2) Vide Arnoldum p. 145 sqq.

Digitized by Google

Consentaneum est Strabonem praeter ceteros Posidonium adiisse fontem, in quo laudando multus est in geographicis. Atque sagaciter Arnoldus (p. 114sqq.) mihi videtur perspexisse, quae Appianus de Rhodiorum a Mithridate obsessorum rebus narrat, redire ad Posidonium. Etiam Appiani c. 18 locum cum probabilitate quadam ad Posidonium rettulit idem (p. 120) propterea, quod mire consentit cum Diodori libr. XXXVII fr. 26. Quae vero praeterea Posidonio tribuit ille v. d., desidero causas idoneas, cur huic potissimum adiudicentur auctori; nam quae affert argumenta, non satis firma sunt ad probandum. Neque magis hoc mihi persuasit Arnoldus, quod in Piraei obsidione enarranda annalium scriptorem (Claudium Quadrigarium) putat esse adhibitum (p. 139. 146).

Mirum esset, nisi Strabo Sullae commentarios adiisset. Et manifesto tenetur hic auctor in Appiani c. 45 initio, quod egregie concinit cum Sullae fr. 15 Peter[1]). Ad eundem fontem Arnoldus (p. 140 sq.) certis nisus indiciis Appiani c. 42—45 init. et 49—50 iusto iure rettulit. Quae in capitibus sequentibus de Fimbria narrat Appianus, num ex Sulla hauserit Strabo, ut videtur Arnoldo, diiudicari nequit. — Haec sunt quae de Strabonis hac in parte fontibus pro certo possunt affirmari.

Vidimus ergo totum Appiani librum ex uno fonte fluxisse, e Strabonis hypomnematis historicis, quae ille pro suo more neglegenter excerpsit. Contra hanc sententiam Arnoldus initio commentationis nonnulla protulit argumenta satis imbecilla, quae paucis verbis possunt refelli. — Ac primum quidem Appiani narrationem ex uno fonte haustam esse negat (p. 82) propterea, quod discrepantia sit inter Appiani capita 24 et 112. Nam in c. 112 tradit L. Cassium a Mithridate captum postea Sullae iussu ab eo esse redditum, in c. 24 autem hunc Cassium dicit Rhodum confugisse, quam urbem Mithridates non poterat expugnare. Concedamus interim haec inter se pugnare! Num inde sequitur Appianum diversis in partibus diversos adhibuisse fontes? Nonne constat Strabonem in diversis memoriis

1) Ex Plut. Sull. c. 19: cf. Arnold p. 121.

Digitized by Google

colligendis fuisse diligentissimum? At omnino non est, quod illa capita inter se pugnare statuamus. Nam quid impedit, quominus L. Cassium postea aliquo modo in hostium manus incidisse credamus?

Non probabiliores sunt causae, quibus commotus Arnoldus p. 89 sq. Appianum in tertio bello Mithridatico enarrando negat usum esse Strabone. Etiam hic discrepantiam sibi videtur deprehendisse inter Appiani c. 85 sq. et Strabonis fr. 88. Age inspiciamus, si placet, hos locos. Appianus l. l. pugnam ad Tigranocerta commissam sic describit: Tigranes cum ingenti exercitu Romanos numero multo inferiores aggreditur; Lucullus equites hostibus opponit et eos fugam simulare iubet; ipse cum peditibus tumulo, qui a tergo erat hostium, occupato inde impetum facit in Armenios, qui equites Romanos persecuntur; *τροπή τε ἦν εὐθὺς ὁλοσχερής*: barbari quamquam multitudine longe superant, ne resistere quidem audent, sed summa ignavia praecipites fugae se mandant et a Romanis persequentibus trucidantur. Quibus narratis nonne aptissime poterat addere Strabo Romanos post pugnam *αἰσχύνεσθαι καὶ καταγελᾶν ἑαυτῶν ἐπ' ἀνδράποδα τοιαῦτα δεηθέντας ὅπλων*? Equidem non video, quomodo haec inter se pugnent.

Denique Arnoldus duos affert locos, ubi tam falsa memoriae tradiderit Appianus, ut e Strabonis, scriptoris diligentissimi, ea hausta esse opere non sit credibile. Nimirum in c. 117 dicit Appianus captivos in triumpho ductos a Pompeio in patrias esse remissos exceptis regiis. Ad quae Arnoldus adnotat haec: 'Dies ist nicht richtig. Vielmehr blieben viele Juden, die von Pompeius freigelassen wurden, in Rom und bildeten den Grundstock der dortigen Gemeinde.' Mirum profecto est, quam sagax sit Arnoldus ad discrepantias odorandas, ubi re vera nullae sunt. Quasi hac re ea, quae narrat Appianus, irrita fiant! Captivorum Pompeius ingentem numerum Romam duxerat [1]), quorum Iudaei erant pars minima; et hi quidem haud dubie ultro Romae manserunt, non coacti. —

1) Cf. App. c. 116 extr.

Digitized by Google

Alter locus est in eodem capite, ubi dicit Appianus Aristobulum statim post triumphum interfectum esse, id quod sane falsum est. Scimus enim Aristobulum clam Roma fugisse et aliquanto post a Pompeianis veneno esse interemptum. Sed hic Appianum excerpendo rem confudisse veri est simile. Nam cur hunc errorem manifestum fonti eius potius impingamus, quam ipsi Appiano, quem constat neglegentia multum peccasse [1])?

Postquam demonstratum est Strabonis hypomnemata historica Appiani narrationi subesse, iure sperare possumus hoc fundamento nisis nunc melius rem esse successuram nobis quaerentibus, quaenam **Plutarchus** in bellis Mithridaticis enarrandis debeat Straboni.

Ac primum quidem agitur de vita Sullae Plutarchea. Qua in vita Plutarchum longe plurima petiisse ex ipsius Sullae commentariis, quos saepissime laudat, inter omnes viros doctos constat [2]). Qui fons cum etiam a Strabone passim adhibitus sit, cavendum est, ne, ubi Plutarchus cum Appiano consentit, e Strabone eum hausisse praepropere statuamus. Praeterea multa Plutarchus hac in vita narrat sermone hominum memoriae tradita, quae auditione accepit, cum in ea regione natus esset, ubi tum maxime pugnatum est [3]).

Strabo semel laudatur in c. 26 (v. fr. 65) de Sulla podagrae doloribus cruciato, qui Aedepsi thermis utitur. Sed etiam ea, quae proxime antecedunt, deprompta esse e Strabone, optime demonstravit Arnoldus p. 124 sqq. Nam quod ibi narrat Sullam, cum Athenas rediisset, sibi sumpsisse Apellicontis Teii

---

1) Vide etiam supra p. 299 adn. 1.

2) Cf. Peter 'Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Roemer' p. 57 sqq.; Arnold l. l. p. 123 saepius.

3) Cf. c. 14 *ὡς Ἀθηναίων οἱ πρεσβύτατοι διεμνημόνευον*; ib. *ὥστε ἀριθμὸν μηδένα γενέσθαι τῶν ἀποσφαγέντων, ἀλλὰ τῷ τόπῳ τοῦ ῥυέντος αἵματος ἔτι νῦν μετρεῖσθαι τὸ πλῆθος*; c. 17 *περὶ ὧν οἱ μὲν ἐπιχώριοι πλείονα λέγουσιν*; ib. *ὁ μέντοι τόπος, ἐν ᾧ κατεσκήνωσεν* (sc. *ὁ Ἀρχέλαος*), *ἄχρι νῦν Ἀρχέλαος ἀπ' ἐκείνου καλεῖται*; ib. *ὄρος ὃ καλοῦμεν Ὀρθόπαγον κτλ.*; c. 19 de Sullae tropaeis etc.

Digitized by Google

bibliothecam, in qua Aristotelis et Theophrasti libri fuissent, quos Romam translatos primus Tyrannio tractasset, haec accuratissime conveniunt cum Strabonis fr. 64. Totum igitur caput 26 excepta parte extrema, quae unde hausta sit nescimus, ad Strabonem redit. — Eidem auctori videntur esse tribuenda ultima c. 14 verba, ubi dicit Plutarchus Piraeum a Sulla igne esse deletum cum ipsa hoplotheca, clarissimo Philonis opere. Quae a Sulla, qui operum et artificiorum conservatorem se iactabat, tradita esse non posse commode monuit Arnoldus p. 136; bene autem haec congruunt cum Appiani c. 41 [1]), qui Strabone usus est. — Denique ad Strabonem referendum esse Plutarchi c. 12 medium et c. 19 extr. idem Arnoldus rectissime cognovit p. 130 sq. Etenim quae illis locis narrat Plutarchus de Epidauri, Olympiae, Delphorum sacris thesauris a Sulla direptis, fere ad verbum consentiunt et cum Appiani c. 54 et cum Diodori l. XXXVIII fr. 7. Diodorus autem Posidonio fonte usus est, unde per Strabonem haec et in Appianum et in Plutarchum venerunt. His addendum est etiam proxime antecedentia Plutarchi verba [2]) ex eodem fonte esse petita, quippe quae propter eandem causam, quam supra attuli, e Sulla hausta esse non possint et quae concinant cum Appiani c. 30 extr. — Haec in Sullae vita Straboni sunt attribuenda.

Transeamus nunc ad vitam Luculli, ubi in c. 6—37 agitur de bello Mithridatico. Quibus in capitibus Sallustii historiis, quae laudantur c. 11 et c. 33, Plutarchum maxime usum esse optimo iure contendit Peterus l. l. p. 106 sqq., quae sententia omnibus viris doctis placuit. Cognoscitur hoc et e ratione, qua Sallustius laudatur, et inde, quod cum Sallustii fragmentis Plutarchi verba saepe conveniunt et quod Plutarchi de Luculli rebus gestis iudicium plane e Sallustii est sententia. Sed unum argumentum gravissimum, quo Peteri coniectura praeclare confirmatur, nemo adhuc vidit. — In c. 33 Plutarchus

---

1) Cf. Arnold p. 132.

2) *Ἐπιλειπούσης δὲ τῆς ὕλης — — ἐπεχείρησε* (sc. *ὁ Σύλλας*) *τοῖς ἱεροῖς ἄλσεσι καὶ τήν τε Ἀκαδήμειαν ἔκειρε δενδροφορωτάτην προαστείων οὖσαν καὶ τὸ Λύκειον.*

Digitized by Google

Luculli mores accuratissime describit haud dubie Sallustium secutus, qui hac in arte maxime excellit et cuius fr. V 6 (IV 8) optime consentit cum Plutarchi descriptione. Luculli autem mores non minimam dicit fuisse causam, cur milites in Gordyena recusassent, quominus longius contra hostes procederent. Deinde pergit: *Σαλούστιος μὲν οὖν φησι χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ.* Itaque quod tam diserte Sallustium huius rei auctorem profert, hoc Sallustii proprium fuisse videtur. Et sane, si Appiani narrationem perlustramus, nusquam legimus milites infenso fuisse in Lucullum animo aut imperata detrectasse neque apud Cyzicum neque apud Amisum neque in Gordyena: hoc unum narrat in c. 90, postquam iam in Pontum rediisset Lucullus, cum per praecones nuntiatum esset senatum Luculli exercitum missum facere, milites statim imperatorem suum deseruisse. Plutarchus autem quomodo rem enarravit? Nimirum plane ut Sallustius a belli statim initio milites facit frementes et per totam huius belli narrationem etiam atque etiam militum male parentium inicit mentionem. Omnibus igitur his locis e Sallustio eum hausisse consentaneum est; sunt autem hi. In c. 8, cum Lucullus Cottae Chalcedone obsesso auxilium esset laturus, milites dicit esse indignatos, quod non statim in Pontum se duceret [1]). Qua in re notandum est, quod et militum et Luculli ipsa verba afferuntur [2]), ut Sallustii mos est, qui orationibus insertis narrationem solet ornare atque distinguere. Etiam dictum illud Luculli, quod in eodem capite profert Plutarchus, *'οὐκ ἔφη δειλότερος εἶναι τῶν κυνηγῶν, ὥστε τὰ θηρία παρελθὼν ἐπὶ κενοὺς αὐτῶν τοὺς φωλεοὺς βαδίζειν'* haud dubie petitum est e Sallustio, qui dicteriis aliisque ornationis ornamentis valde gaudebat. Deinde in c. 14 apud Amisum milites eadem Lucullo facit exprobrantes, quae in c. 33 e Sallustio

1) Etiam Livius hic ex Sallustio hausisse videtur: cf. per. 94 *Poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit (Lucullus).*

2) *Τῶν στρατιωτῶν οὗτος ἦν ὁ λόγος ἀγαναχτούντων κτλ. — — Λούκουλλος δὲ πρὸς μὲν τούτους δημηγορῶν εἶπεν κτλ.*

Digitized by Google

affert; et hic quoque ipsas militum voces contumeliosas exhibet et Luculli longam orationem, quae artis Sallustianae est specimen. Etiam in Amisi urbis expugnatione (c. 19), in qua enarranda Sallustium adhibuit [1]), militum contumaciam commemorat, qui contra Luculli iussum urbem diripiunt et igne delent. Et ne hic quidem Sallustius praetermisit occasionem dicti cuiusdam Luculli inserendi. Porro in c. 24, cum Lucullus ad Euphratem versus proficisceretur, Plutarchus dicit *τοὺς στρατιώτας, οὐδ' ἄλλως ὄντας εὐτάκτους, ἄκοντας ἕπεσθαι καὶ ζυγομαχοῦντας*. Ceterum etiam in hoc capite extremo Luculli habes dictum! Sallustii autem narrandi ars hinc maxime cognoscitur, quod militum indignationem ac contumaciam paulatim facit ingravescentem. In c. 30 tradit Plutarchus milites in Ponto relictos Sornatii imperia detrectasse, quibus compertis etiam Luculli milites seditiosis increpuisse imperatorem vocibus, quas oratione obliqua exponit. In c. 32 militum tumultum semper crescentem [2]) et Luculli preces irritas accuratissime describit. De c. 33 iam supra diximus. Etiam c. 34 totum ad Sallustium auctorem est revocandum, in quo fuse exponitur, quomodo P. Clodius, cuius mores breviter adumbrantur, Luculli milites orationibus seditiosis ad defectionem sollicitaverit. Denique in c. 35 Lucullum a militibus, a quibus aegre impetrasset, ut in castris manerent, ad postremum male ludibrio habitum solum relictum esse narratur. Haec omnia colorem Sallustianum manifesto prae se ferunt.

Neque tamen unicus Plutarchi fons est Sallustius, ut recte monuit Arnoldus p. 88 sqq., qui nonnullis locis etiam Graecum ab eo adhibitum esse fontem demonstravit. Ipse Plutarchus praeter Sallustium laudat Livium bis (c. 28 et c. 31) et semel Strabonem (c. 28) [3]). Plutarchus igitur hic quoque pro sua

1) Cf. Sall. IV fr. 43 (69).

2) *Πρῶτον δεόμενοι καὶ τοὺς χιλιάρχους προσπέμποντες, ἔπειτα θορυβωδέστερον συνιστάμενοι καὶ κατὰ σκηνὰς νυκτὸς ἀλαλάζοντες, ὅπερ εἶναι δοκεῖ σύμβολον ἀποστατικῶς ἐχούσης στρατιᾶς.*

3) Antiochum philosophum, quem eodem loco citat, praeterea non videtur adhibuisse.

Digitized by Google

consuetudine ex variis fontibus, quae memoratu digna ei videbantur, collegit et loco idoneo inseruit narrationi e Sallustio petitae.

Ac Livium quidem praeter duos illos locos passim a Plutarcho adhibitum esse certo potest demonstrari. Ad eum referenda sunt duo prodigia in c. 10 enarrata. Totum hoc caput nihil continet nisi portenta et hanc ipsam ob causam alienum est a Sallustio, qui ut erat omnis superstitionis expers, talia contemnebat [1]). Atque in primo prodigio describendo mire consentit cum Obsequentis c. 60, discrepat multis in rebus ab Appiano, qui in c. 75 idem prodigium aliter narrat; in altero portento ita congruit cum Obsequente l. l., ut paronomasiam Latinam (*tubicinem — tibicinem*) vertendo corruperit (*σαλπιγκτὴν — αὐλητήν*). Nihil igitur certius quam Plutarchum haec deprompsisse e Livio. Quod tertio loco profert prodigium [2]), Graeco videtur debere scriptori, ex quo etiam simile prodigium in c. 12 init. narratum ab eo petitum esse veri simile est; nam hoc quoque in Troade factum esse fertur, et Graeco hexametro Venus Lucullum alloquitur. — Deinde in c. 11 extr. haud dubie ad Livium referenda sunt verba *λέγονται δ' ἐκ τοῦ παντὸς ἀκολούθων τε καὶ μαχίμων ὄχλου μυριάδες οὐ πολὺ δὴ τῶν τριάκοντα λείπουσαι διαφθαρῆναι*, quibuscum conferas Orosii VI 2, 19. Livius enim hostium caesorum numerum solet incredibile quantum augere, Romanorum quam maxime imminuere. Vocabulo autem *λέγονται* vel *λέγεται* Plutarchum omnino uti solere, cum ex alio fonte, praesertim e Livio, aliquid inserit, iam saepius vidimus. Easdem ob causas Livio tribuo, quod in c. 17 Plutarchus narrat: *οὗτοι πάντες* (sc. *οἱ Ποντικοί*), *ὡς λέγεται, πλὴν δυοῖν κατεκόπησαν ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων*. Atque etiam manifestius Livius agnoscitur in c. 28, ubi Plutarchus tradit haec de militibus in pugna ad Tigranocerta commissa occisis: *λέγεται δὲ τῶν μὲν πεζῶν ὑπὲρ δέκα μυριάδας διαφθαρῆναι, τῶν δ' ἱππέων*

1) Cf. Sall. Catil. 30.

2) *Ἱστορεῖται δὲ τῶν ἐν Ἰλίῳ πολλοῖς καθ' ὕπνον ὀφθῆναι τὴν Ἀθηνᾶν κτλ.*

Digitized by Google

ὀλίγους παντάπασι διαφυγεῖν. Ῥωμαίων δ' ἑκατὸν ἐτρώθησαν, ἔπεσον δὲ πέντε. Haec nolo nunc longius persequi, quamquam multis praeterea locis Livium vel certe Romanum auctorem subesse potest probari.

Veniamus tandem aliquando ad Strabonem Plutarchi fontem, qui semel ab eo nominatim citatur in c. 28 de pugna ad Tigranocerta commissa. In ipsa vero hac pugna describenda Strabonem non secutus est; multa enim fontis Romani apparent vestigia. Neque hoc magni videtur esse momenti, quod in c. 27 Tigranis dictum [1]) narrat, quod idem legitur apud Appianum (c. 85), qui e Strabone sine dubio desumpsit. Nam dictum illud erat notissimum, quippe quod commemoraretur etiam a Cassio Dione XXXVI fr. 3[a] et a Memnone c. 57; et ipse Plutarchus dicit: *Τιγράνης — — εἶπε τὸ θρυλούμενον.* — Plutarchus igitur Strabone, sicut Livio, fonte subsidiario, ut ita dicam, usus est, ex quo res memorabiles hic illic in narrationem Sallustianam insereret. Itaque quaeritur, quae praeterea Plutarchus debeat Straboni.

Quae in c. 9 extr. narrantur de Demonacte nuntio et de militibus navigio e Dascylitide lacu apportato in Cyzicum urbem noctu a Lucullo immissis, non e Sallustio, sed ex Graeco auctore hausta esse rectissime exposuit Arnoldus p. 89. Strabonem autem hunc esse fontem inde apparet, quod hic quoque (fr. 80), ut Plutarchus, tradit ad postremum Lucullo contigisse, ut noctu insciis hostibus paucos milites auxiliarios in urbem mitteret, id quod apud nullum praeterea scriptorem legitur. — Porro in c. 11 med. quae narrat de Ponticorum ad Rhyndacum flumen captorum numero, e Strabone videtur hausisse, quia in his accuratissime consentit cum Appiani c. 75. Mirus etiam est consensus inter Appiani c. 78 et Plutarchi c. 14 init., ubi eisdem verbis narrant Luculli milites in regnum Ponticum incurrentes adeo praeda abundasse, *ὥστε τὸν μὲν βοῦν ἐν στρατοπέδῳ δραχμῆς, τὸ δ' ἀνδράποδον τεττάρων ὤνιον εἶναι,*

---

1) *Εἰ μὲν ὡς πρεσβευταί, πολλοὶ πάρεισιν* (sc. οἱ Ῥωμαῖοι), *εἰ δ' ὡς στρατιῶται, ὀλίγοι.*

Digitized by Google

τὴν δ' ἄλλην λείαν ἐν οὐδενὶ λόγῳ τοὺς μὲν ἀπολείπειν, τοὺς δ' ἀναλίσκειν· διάθεσις γὰρ ἦν οὐδενὸς πρὸς οὐδένα πάντων εὐπορούντων, ut ait Plutarchus. Quae e Strabone addita esse a Plutarcho, cum per se satis veri simile sit, etiam eo confirmatur, quod haec vehementer pugnant cum eis, quae continuo secuntur. Nam statim in proximo enuntiato Sallustium, ut supra demonstratum est, secutus dicit Plutarchus milites graviter accusasse Lucullum, quod praeter omnia oppida se transduceret *οὐδὲ παρέσχηκεν αὐτοῖς ὠφεληθῆναι διαρπάσασιν*, eosdem videlicet milites, qui modo adeo affluebant opibus, ut praedam viliorem fastidirent! Inde autem, quod initio huius capitis Sallustium reliquit Plutarchus, etiam factum est, ut a rerum contextu abductus, cum ad eundem fontem rediret, nonnulla omitteret. Nam milites facit imperatorem vituperantes, quod Amisi urbis oppugnatione desistere statuerit, quamquam antea non narravit Lucullum ad eam urbem accessisse eamque obsidione cinxisse. Porro capitis 15 pars media inde a verbis *ἐβάδιζεν ἐπὶ Μιθριδάτην* ad Strabonem est referenda propterea quod in ipsis verbis Graecis congruit cum Appiano[1]). Capitis autem initium sumptum est e Sallustio, ad quem deinde revertitur verbis *ἔλαφον δὲ λέγεται κτλ.*[2]). — Sequens caput 16, in quo agitur de Olthaco Scytha, qui Luculli interficiendi consilium inierat, velut embolium narrationi insertum est. Nam incipit plane ex abrupto a verbis *ἦν δέ τις ἐν τῷ Μιθριδάτου στρατοπέδῳ Δανδαρίων δυνάστης Ὀλθακός*; c. 17 autem excipit narrationem, quae c. 15 extr. abrumpitur. Quae vero de Olthaco exponit Plutarchus, cum similiter legantur apud Appianum in c. 79, dubium esse nequit, quin Strabonem in his enarrandis secutus sit[3]). — Minus certa res est in c. 17 sq.,

1) De Mithridatis copiarum multitudine cf. App. 78 extr.; de proelio equestri et de Pompei dicto cf. c. 79; de Artemidoro in specu capto itineris duce cf. c. 80.

2) Cf. Arnold p. 88 et 92.

3) Huius fontis indicium latet etiam in Plutarchi verbis hisce: *γένος δ' εἰσὶν οἱ Δανδάριοι βαρβάρων τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν οἰκούντων*, quibuscum conferas Strab. XI 2, 11 p. 495 *τῶν Μαιωτῶν δ' εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σινδοὶ καὶ Δανδάριοι.*

Digitized by Google

quod Appianus, qui in c. 81 sq. eadem tractat, hic Strabonis narrationem valde amputavit. Attamen capitis 17 posteriorem certe partem inde a verbis *ὅπου καὶ Δορύλαος στρατηγὸς* — — *ἀπώλετο κτλ.* et cap. 18 totum ad Strabonem redire perquam mihi videtur veri simile esse. Nam quod Plutarchus in c. 17 tradit Mithridatem paene captum esse a Romanis, nisi hi in persequendo incidissent in mulum auro onustum, in his consentit cum Appiani c. 82. Praeterea hoc Strabonianae originis est indicium, quod hic multo fusius res Ponticas enarrat quam res Romanas. Commemorat enim occisos esse e Mithridatis castris Dorylaum ducem, Hermaeum sacerdotem, Callistratum *τὸν ἐπὶ τῶν ἀπορρήτων τοῦ βασιλέως ὄντα*; Mithridatem vero in fuga adiutum esse a Ptolemaeo eunucho. Idem dicendum est de c. 18, in quo, sicut Appianus in c. 82, narrat, quomodo Mithridatis sorores et uxores per Bacchidem eunuchum perierint, sed quod ille breviter significat verbis *ξίφεσι καὶ φαρμάκοις καὶ βρόχοις*, accuratissime exponit. Quae num apud Sallustium invenerit, valde dubito. — In c. 19 deinde ad Sallustium fontem revertitur, quem secutus est in Amisi expugnatione describenda. Sed hic quoque e Strabone aliquid inseruit, scilicet ea, quae de urbe ab Atheniensibus condita et a Lucullo instaurata dicit, quae eisdem fere verbis narrat Appianus c. 83 (cf. Strab. fr. 83). Fortasse etiam quae Plutarchus de Tyrannione grammatico Amisi capto in extremo hoc capite addit, manaverunt e Strabone, quem scimus Tyrannione usum esse magistro[1]): certe Stoicam doctrinam Plutarchi verba aperte produnt. — Proximus locus[2]), ubi manifesto tenetur Strabo,

1) Cf. Strab. XII 3, 16 p. 548.

2) Quae in c. 22 Plutarchus tradit de Metrodori Scepsii morte, quamquam nonnullis in rebus conveniunt cum Strabonis fr. 87, tamen in summa ita ab eo discrepant, ut ex alio auctore a Plutarcho hausta esse statuenda sint, fortasse e Sallustio. Certe non e Sallustio fluxerunt, quae in capite extremo narrat de Amphicratis rhetoris morte, id quod vel inde apparet, quod haec ad antecedentia adiungit verbis *εἰ δεῖ καὶ τούτου μνήμην τινὰ γενέσθαι διὰ τὰς Ἀθήνας*. Graecum subesse fontem elucet e verbis *ὡς οὐδὲ λεκάνη δελφῖνα χωροίη*, quae Amphicrates Seleucensibus respondisse fertur. Quis autem fuerit auctor, cognosci nequit.

Digitized by Google

est in c. 23. Nam quae ibi memoriae prodit de Sinopa urbe capta, de Luculli somnio, de Autolyci statua a Sthenide facta, de urbe ab Autolyco condita, mirum quantum consentiunt et cum Appiani c. 83 et cum Strabonis fr. 84. Huic auctori Plutarchus debet etiam fabulas, quas narrat de Autolyci adventu et de Syris, quibus Sinopam ille fertur eripuisse. Quod vero his expositis pergit Plutarchus: *ταῦτ' ἀκούων ὁ Λούκουλλος ἀνεμιμνήσκετο τῆς Σύλλα παραινέσεως κτλ.*, hoc de suo addidit e vita Sullae c. 6.

Inde a c. 24 rarius videtur usus esse Strabone. Tribus tantum locis hic fons manifesto deprehenditur[1]). In c. 31 narrationi e Sallustio haustae verbis *λέγεται δ' Ἀννίβαν κτλ.* inseruit fabulam e Strabone petitam (cf. fr. 91), qua Artaxata urbs ab Hannibale condita esse dicitur. — Deinde in c. 32 haud dubie e Strabone addidit Mygdoniae, regionis fertilissimae, caput a barbaris Nisibin, a Graecis Antiochiam Mygdonicam nominari: cf. Strabonis fr. 92. — Denique in c. 35 init. ad Strabonem revocanda sunt verba haec: *Τριάριος δ' ὡς ἕτοιμον ἁρπάσαι τὸ νίκημα, πρὶν ἐπελθεῖν Λούκουλλον ἐγγὺς ὄντα, φιλοτιμούμενος ἥττᾶται μάχῃ μεγάλῃ. Λέγονται γὰρ ὑπὲρ ἑπτακισχιλίους Ῥωμαίων ἀποθανεῖν, ἐν οἷς ἑκατόνταρχοι μὲν ἑκατὸν πεντήκοντα, χιλίαρχοι δ' εἴκοσι καὶ τέσσαρες· τὸ δὲ στρατόπεδον εἷλε Μιθριδάτης*, quae accuratissime consentiunt cum Appiani c. 89. Quam rem plane aliter narratam esse a Livio, qui in Luculli rebus gestis describendis secutus est Sallustium[2]), apparet e Cassio Dione XXXVI 14. Nam cum Appianus et Plutarchus Triarium Lucullo victoriae gloriam praeripere cupientem temere pugnam cum Mithridate conseruisse tradant, hic narrat Triarium, quamquam omni modo a Mithridate ad proelium esset provocatus, tamen in castris se

---

1) Quae Plutarchus in c. 26 init. et in c. 29 med. tradit de Tigranocertis urbe, sane eodem modo narrantur a Strabone et ab Appiano (de incolis a Tigrane undique coactis, a Lucullo in patrias remissis cf. Strab. fr. 89, de urbis divitiis cf. App. c. 86 extr.). Verum haud scio an Sallustius ipse quoque similiter de his exposuerit.

2) Cf. Arnold p. 89 et quae supra dixi p. 316 adn. 1.

Digitized by Google

continuisse, ut Lucullum advenientem exspectaret, donec invitus ad pugnam coactus esset.

Explorata Luculli vita nunc accedamus ad vitam Pompei.

Atque in bello quidem piratico (c. 24—29) quin Romanum maxime Plutarchus adhibuerit scriptorem, non potest dubitari; ex multis autem indiciis Peterus l. l. p. 114 optimo iure collegit e Sallustii historiis fluxisse Plutarchi narrationem. Haec etiam est causa, quod cum eis, quae Appianus de bello piratico exponit, paucis tantum in rebus convenit neque eis tam gravibus, ut e Strabone eas depromptas esse necessario statuendum sit [1]).

Deinde in capp. 30—42 describit bellum, quod Pompeius cum Mithridate gessit. Qua in parte nonnulla sane redeunt ad Theophanem, verum Theophanem ipsum Plutarchus non inspexit, sed eius memoriam una cum aliorum scriptorum memoriis petivit e Strabonis hypomnematis historicis, ut supra p. 309 sq. demonstravi, ubi quae Plutarchus in c. 35 extr. de Amazonibus, Albanorum sociis, narrat, hausta esse docuimus e Strabone, qui diversas Theophanis, Metrodori, Hypsicratis attulerat memorias, quas in unum contraxit Plutarchus. Itaque etiam capitis 46 initium, ubi verbis *οἱ κατὰ πάντα τῷ Ἀλεξάνδρῳ παραβάλλοντες αὐτὸν* Theophanem significari supra vidimus p. 310, ad Strabonem est revocandum. Idem Theophanes semel etiam nominatim laudatur in Plutarchi c. 37, ubi narrat in Novo castello (*ἐν τῷ Καινῷ φρουρίῳ*) a Romanis expugnato secretas Mithridatis repertas esse litteras; *Θεοφάνης δὲ καὶ Ῥουτιλίου λόγον εὑρεθῆναί φησι παροξυντικὸν ἐπὶ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ἐν Ἀσίᾳ Ῥωμαίων.* Quodsi ex eis, quos tractavimus, locis apparet ipsum Theophanem a Plutarcho non esse adhibitum, hoc quoque loco eum Theophanis memoriam eidem debere fonti, unde reliquis locis eam petivit, consentaneum est, nimirum Straboni, quem in hypomnematis de Novi castelli,

1) Cf. imprimis Plut. c. 28 extr. = App. c. 96 et 115 = Strab. fr. 97 de piratarum reliquiis Solis aliisque Ciliciae in oppidis et Dymae a Pompeio collocatis.

Digitized by Google

quod apud nullum praeterea scriptorem commemoratur, egisse expugnatione elucet e fr. 115. Quae sententia etiam alia re egregie confirmatur. Etenim Plutarchus non satis habet Theophanis memoriam simpliciter referre, sed vehementer eam impugnat verbis hisce: *ὃ καλῶς εἰκάζουσιν οἱ πλεῖστοι κακοήθευμα τοῦ Θεοφάνους εἶναι τάχα μὲν οὐδὲν αὐτῷ τὸν Ῥουτίλιον ἐοικότα μισοῦντος, εἰκὸς δὲ καὶ διὰ Πομπήιον, οὗ τὸν πατέρα παμπόνηρον ἀπέδειξεν ὁ Ῥουτίλιος ἐν ταῖς ἱστορίαις.* Quid? Nonne hic locus simillimus est illi de Amazonibus[1]), ubi Theophanis sententiae Strabo opponit Metrodori Hypsicratisque? Illi vero, qui a Plutarcho dicuntur *οἱ πλεῖστοι*, quinam sunt? Peterus l. l. p. 115 Timagenem huius sententiae esse auctorem probabiliter coniecit comparato loco in c. 49 extr., ubi Timagenis laudantur verba, e quibus apparet eum Theophanis malitiam bene perspexisse et libere notasse[2]). Atqui nusquam praeter hunc locum Timagenes a Plutarcho citatur nec fuit hercle auctor idoneus, quo Plutarchus in vitis conscribendis uteretur[3]). A Strabone autem Timagenem saepissime adhibitum esse certis testimoniis constat[4]). Itaque veri simillimum est Plutarchum hoc loco ut Theophanis, ita etiam Timagenis memoriam e Strabone petivisse. Qua ratione etiam una res optime explicatur, quae aliter iudicanti haud mediocrem affert difficultatem. Nam si Plutarchus ipsum Timagenem inspexit, quomodo de hoc uno scriptore potuit dicere *εἰκάζουσιν οἱ πλεῖστοι*? Nimirum Timagenes et Strabo, qui Timagenis amplexus erat sententiam, Plutarcho sunt *οἱ πλεῖστοι*. Quae si recte disputavimus, etiam c. 49 extremum fluxit e Strabonis hypomnematis.

---

1) Plut. c. 35 extr. = Strab. fr. 111.

2) *Τιμαγένης δὲ καὶ ἄλλως τὸν Πτολεμαῖον οὐκ οὔσης ἀνάγκης ἀπελθεῖν φησι καὶ καταλιπεῖν Αἴγυπτον ὑπὸ Θεοφάνους πεισθέντα πράττοντος Πομπηίῳ χρηματισμοὺς καὶ στρατηγίας καινῆς ὑπόθεσιν. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὐχ οὕτως ἡ Θεοφάνους μοχθηρία πεποίηκε πιθανὸν ὡς ἄπιστον ἡ Πομπηίου φύσις κτλ.*

3) Cf. Peter l. l. p. 116.

4) Vide supra p. 224. 238.

Digitized by Google

Neque tamen Strabo in his capitibus praecipuus fuit Plutarchi fons, nedum unicus. Nam si Plutarchum comparamus cum Strabonis fragmentis et cum Appiani narratione, satis raro eum videmus consentientem cum illis. Immo ex Livio potius longe plurima videtur hausisse propterea, quod saepe, ubi discrepat ab Appiano, consentit cum Cassio Dione, Orosio, aliis scriptoribus, qui Livii historias exscripserunt. Saepe etiam in ambiguo res est. Itaque iam singula capita perlustremus, ut quoad fieri poterit, investigemus, quae redeant ad Strabonem.

Capita 30 et 31 maximam certe partem e Livio videntur fluxisse [1]), ac ne capitis 31 initium quidem, ubi de Luculli in Asia constitutionibus a Pompeio ad irritum redactis consentit cum Strabonis fr. 100, ad hunc auctorem rettulerim, quoniam Livius quoque haud dubie similiter de his exposuit [2]).

In c. 32, quo pugnam ad Nicopolim commissam describit Plutarchus, multis in rebus congruit cum Appiano; narrat enim Mithridatem a Pompeio undique circumvallatum quadraginta quinque dies restitisse, donec inopia laborans fugisset (cf. App. c. 99); deinde Pompeium ad Euphratem aggressum esse Mithridatem in castris (cf. App. c. 99 sq.), non in itinere, ut tradit Cassius Dio XXXVI 48; Mithridatis autem castra esse capta et occisos esse *πολὺ πλείονας μυρίων* (cf. App. c. 100 *ἐς μυρίους*), cum Livius tradidisset periisse quadraginta milia (cf. Eutr. VI 12. Oros. VI 4, 5). In ipsa vero pugna enarranda Plutarchus mire consentit cum memoria Liviana; nam ut Cassius Dio l. l. c. 49 et Orosius VI 4, 4 noctu pugnam commissam esse dicit et Ponticos deceptos esse Romanorum umbris, cum luna eis a tergo fuisset [3]); contra Appianus c. 100 proelium consertum esse narrat *ἅμα ἡμέρᾳ*. Quae cum ita sint,

---

1) Cap. 30 extr. de Pompei dicto cf. Cass. Dion. XXXVI 45; c. 31 de conviciis a Lucullo et Pompeio sibi invicem ingestis cf. Cass. Dion. ib. 46. Vell. II 33.

2) Vide Cassium Dionem l. l c. 46.

3) In hac una re paulum discrepant, quod Plutarchus ad occasum vergentem, Cassius Dio et Orosius orientem faciunt lunam.

Digitized by Google

Plutarchum e Strabone et e Livio hic narrationem contexuisse manifestum est. Quae in eodem capite Plutarchus de Mithridatis fuga narrat, haud dubie sumpta sunt e Livio; etenim cum Appianus c. 101 Mithridatem cum hypaspistis et tribus milibus peditum nonnullisque equitibus Sinoriam fugisse memoriae prodat, Plutarcho teste Hypsicratia uxor et duo tantum comites regem secuti sunt, quod idem tradunt Eutropius VI 12, Rufus Festus 16, Valerius Maximus IV 6 ext. 2.

In capite sequenti (33) agitur de Tigranis deditione. Quo in capite duae res certissime ad Strabonis referendae sunt auctoritatem, primum quae initio capitis exponit Plutarchus de Araxis fluminis cursu, quibuscum conferas Strabonis fr. 108 et Appiani c. 103, de qua re iam supra verba fecimus p. 299 sq. Praeterea e Strabone petita sunt verba haec: *ἐπὶ τούτοις ὁ μὲν Τιγράνης ἠγάπησε καὶ τῶν Ῥωμαίων ἀσπασαμένων αὐτὸν βασιλέα περιχαρὴς γενόμενος ἐπηγγείλατο στρατιώτῃ μὲν ἡμίμναιον ἀργυρίου δώσειν, ἑκατοντάρχῃ δὲ μνᾶς δέκα, χιλιάρχῳ δὲ τάλαντον*, quae accuratissime conveniunt et cum Strabonis fr. 105 et cum Appiani c. 104. In reliquis autem rebus omnibus ab Appiano discrepans adeo consentit cum Cassio Dione XXXVI 51—53, ut dubitari non possit, quin in his Livio usus sit fonte.

Alia ratio est capitum 34—36, quibus describuntur Pompei in Albanos Iberesque expeditiones, ubi nihil non e Strabone videtur esse petitum. Etenim in c. 34 quae dicit Plutarchus de Iberum et Albanorum sedibus, leguntur in Strabonis fr. 107. Quae ibidem exponit de Cyro et Araxe fluminibus, accuratissime congruunt cum Strabonis fr. 108 [1]). Denique extrema huius capitis verba Strabonianae originis praebent indicium, ubi Iberes gentem bellicosissimam fuisse narrat: *οὔτε γὰρ Μήδοις οὔτε Πέρσαις ὑπήκουσαν Ἴβηρες, διέφυγον δὲ καὶ τὴν Μακεδόνων ἀρχὴν Ἀλεξάνδρου διὰ ταχέων ἐκ τῆς Ὑρκανίας ἀπάραντος.* — Deinde in c. 35 tradit Albanos Pompeio obviam processisse cum LX milibus peditum et XII milibus

1) Vide supra p. 299.

Digitized by Google

equitum, sed male armatis pellibus ferarum. Quae egregie congruunt cum Strabonis fr. 110. Quae vero in extremo capite de Amazonibus dicit, iam supra vidimus (p. 309) deprompta esse e Strabonis hypomnematis (cf. fr. 111. App. c. 103). Denique quod in c. 36 init. narrat in Albania serpentium venenatarum multitudine Pompeium prohibitum esse, quominus ultra procederet, de his conferas Strabonis fr. 112. Omnia igitur haec e Strabone hausit Plutarchus. Unde vero petiverit, quae in c. 36 copiosissime narrat de Stratonica, Mithridatis uxore, nescio.

Totum deinde caput 37 e Strabone desumptum esse supra p. 323 sq. exposui.

In eis autem, quae reliqua sunt, capitibus (38—42) certum Strabonis indicium nusquam potui investigare; nonnullis locis Livius manifesto tenetur, quem auctorem in hac parte Plutarchus maxime videtur esse secutus.

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA

Pag. 25 *in adn. crit. ad fr. 5, 28 adde: προσαναχαλύπτει ⟨χρεῖττον⟩ τῶν πρ. ἐγνωσμένων* Piccolos in Philol. vol. XVI p. 729, *⟨πλεῖον⟩ τ. πρ. ἐγν.* optime Miller 'Blaetter f. bayr. Gymn.' vol. X 1874 p. 146.

p. 25 *in adn. crit. ad fr. 6, 7 adde: πολλῷ ἐκεῖνοι μᾶλλον* Madvig advers. crit. vol. I p. 529.

p. 26 *in adn. crit. ad fr. 9, 10 adde: ἀπειλοῦντας* van Herwerden in Mnemosyn. N. S. vol. XV p. 454.

p. 34 *in adn. crit. ad fr. 16, 5 adde: λιμῷ διεφθάρησαν* Cobet miscell. crit. p. 120, *διεκαρτέρησαν ⟨ἕως οἱ πλεῖστοι* vel *πάντες λιμῷ διεφθάρησαν⟩ πλὴν ὀλίγων* Bernardakis symbolae crit. in Strab. (Lips. 1877) p. 27 sq.

p. 35 *in fr. 17, 21 lege ἐπελθὼν pro ἐπελθῶν.*

p. 38 *fr. 19 in testimon. vs. 2 lege εὑροούντων pro εὑροοῦντων.*

p. 41 *in adn. crit. ad fr. 23, 11 adde: διὰ δὲ αὐτὴν τὴν ἀρετὴν* v. Herwerden l. l. p. 436.

p. 42 *in fr. 25, 4 lege ἀναμίξ pro ἀναμίξ.*

p. 43 *in adn. crit. ad fr. 25, 33 adde: ὁμώνυμον]* *ἐπώνυμον* Cobet l. l. p. 122.

p. 46 *fr. 26 in testimon. vs. 12 lege ταῖς pro ταὶς.*

p. 46 *in adn. crit. ad fr. 27, 2 adde: ἀπιθανότητας* Cobet l. l. p. 135 sq.; sed v. Bernardakis l. l. p. 37 sq. — *Ibid. ad vs. 6 adde: τὸ φυσικῷ καὶ αἰωνίῳ πάθει — — προσοργισθέντας ἀπελθεῖν* Niese emendat. Strab. (ind. lect. Marburg. 1878) p. 9.

p. 47 *in adn. crit. ad fr. 27, 19 adde: κατὰ θαλάττης ἔφοδον οὐ κ⟨ατὰ τὸ εἰωθὸς ἀλλ'⟩ ἀθρόαν συμβᾶσαν* Cobet l. l. p. 114, *οὐκ* delevit Vogel in Philol. vol. XXXIX p. 348, neuter prospere; cf. Bernardakis l. l. p. 22 sqq.

p. 48 *in adn. crit. ad fr. 28, 5 et* **p. 54** *in adn. crit. ad fr. 37, 5 adde: μεταβῆναι* Cobet l. l. p. 136; sed v. Bernardakis l. l. p. 39.

p. 50 *in adn. crit. ad fr. 31, 6 adde: πέρα τοῦ μετρίου* Cobet l. l. p. 127.

p. 52 *in adn. crit. ad fr. 32, 28 adde: καί τι ἱερὸν* v. Herwerden l. l. p. 436.

Digitized by Google

p. 60 *in adn. crit. ad fr. 43, 4 adde: παρα τοῖς ⟨ἐκ⟩ τῆς Κρήτης ἰοῦσιν* v. Herwerden l. l. p. 446. — *Ibid. ad vs. 10 adde: ἤρατο*] *εὕρετο* Cobet l. l. p. 183; sed v. Bernardakis l. l. p. 49.

p. 66 *in adn. crit. ad fr. 47, 10 sqq. adde: οἱ δ' ἐθαύμασαν — — ἐπέτρεψαν δ' οὖν* Cobet l. l. p. 186, *δ' ἐθαύμασαν μὲν — — ἐπέτρ. δ' οὖν* Vogel l. l. p. 350, *οἱ δὲ θαυμάσαντες — — ἐπέτρ. ὅμως* Bernardakis l. l. p. 50.

p. 70 *in adn. crit. ad fr. 56, 4 adde: καὶ ἀποστήσαντες τυράννοις αὐτὴν* Madvig l. l. p. 558.

p. 75 *in adn. crit. ad fr. 62, 12 adde: οὐ γὰρ ἦν Ἕκτωρ τάδε* (Eurip. Andromach. 168), verbis *ὁ ὑπερμαχῶν τῆς πόλεως* ut glossemate eiectis, Cobet l. l. p. 190 (cf. var. lect. 1873² p. 360); sed v. Bernardakis l. l. p. 52.

p. 77 *in adn. crit. ad fr. 64, 29 adde: ὁ* delet v. Herwerden l. l. p. 449.

p. 78 *in adn. crit. ad fr. 66, 4 et* **p. 130** *in adn. crit. ad fr. 134, 17 et* **p. 138** *in adn. crit. ad fr. 146, 42 adde: οὗτος ὁ Ἀρχέλαος* vel *Ἀρχέλαος* v. Herwerden l. l. p. 448.

p. 80 *in adn. crit. ad fr. 69, 9 adde: οὕτως εὑροοῦντας* Meltzer in Fleckeisenii annal. 1875 p. 193, *ὁμοίως θαρροῦντας* Bernardakis in eisdem annal. 1876 p. 504 et Cobet l. l. p. 129.

p. 81 *in adn. crit. ad fr. 70, 5 adde: πλεῖστον* delevit Cobet l. l. p. 129.

p. 83 *in adn. crit. ad fr. 72, 1 vs. 3 lege* p. 600 sqq. *pro* p. 606 sqq.

p. 84 *in adn. crit. ad fr. 75, 1 adde: ἐκτροπῶν*] *ἐκροῶν* Madvig l. l. p. 534.

p. 99 *in adn. crit. ad fr. 95, 20 adde: ἄλντον*] *ἀχώλντον* Cobet l. l. p. 196; sic vel *ἄνετον* legendum esse putat etiam Bernardakis symb. crit. p. 53.

p. 100/1 *in adn. crit. ad fr. 96, 4 sq. adde: ἑλόντος δὲ τὸ ὄρος τοῦ Ἰσαυρικοῦ* et deinde *πανοικὶ* Cobet l. l. p. 196; sed v. Bernardakis l. l. p. 54.

p. 110 *in adn. crit. ad fr. 106, 9 adde*: quod conieci scribendum esse *καὶ δὴ καὶ*, video iam Vogelium l. l. p. 334 proposuisse.

p. 127 *in adn. crit. ad fr. 130, 5 adde: ἀνὴρ ἀξιόλογος ⟨ὅς⟩ καὶ* Cobet l. l. p. 197; sed v. Bernardakis l. l. p. 54.

p. 135 *in adn. crit. ad fr. 144, 12 adde: ῥύσασθαι*] *λύσασθαι* Cobet l. l. p. 197.

p. 140 *in adn. crit. ad fr. 148, 7 adde:* sed v. Madvigium l. l. p. 540, qui servata hic codicum memoria deinde pro *καὶ τοὔνομά γε* scribit *καινὸν τοὔνομά γε.*

p. 140 *in adn. crit. ad. fr. 150, 1 adde: Αἴδονοι ⟨ἀδελφοὶ⟩ καὶ συγγενεῖς* Miller 'Blaetter f. bayr. Gymn.' XIV 1878.

Digitized by Google

p. 142 *in adn. crit. ad fr. 152, 2 adde:* κατοικοῦσι] παροικοῦσι **Madvig l. l. p. 537.**

p. 150 *in adn. crit. ad fr. 158, 5 adde:* κατά ⟨τι⟩ παλαιον Ῥωμαίων ἔθος **Cobet l. l. p. 185; sed v. Bernardakis l. l. p. 49 sq.**

p. 162 *in adn. crit. ad fr. 178, 8 adde:* ταῖς ἄλλαις] ταῖς ἅλαις **(i. e. salinis) Madvig l. l. p. 137 sq.**

p. 167 *in adn. crit. ad fr. 186, 3 adde:* ἐπιστὰς ἐπὶ τὴν — — προστασίαν **v. Herwerden l. l. p. 442.** — *Ibid. ad vs. 5 adde:* πράγμασι **defendit Cobet l. l. p. 123 sq., idem vs. 6 pro** κατεστήσατο **scribit** κατεκτήσατο; **sed v. Bernardakis l. l. p. 29 sq.**

p. 174 *in fr. 194, 1 lege* **IV 6, 7** *pro* **IV 5, 7.**

p. 181 *in adn. crit. ad fr. 206, 30 sq. adde:* ὥρμησε ⟨πέντε = ε'⟩ τάγματα ἔχων **Cobet l. l. p. 195; sed v. Millerum 'Bl. f. bayr. Gymn.' XIV 1878.**

Digitized by Google

CONSPECTUS FRAGMENTORUM *)

Strab. geogr.	fr.
I 2, 1 p. 14	6[a]. 45[b]
3,21 p. 61	106[b] (p. 299). 107[b] (p. 326)
II 1,16 p. 73	45[f]
3, 6 p. 102	27[b]
5,12 p. 118	6[b]
III 1, 6 p. 139	13[c]
8 p. 140	212
2, 1 p. 141	76. 181
2 p. 141	180[a] (p. 258). 197[a] 230 (p. 284)
3, 1 p. 152	15[a]
2 p. 152	15[d]
3 p. 152	13[a]
4 p. 153	15[b] (p. 215. 219 sq.)
5 p. 154	13[b]
7 p. 155	15[c]
4, 5 p. 158	14[a]
6 p. 159	74[b]
7 p. 159	75
9 p. 160	179 (p. 257)
10 p. 161	74[a]. 162. 180[b] (p. 258)
13 p. 162	16. 73
5, 1 p. 167/8	23
3 p. 169	196
11 p. 175/6	39
IV 1, 1 p. 176/7	149 (p. 216. 255)
5 p. 180	25[b]
5 p. 180/1	163
8 p. 183	36
11 p. 185	26[b]
11 p. 186	26[c]
12 p. 186/7	164 (p. 258)
13 p. 188	32 (p. 215. 238)
2, 3 p. 191	26[a]. 157

Strab. geogr.	fr.
IV 3, 2 p. 192	150 (p. 217). 195
3 p. 193	37[b]. 151 (p. 218. 289). 155[c]
4 p. 193/4	152. 155[d] (p. 218)
4 p. 194	156[a]. 213[a]
5 p. 194	156[b] (p. 217)
4, 1 p. 194/5	154 (p. 217)
3 p. 196	37[c]. 153
5, 2 p. 199	155[b] (p. 218)
3 p. 200	155[a] (p. 217)
6, 3 p. 203	25[a]
7 p. 205	12. 194. 234
10 p. 207	232[a]. 233[a]
V 1, 1 p. 210	199
6 p. 213	148. 186[c]
8 p. 214	28[b]
11 p. 217	31
2, 6 p. 223	71
3, 8 p. 235	236
10 p. 237	22
10 p. 238	69[b]
11 p. 238/9	70
4, 2 p. 241	40
4 p. 243	197[b]
9 p. 248	256
11 p. 249/50	69[a]
VI 1, 6 p. 258	197[d] (p. 270)
6 p. 259	229
2, 3 p. 268	197[c]
4 p. 272/3	19
11 p. 277	21
3, 4 p. 281	24
4, 2 p. 287	14[b]
VII 1, 3 p. 290	213[b]
2, 1 sq. p. 292/3	27[a]
2 p. 293	28[a]

*) Numeris cancellis inclusis indicantur paginae, ubi de singulis fragmentis agitur.

Digitized by Google

Strab. geogr.	fr.
VII 2, 2 p. 293/4	37[a]
3, 5 p. 297/8	186[b]
11 p. 303/4	186[a]
13 p. 305	186[f]
16 p. 306	45[g]
17 p. 306	45[d]
18 p. 307	45[e]
4, 3 p. 308/9	45[a]
4 p. 309/10	45[b]
6 p. 311	45[i]. 175[c]
7 p. 312	45[c]
5, 2 p. 313	186[d]. 233[b]
4 p. 314	232[b]
5 p. 315	235
6 p. 315	68[a]
11 p. 317/8	68[b]
6, 1 p. 319	77
7, 5 p. 324	238[b]. 241
6 p. 325	238[a]
fr. 41	198 (p. 270)
VIII 4, 3 p. 359	237
6,23 p. 381	3. 184[a]
7, 5 p. 387	239[a]
5 p. 387/8	97[c] (p. 299. 302)
IX 1,15 p. 396	57[k] (p. 296)
20 p. 398	57[a] (p. 297)
2,37 p. 414	59 (p. 297)
42 p. 416	78 (p. 294. 298 adn. 3). 103[c]
X 1, 9 p. 447	65[b] (p. 14)
2, 2 p. 450	238[c]
13 p. 455	161
21 p. 460	239[b]
4, 9 p. 477	97[d]. 185
10 p. 477/8	43[a] (p. 291. 301)
5, 4 p. 486	56 (p. 295)
XI 1, 6 p. 491/2	107[a]
6 p. 492	98
2,11 p. 495	173. 175[b]
12 p. 495/6	103[k] (p. 294 adn. 2; 298 adn. 3; 299)
13 p. 496	103[a] (p. 299)
14 p. 496/7	104
17 p. 498	176
18 p. 498/9	46[d] (p. 291)
19 p. 499	106[a] (p. 299)
3, 2 p. 500	108[a] (p. 299. 326)
4 sq. p. 500/1	109. 215 (p. 223)
4, 1 p. 501	107[c] (p. 326)
2 p. 501	108[b] (p. 299. 326)
3 p. 502	113
5 p. 502	110 (p. 327)
6 p. 503	112 (p. 327)

Strab. geogr.	fr.
XI 5, 1 sq. p. 503/4	111 (p. 215 220. 300. 309)
4 p. 505	79 (p. 297)
8 p. 506	172
8, 4 p. 512	138[a]
9, 1 p. 515	158 (p. 258)
2 sq. p. 515	4 (p. 215)
3 p. 515	7 (p. 7 sq. 17 sq.)
11, 1 sq. p. 516/7	5[a]
13, 2 p. 523	228 (p. 223)
3 p. 523	225 (p. 223)
4 p. 524	224[a] (p. 223)
14, 2 p. 527	108[c]
5 p. 528	86[h]
6 p. 528/9	91 (p. 322)
6 p. 529	227 (p. 223)
9 p. 530	223 (p. 223)
10 p. 530	105 (p. 300. 326)
15 p. 531/2	86[a] (p. 239)
15 p. 532	89[a]. 226 (p. 223)
XII 1, 4 p. 534/5	129 (p. 301)
2, 1 p. 535	94
5 p. 537	202
9 p. 539	89[b] (p. 297. 302)
11 p. 540	47. 218
3, 1 p. 540/1	46[a]. 116[a] (p. 302)
1 p. 541	131[b] (p. 301)
2 p. 541	46[b]. 116[b] (p. 302)
6 p. 542/3	251
6 p. 543	116[c] (p. 302)
9 p. 544	46[c]. 116[d] (p. 302)
11 p. 545	44
11 p. 546	84 (p. 273. 298. 322). 182
13 p. 547	131[c] (p. 301)
14 p. 547	83 (p. 298. 321). 171 (p. 258. 273. 302). 220. 242
18 p. 549	102
28 p. 555	46[e]. 101 (p. 301 sq. 310)
30 p. 556	82. 135 (p. 298. 302)
31 p. 556/7	115 (p. 324)
31 p. 557	136
32 p. 557	134[a] (p. 291. 301. 305)
33 p. 557	43[k] (p. 291)
33 p. 557/8	93 (p. 291)
33 p. 558	100 (p. 325). 143
34 p. 558	66[b]. 134[b] (p. 301). 146[b] (p. 241)
35 p. 558	174 (p. 302)

Digitized by Google

Strab. geogr.	fr.
XII 3,35 p. 558/9	252
37 p. 560	138[b]
38 p. 560/1	137. 211
38 p. 561	221
39 p. 561	85. 222
40 p. 562	48 (p. 295). 139
41 p. 562	42 (p. 292). 219
4, 3 p. 564	81. 183
5, 1 p. 566/7	131[a] (p. 301)
1 p. 567	189. 217[a]
2 p. 567	99 (p. 220 adn. 1). 132. 133
3 p. 568	190
4 p. 568	217[b]
6, 1 p. 568	203[b]. 217[d]
2 p. 568/9	96[b]
3 sq. p. 569	217[c]
8, 8 sq. p. 574	205
9 p. 574/5	243
11 p. 575/6	80 (p. 297. 319)
16 p. 578	50. 210
18 p. 579	49
XIII 1,27 p. 594	62 (p. 297)
27 p. 594/5	166 (p. 261 adn. 1)
28 p. 595	61
30 p. 595	248
54 p. 608/9	64 (p. 315)
55 p. 609/10	87 (p. 321 adn. 2)
66 p. 614	53. 60
2, 3 p. 617/8	140
3, 5 p. 621	63 (p. 297)
4, 1 sq. p. 623/4	17
3 p. 624	175[a] (p. 302)
3 p. 625	254
9 p. 628	54
17 p. 631	67
XIV 1, 7 p. 635	141
14 p. 637	249
23 p. 641	51. 200
37 p. 646	192 (p. 283)
38 p. 646	18
41 p. 648	201
42 p. 649	52 (p. 296) 231
48 p. 650	142
2, 9 p. 654	57[c]
15 p. 655	188
19 p. 657	250
19 p. 658	207
24 p. 659/60	206
3, 2 p. 664	95[b]
3 p. 665	96[c]. 97[a] (p. 299. 302). 240
5, 2 p. 668	10[b]

Strab. geogr.	fr.
XIV 5, 2 p. 668/9	95[a]
3 p. 669	216[a]
4 p. 670	255
6 p. 671	217[a]
7 p. 671	96[a]
8 p. 671	97[b] (p. 299. 302)
10 p. 672	203[a]
14 p. 674	159
14 p. 674/5	253 (p. 16)
18 p. 676	130
6, 6 p. 684/5	144 (p. 257)
XV 1, 3 p. 685/6	5[b]
XVI 1,16 p. 743	8
18 p. 744	9
19 p. 745	86[c]
23 p. 747	92 (p. 322). 160[a]
24 p. 747	89[c]. 114
28 p. 748	160[b]. 209[b]. 224[b] (p. 223)
2, 3 p. 749	90 (p. 239). 128 (p. 301)
7 p. 751	118
8 p. 751	117. 208. 209[a] (p. 223)
9 p. 752	193 (p. 269 sq.)
10 p. 752	10[a]
10 p. 752/3	191 (p. 269)
10 p. 753	120 (p. 231)
18 p. 755	121
19 p. 755	10[c]
23 p. 757	122
26 p. 758	11
33 p. 760	167[b]
34 p. 760	20
34—37 p. 760/1	123
39 p. 762	186[c]
40 p. 762/3	124[a] (p. 14. 231. 240)
41 p. 763	125 (p. 241)
46 p. 764/5	126 (p. 240)
46 p. 765	204
4,21 p. 779	127 (p. 241)
XVII 1, 6 p. 792	170
9 p. 794	244
10 p. 795	245[b]
11 p. 795/6	146[a] (p. 241)
11 p. 796	66[a]. 134[c] (p. 301). 167[a] (p. 258). 168 (p. 255)
11 p. 797	245[a]
12 sq. p. 797/8	246[a]
13 p. 798	147
53 p. 819	246[b]. 247
3, 7 p. 828	165. 178[c]

Digitized by Google

Strab. geogr.	fr.	Strab. geogr.	fr.
XVII 3, 8 p. 829 . .	72 (p. 286)	XVII 3,15 p. 833 . . .	29[a]. 184[b]
9 p. 829 . . .	29[b]. 178[b]	20 p. 836 . .	177. (p. 264)
12 p. 831 . . .	30. 178[a]	21 p. 837 . .	38 (p. 302)
13 p. 832	2. 29[c]	25 p. 840 . .	257 (p. 13)

Mueller FHG

fr. 1 ex Ios. c. Ap. II 7	1
2 ex Strab. geogr. XI 9, 3 p. 515	7 (p. 7 sq. 17 sq.)
3 ex Ios. A. I. XIII 10, 4 . .	34 (p. 227. 238)
4 ex Tertull. de anim. 46 . .	41 (p. 292)
5 ex Ios. A. I. XIV 7, 2 . . .	55 (p. 228. 239. 295)
6 ex Ios. A. I. XIV 7, 2 . . .	58 (p. 228. 297)
7 ex Plut. Sull. 26	65[a] (p. 14. 314)
8 ex Plut. Luc. 28	88 (p. 313)
9 ex Ios. A. I. XIII 11, 3 . .	33 (p. 6. 227. 238)
10 ex Ios. A. I. XIII 12, 6 . .	35 (p. 231 adn. 1)
11 ex Ios. A. I. XIV 3, 1 . . .	119 (p. 229)
12[a] ex Ios. A. I. XIV 4, 3 . .	124[b] (p. 14. 231 adn. 1. 242. 243 adn. 1. 303)
